INSCRIPTIONES ACCEDUNT EPISTOLÆ DUÆ DE RE EPIGRAPHICA...

Tommaso Vallauri

THOMAE

VALLAVRII

INSCRIPTIONES

ACCEDVNT
EPISTOLAE DVAE DE RE EPIGRAPHICA
ET OSVALDI BERRINII APPENDIX
DE STILO INSCRIPTIONVM
EX OPERIBVS STEPHANI ANT. MORCELLI DEPROMPTA

editio tertia
plurimis additamentis locupletata

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA ASCETERII SALESIANI
AN. M. DCCC. LXV.

THOMAE

VALLAVRII

INSCRIPTIONES

THOMAE
VALLAVRII
INSCRIPTIONES

ACCEDVNT
EPISTOLAE DVAE DE RE EPIGRAPHICA
ET OSVALDI BERRINII APPENDIX
DE STILO INSCRIPTIONVM
EX OPERIBVS STEPHANI ANT. MORCELLI DEPROMPTA

editio tertia
plurimis additamentis locupletata

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA ASCETERII SALESIANI
AN. M. DCCC. LXV.

OFFICINATOR LIBRARIVS

LECTORI SALVTEM

Qui antiquitus mortales primi et certas sedes occupare atque ad humaniorem vitae cultum barbaros mores erudire exorsi sunt, dum toti essent in agendo, nihil pensi habuerunt suarum rerum memoriam posteris tradere, documentum et disciplinam. Quippe, veluti pueri se resque suas nesciebant, et vita et praesenti aetate contenti, securi posterorum, minimum de continuanda rerum et temporum notitia solliciti erant. Sed ubi puerilis aetas virili concessit, viresque suas noverunt et virium pulcherrima experimenta, apud posteros aliquid memoriae et laudis habitura; tum suarum rerum notitiam posteris impense tradere atque ex oblivione temporum vindicare coeperunt. Praesertim vero vel solemnis vel incorrupti testimonii gratia, omnia, quae aliquam notitiae dignitatem prae se ferre viderentur, aereis vel marmoreis tabulis sunt insculpta, quo longius eorum apud posteros memoria propagaretur.

Hinc fit ut, veritatem vel caligine exaggerantibus annis, vel hominum malitia foedante, nullum in historia tractanda magis certum magisque sincerum monumentum

occurrat, quam quod ex huiusmodi inscriptionibus eruitur, quae suo probabili testimonio, vel ignota aperiunt, vel non certa confirmant. Nec rerum memoriam tantummodo, sed et veterum populorum linguas, iamdiu oblivione et ignorantia confectas, ex maceriis excitant, atque rursus, post tot saeculorum lapsum, doctorum studiis diligentiaeque proponunt.

Et revera Chaldaeorum antiquissima gens, et Medi et Persae, penes quos tamdiu imperium Asiae fuit, nullas nobis sermonum reliquias, praeter quam in inscriptionibus, fecere, quas a litteris, formatis in cunei modum, appellatas, recentior aetas in iis ipsis regionibus nuper invenit, quibus olim illarum gentium opes et potentia stetere. Eodem plane pacto Phoenices, qui haud poenitendam ad populorum humanitatem symbolam contulere, navigationibus, commerciis et coloniis inter quas unam romani imperii aemulam, Carthaginem, memorasse sat erit, Phoenices, inquam, nulla nobis litterarum monumenta tradidere, praeter perbreves inscriptiones, easque plerumque sepulcris adpositas, quas nostra aetate collegit Villelmus Gesenius in opere, quod inscribitur: *Scripturae linguaeque phoeniciae monumenta quotquot supersunt etc.* (1), in quibus toti sunt eruditi homines, priscam illam alphabeti formam vestigantes, quae magna parte apud Hebraeos obtinuit, nec minimum in Graecorum et Celtiberorum et Hetruscorum alphabetum influxit. Quorum quidem Hetruscorum lingua iuxta atque Oscorum, nisi raris quibusdam inscriptionibus, perinde nobis in incognitis esset. Sic Norvegiae alpes et quaedam Daniae, Svetiae et Scythiae, quae vergit ad septentrionem monumenta, arcana illa litterarum elementa visitantibus exhibent, quae *runas* appellant, hastis formatas in I litterae modum, ac multifariam compositas, quasque

(1) Lipsiae MDCCCXXXVII, 2 vol. in-4°.

circa iam multum est, cum se eruditi homines torquent, quin probi et certi quidquam exsculpere possint.

At abundantissimam et magni momenti documentorum segetem, hieroglyphicae nuper, quas vocant, inscriptiones prodidere, postquam divinus ille Champollionus et primus adfectavit et ceteris amplissimam communivit viam ad linguae et scripturae Aegyptiorum indolem penitus assequendam; ita ut non iam mera oculorum oblectamenta, insculptae passim monumentis et templis et sepulcris figurae habeantur, sed luculentissima in Aegyptiorum historiam documenta prodiderint, et maiorem etiam quotidie spem, immo fiduciam facere videantur. Ea omitto quae ex inscriptionum graecarum et romanarum investigatione hactenus in antiquitatis studia commoda redundarunt, rem quotidiano exemplo abunde uniuscuiusque oculis usurpatam.

Sed ex iis illud procul dubio fit, tum nummos, tum inscriptiones longe utilitate ceteris omnibus historiae monumentis praestare: utrum vero genus alteri praestet, lis sub iudice est. Re enim vera, nummi, praeter inscriptiones, imagines quoque, sive εἰκόνας referunt, maximam historiae commoditatem; sed praeterquamquod non semper imaginum steriles se se nobis offerunt inscriptiones, at contra non breves titulos tantum, ut nummi fere se habent, sed leges et mores eloquuntur, tum hominum etiam frequentissima nomina, ut integrae inde imperatorum, regum et magistratuum series interdum digeri possint. Iis praeterea temporum ratio emendata, corrupta historiae loca sanata, vel hiantia sarta, scriptores interpretati, multa ad religionem, ad rempublicam ad artes scientiasque pertinentia illustrata; ex iis intimae quaedam privatae vel publicae populorum vitae notitiae quas nequicquam in scriptoribus requiras; ex iis denique intermortuae linguae ad solem et pulverem et eruditorum trutinam ex silentio et oblivione excitatae.

veluti; quas romanarum rerum graves nobilesque notitias, non coniecit Niebhurus ille, eruditissimus vir, ex oratione quae ab imperatore Claudio ad Lugdunenses habita, atque aerea tabula incisa, ad nostram usque aetatem per saeculorum iniurias pervenit? Sed hoc quotidiano paene fit eventu, ut ab inscriptionibus iis rebus fides asseratur, quae, a nullo relatae sat probabili auctore, cunctanter inter doctos acciperentur.

Apud veteres enim inscriptionum longe fuit usus uberior, quam nostra hac aetate, quae ad rerum famam propagandam servandamque, tot sibi adiumenta comparavit. Apud veteres illos praeterquam quod suus propriusque inscriptionibus locus maxime erat in aedificiorum fronte atque ad privata et publica monumenta; at omnia, quae a magistratibus edicerentur ad rempublicam pertinentia, aereis vel marmoreis tabulis insculpta, in publicum proponebantur; statuta, decreta, regulae, tum vero cetera, quae apud nos in legum volumina referuntur; privatae pactiones et foedera, quae nunc apud notarios asservantur; ea demum, quae diaria nostra et ephemerides novissima pagina in vulgus emittere solent, ea, incisa marmore aut aere, per fora, pro theatris circa frequentissimas porticus, prope celeberrima templa deorum in publicum proponebantur.

Hinc illae innumerae inscriptiones, quae Athenis in templo matris deorum, Romae in Capitolio impensa cura servatae, tabularia veluti publica haberentur. Dolendum, quod gravissimae harum inscriptionum, aere vel marmore insculptae, ea potissimum causa perierint, qua plus ipsis diuturnitatis et vivacitatis conciliatum iri putaverant; vel enim incendio absumptae, vel avidis intervorsae manibus periere. Multas scimus in Aesculapii templo fuisse, quae nomen et patriam medicorum eloquerentur, tum vero, qua potissimum arte morbis mederentur; sed gravi profecto scientiae iactura nequidquam ad nos per-

venere. Vel domesticam supellectilem et instrumentum omne titulo vel inscriptione aliqua notare Graecis constantissimus mos habitus est. Hinc praesertim curiosa in primis antiquitatis studio, vasa illa graeca, quae hetrusca appellari in vulgus consueverunt. Paterae, calices, lampades, specula, phalerae rarius omnino titulis carebant; quin et sagittae et ballistici interdum globuli aliquid eloquebantur.

Metrica ut plurima forma graecae inscriptiones gaudere consueverunt, praesertim si earum caput ad sepulcrum lugendum esset, vel inclitos et bene de patria meritos viros honestare civitas statuis et imaginibus vellet. Quibus quidem immensum in numerum auctis, factum mirabili spectaculo in graecis urbibus, ut marmorea nova paene civitas viventi se se intersereret, et grati animi memoria et fama vivos defunctosque uno veluti vinculo consociaret. Huiusmodi poëticae inscriptiones, quas veteres proprio nomine epigrammata appellare consueverunt, mature ab antiquitatis studiosis colligi coeptae sunt, atque adeo amorem sui fecere, ut, versis ad imitandum ingeniis, novum quoddam ab iis litterarum extiterit genus, omnibus perinde nationibus excultum et celebratum.

Sed non minus apud Romanos inscriptionum usus obtinuit, quam apud Graecos. Prolatis namque imperii finibus, auctisque per provincias romanis magistratibus; tum etiam municipali libertate ut plurimum incolumi, ea legum et edictorum ac propterea inscriptionum seges conflata est, ut, cum propior etiam magisque nobis adfinis romana humanitas sit, arduum opus fuerit et vix cuiquam tentandum, in unum eas veluti corpus complecti. Harum multae versibus etiam feruntur, rariores tamen, quam apud Graecos; cum grave Romanorum iudicium prosa potius oratione, concisa, eademque a peculiari latinae linguae syntaxi optime ad inscri-

ptionum stylum accommodata, quam numeris adstricta gauderet. Et revera latina lingua κατ᾽ἐξοχὴν epigraphica appellari maxime posset, cum quadratae etiam romani alphabeti litterae, mirum in modum ad inscriptionum gravitatem maiestatemque conferre videantur; tum vero ad animum admiratione et magnitudinis arcano quodam sensu afficiendum, iampridem stupore perculsum, eo adspecto monumento, quod vitatis saeculorum iniuriis ad nos usque pervenerit, vel sollemnia verba populi late per orbem dominantis eloquatur, vel flebilem demum humanarum rerum querelam.

Intolerandam nuper operam adfirmavi, inscriptiones omnes in unum veluti corpus complecti, quae ad nostram usque aetatem pervenerint. Non defuere tamen, qui earum haud poenitendum numerum colligerent, vel ex eo tempore, quo graecae et latinae litterae recreari sunt coeptae, et impenso opere disiecta ubique antiquitatis monumenta quaesita. Praeclari hac in re Petrarca, Boccaccius aliique, quorum etsi erga antiquos ardor adolescenti adhuc per ea tempora italicae linguae nonnihil offecit, non tamen hic debita mentione carebit. Tunc nimirum ne inscriptionibus quidem diligens conquisitio defuit. Intelligebant enim, germanam iis auctoritatem inesse, quae ad historiam et grammaticam rem pertinerent; maxime vero flagrantibus in philologiam, quam vocant, studiis, quasdam linguarum et dialectorum peculiares notas, quas diuturnus gentis usus et librorum descriptiones, aliae ex aliis degeneres attenuaverant, integras adhuc in iis inscriptionibus deprehendi posse cernebant. Hae autem inscriptiones a tenebris privatarum et municipalium aedium in lucem tunc primum prolatae, nucleum et fundamentum illis quodammodo inscriptionum collectionibus praebuere, quibus praeclara duo superiora nobis proxime saecula habita sunt.

Absurdum a re nostra maxime esset, universas hic

huiusmodi inscriptionum collectiones referre; series enim earum in immensum cresceret, et praecipuas memorasse sat erit, cuiusmodi sunt: Smelii *Inscriptiones antiquae* (1); Gruteri *Thesaurus inscriptionum* (2); Gronovii *Thesaurus antiquitatum graecarum* (3); Graevii *Thesaurus antiquitatum romanarum* (4); Polenii *Supplementa ad collectiones Graevianas et Gronovianas* (5); Reinesii *Syntagma inscriptionum a Grutero omissarum* (6); Donii *Inscriptiones antiquae cum notis* (7); Pokokchii *Inscriptiones antiquae* (8); Vinckelmanni *Monumenta vetera inedita* (9): et alia quae passim memorantur.

Latius patet *Novus Thesaurus* Muratorii nostri (10), qui propterea codices manu exaratos Ambrosianae bibliothecae consuluit, adhibitis etiam animadversionibus, quibus Ioannes Ciampinus et Prosperus Mandosius romanas inscriptiones illustravere, Iulius Antonius Averoldus brixienses, Apostolus Zenus venetas, Magliabecchius florentinas, atque alii alias. Supplementum accedit Sebastiani Donatii (11) cum dissertatione de arte critica lapidaria, quae alius collectionis gratia a Scipione Maffeio inchoata, nec tamen profligata, tunc primum in lucem edita est.

Quod vero ad peculiares collectiones pertinet, memi-

(1) Lugduni Batavorum MDLXXXVIII, in-fol.
(2) Amstelodami MDCCVII, 4 vol. in-fol.
(3) Lugduni Batavorum MDCXCVII-MDCCCII. 13 vol. in-fol.
(4) Hagae Comitis MDCCXVI-XIX, 3 vol. in-fol.
(5) Venetiis MDCCXXXVII, 5 vol. in-fol.
(6) Lipsiae MDLXXXII, in-fol.
(7) Florentiae MDCCXXXI, in-fol.
(8) Londini MDCCLXV, in-fol.
(9) Romae MDCCLXVII, 2 vol. in-fol.
(10) Mediolani MDCCXXXIX, 4 vol. in-fol.
(11) Lucae MDCCLXV, 2 vol. in-fol.

nisse inter praecipuas iuvabit inscriptiones patavinas a Salomonio editas, brixienses ab Octavio Rossio, aquileienses a Philippo Turre, latiares a Rocho Vulpio, bononienses a Carolo Malvasia, pisaurenses ab Oliviero, taurinenses a Ricolvio et Rivautella, postquam Scipio Maffeius veronensis, data provincia a rege Victorio Amedeo huiusce nominis secundo, eas collegerat, et una cum marmoreis multis anaglyptis et veterum monumentorum fragmentis circa porticum Regii Taurinensis Athenaei ordine applicandas curaverat. Ille idem Scipio Maffeius taurinenses quasdam inter veronenses et vindobonenses evulgavit; beneventanas collegit ediditque Devita; Paciaudus et Blasius, quae in privatis Naniorum aedibus adservarentur, panormitanas Castellius, salonenses Zaccharia, capitolinas Guascus, regienses Morisanius, suarum aedium Passioneius, ravennenses Spretius, cremonenses Bianchius, pisanas Norisius, Pater Purpuratus, christianas Boldetius et Lupius, subalpinas, quae, ad extrema imperii tempora pertinentes, Romae essent Bianchinius, Gorius demum inscriptiones sepulcri, quod a servis et libertis Augusteae domus nomen accepit. Metricas graecas et latinas collegit Bonada; heracleenses tabulas Mazzocchius, monumenta fratrum Arvalium Marinius, Atheniensium decreta Blasius; epigrammata athletarum Falconierius, agonistica Fabrius, aliaque alii, quos omnes gratia brevitatis omittam. Hoc unum addiderim, nempe Ioannem Franciscum Seguierium, diligentem et curiosum harum rerum arbitrum, inscriptionum collectiones ad duo ferme millia retulisse in catalogo, quem ad annum MDCCLXXV usque perduxit. Decem ex iis collectionibus latinas universas continent, Gruteri scilicet collectiones, Reinesii, Sponii, Donii, Gudii, Fabrettii, Maffeii, Muratorii, Donatii, Marinii, quae sexaginta ferme inscriptionum millia complectuntur.

Gorius, Passerius, Olivierus, Remondinius, Mazzocchius, Maffeius, Lanzius inscriptiones edidere tum osca, tum hetrusca lingua, tum vero vetustissimis aliis Italiae dialectis, eodem plane pacto quo Swintonus, Dutensius, Murrus, Sacyus, Tichsenius, Giorgius, Millinius aliique, orientales, phoenicias, persepolitanas, palmirenas et babylonenses evulgarunt. Neque hic debitum laudis testimonium Carolo Viduae, Casalensi nostro, invideam, sagaci nempe eidemque eruditissimo viro, qui longinquis regionibus visitatis, Sarmatiae, Bithyniae, Troadis, Pergami, Aegypti, Aethiopiae, Syriae, insularum praeterea graecarum, Cypri, Rhodi, Chii, Cycladum, nec non atticae regionis inscriptiones, ad id tempus ineditas, collegit ediditque superioribus proxime huiusce saeculi annis.

Anno MDCCXXXII quorumdam veronensium civium coetus, auctore Scipione Maffeio, de universa quadam collectione, quae graecas et latinas, ethnicas et christianas complecteretur inscriptiones, suscipienda cogitaverat, editoque totius operis quodam veluti proposito, graphice atque adamussim facta faciendaque disseruerat; sed nimia tanti operis diuturnitate factum, ut ne ultra desiderium quidquam promoveretur. Dissertatio vero *De arte critica lapidaria*, quam ideo Maffeius inchoaverat, minime est profligata.

Sed inter omnes qui octavo decimo saeculo bene de latinis inscriptionibus meriti sunt, iure laudatur Raphaël Fabrettius Urbinas, qui egregiam illis operam navavit, edita collectione, cui titulum fecit: *Inscriptionum antiquarum, quae in aedibus paternis asservantur, descriptio* (1). Gruterus nempe, Reinesius, Sponius et ceteri, qui eiusmodi, praeter illum, collectiones instruxerunt, eo contenti fuerant, si monumenta ad punctum et litteram descripta, notata, ut plurimum, origine retulissent. Sed

(1) Romae MDCCXCV, in-fol.

Fabrettius noster, longe aliam viam ingressus, quum nihil aliud sibi potissimum proposuisse videatur, quam illas edere inscriptiones, quae quadrigentarum quinque et triginta ferme numerum complent, eas ita digessit atque animadversionibus illustravit, adhibita etiam aliarum inscriptionum auctoritate, ut maximam afferat utilitatem ad ea consequenda, quae ad paleographiam, archaeologiam, philologiam, historiam et geographiam maxime spectant.

Scilicet auctis nostra aetate doctrinae adiumentis, auctus quoque in eiusmodi studiis ardor, et multiplicatae collectiones, novis quotidie copiosisque inscriptionibus excitatis ex exploratis Graeciae et Asiae Minoris et Aegypti et Mauritaniae regionibus.

Praeclari in earum auctoritate discutienda et carmine illustrando Cardinalius, Borghesius, Labusus, Lama, Letronnus, Oriolius, Guarinius, Quaranta, Sartius, Marchius, Secchius, Viscontius, Fea, Vidua, Gazzera, Thierchius, Gerhardius, Hagembachius aliique. Cavedonius mutinenses, Aldinius ticinenses et novocomenses, Academia Herculanensis pompeianas inscriptiones edidere. Tunc hisce omnibus, quae hactenus enumeravimus, adhibitis, novisque conlatis, Boeckius anno MDCCCXXXV et sequentibus edidit Berolini *Corpus inscriptionum graecarum, auctoritate et impensis Academiae litter. regiae Borussicae;* hasce vero inscriptiones non argumentorum varietate digessit, sed geographico ordine, quo uti plerumque in re numismatica solent.

Anno deinde MDCCCXXXVI Olaus Kellermannus integram latinarum collectionem regiae Academiae Codaniensi suscipiendam proposuit; instructis nempe ad id tempus collectionibus maxima vitia inhaerere ex eo quod insincerae et spuriae inscriptiones in germanas irrepsissent, eaedem interdum mutatis tantum lectionibus iterarentur, tum disruptae et dividuae quaedam referrentur,

quae nisi unam non conficerent; nullos praeterea sat copiosos indices, sonticae in hac re gravitatis, esse querebatur; quibus omnibus occurrere illi in animo erat. Sed opus in quo octoginta ferme inscriptionum millia ad id tempus nota colligere destinarat usque ad octavum saeculum, indico morbo tentatus in desiderio reliquit. Novissime (1) Fridericus Ritschelius priscae latinitatis monumenta epigraphica Berolini evulgare aggressus est ad archetyporum fidem exemplis lithographis repraesentata; et Ioannes Baptista Derossi, romanus omnem curam suam impendit in edendis illustrandisque inscriptionibus christianis urbis Romae, septimo saeculo antiquioribus (2).

Verum huiusce gravissimi operis gloria Gallis adeo adrisit, ut anno MDCCCXLIII Studiorum Antistes praestantissimos doctrina viros adlegerit, data provincia, ut inscriptiones latinas vel graecas bilingues, iis omissis quae ad italicas dialectos pertinerent, in unum corpus colligerent, usque ad Theodorici tempora, qui, barbarus nil tamen adhuc de romano more mutavit. Qua quidem in re geographiam potius, quam inscriptionum materiam et indolem digerendarum ducem ideo secuti sunt, ut pronum esset romanam humanitatem deprehendere, ex provinciis ad provincias quodam veluti gradu succedentem; tum vero, quae in hisce provinciis etiam sub consulibus vel sub imperatorum dominatu patriis adhuc moribus et populari instituto manerent. Quod nequaquam fieri poterat si argumento duce usi essent; praeterea hoc maxime modo, eiusdem interdum iterandae inscriptionis remota necessitas est. Huc autem pertinent romanae inscriptiones, quae iam inde ab anno MDCCCLVIII

(1) An. MDCCCLXII, in-fol.

(2) Romae, ex officina libraria pontificia ab anno MDCCCLVII ad MDCCCLXI in-fol.

evulgari coeptae sunt opera et studio Leonis Renieri, viri doctrina atque humanitate in primis expoliti (1).

Hactenus eruditorum studia persecuti sumus, ad id maxime conversa, ut quam uberrimam inscriptionum segetem possent, ex oblivione in lucem excitarent. Ad eos iam gradum facturi, qui antiquis monumentis veluti exemplaribus usi, veteris elegantiae aemuli quodammodo extitere, laetamur, quod sit italorum hominum haec potissimum laus. Nimirum superiore saeculo incrementum et novum quodammodo fervorem antiquitatis et litterarum studia apud Italos habuere, opera praesertim Stephani Antonii Morcellii, ex sodalibus, qui Iesu nomen obtinent, qui Claris apud Brixienses ortus, summa laude ad archaeologiae et epigraphiae studia se contulit. Ut autem cetera illius egregia opera omittam, memorasse sat erit *De stilo inscriptionum* libros III (2); quod quidem opus tanti habitum est, ut Robertius ille, non ignobilis eiusdem disciplinae sodalis, dicere non dubitaverit, famam tamdiu habiturum, quamdiu suus aureo Augusteo saeculo honos maneret; Lanzius vero, ipse quoque ordinis eiusdem adfinis, *aureum librum* appellare consueverit. Et re quidem vera Morcelliani operis praestantia iis mature perspecta est, qui huiusmodi epigraphiae studiis animum adiungerent; Garampius vero, Pater Cardinalis, mirari se aiebat, vitiosam adhuc inscriptionem, Morcelliano opere perlustrato, in mundo posse confingi. In illius supplementum, tertio post anno, aliam Morcellius opellam evulgavit, *Inscriptiones* nempe

(1) Inscriptions romaines de l'Algérie, recueillies et publiées sous les auspices de S. Exc. M. Hippolite Fortoul Ministre de l'Instruction publique et des cultes par M. Léon Renier Bibliothécaire à la Sorbonne, Membre du Comité de la langue, de l'histoire et des arts de la France. Paris, Imprimerie Impériale, MDCCCLVIII, in-fol.

(2) Romae MDCCCLXXX, in-fol.

commentariis subiectis (1), ac paulo post Πάρεργον *inscriptionum latinarum.*

Mihi haud ita videor a veritate recedere, quum Morcellio, qui diligenti studio et amore e latinorum scriptorum paginis et penitiori antiquitate, germanas et concisas inscriptionum formulas excitavit, neque praeceptis modo, sed et propositis optimis ad imitandum exemplis, artis veluti regulas et fundamenta constituit, quum Morcellio, inquam, acceptum referendum maxime putem, si apud Italos mos rursus viguit, ut inscriptiones aurea latina lingua efferrentur.

Nemo profecto strenuos illos et elegantissimos viros ignorat, qui tum superiore aetate, tum nostra, Morcellianis vestigiis insistentes, atque multa ex illius opere in rem suam transferentes, latinis inscriptionibus exaratis, candorem veterum et elegantiam sunt aemulati. Et nobiles quidem accepimus vel ipsi vidimus, praeter Guidum Ferrarium novariensem, (cuius etsi tempore Morcellio superioris, praetermissi valida religio fuisset) Philippum Schiassium, bononiensem (2), Andream Bordam ticinensem (3), Angelum denique Maium, quem

(1) Romae MDCCLXXXIII, in-fol.

(2) Steph. Antonii Morcellii et Philippi Schiassii de Napoleone magno aug. Imp. Gallorum Rege Italiae deque rebus ad Italiae regnum pertinentibus Inscriptiones quas Michaël Ferruccius in unum collectas nunc primum edendas curavit. Lutetiae Parisiorum excudebant Firmin Didot fratres an. MDCCCLVIII, in-8°.

(3) Fasciculus inscriptionum adiectis commentariis Austriacam domum augustam, principes foederatos, duces, magistratus maiores, admissionales et archiereos ex proposito vel obiter memorantium, quas Andreas Borda Ticino sodalis vetus Dominicianus animi atque devotionis ergo pangebat. Homobonus Maninius typis propriis excudendum curavit Mediolani anno MDCCCXXIII, in-8°.

nuper studiis ereptum, religioso potius silentio decorandum hic puto, quam brevi quadam ac debili laude. Nec insignes illi sunt omittendi, Faustinus Gagliuffius ragusinus, cuius inscriptiones elegantia diffusas et poëtico splendore distinctas collegit edidilque Ioannes Antonius Scazzola ab Alexandria Statiellorum anno MDCCCXXXVII (1); Bartholomaeus Catena mediolanensis, Nicolaus Ciampittius neapolitanus (2), Gabriel Laureanus romanus (3), Michaël Ferruccius bononiensis (4) Caelestinus Cavedonius mutinensis, L. Lanfranchius ticinensis, Amadeus Ronchinius parmensis (5), tum vero Iesaias Carminatius, Iosephus Paria, Antonius Angelinius (6) et Iosephus Marchius, sacerdotes e societate Iesu, postremo Petrus Paulus Liviranius et Iosephus Rossius faventini, Iosephus Silvestrius florentinus (7), Didacus Vitriolius rheginus, Franciscus Massius romanus, Michaël Ferrinius perusinus, Caietanus Barbatius neapolitanus, Stephanus Viglionius a Ma-

(1) M. F. Gagliuffi Ragusini Inscriptiones cura et diligentia I. Antonii Scazzola ab Alexandria primum in lucem editae. Alexandriae, typis Aloisii Capriolo, MDCCCXXXVII, in-8°.

(2) Nicolai Ciampittii opera nuper collecta in unum et recognita a Caietano Barbati. Editio altera. Neapoli, ex typographeo A. Manutii, ann. MDCCCXLIX, in-8° (In hoc volumine a pag. 331 ad pag. 411 leguntur Ciampittii inscriptiones).

(3) Viri clarissimi Gabrielis Laureani Orationes, Carmina et Inscriptiones. Romae, ex typographia Bonarum Artium MDCCCLV, in-8° (a pag. voluminis 137 ad pag. 190 leguntur inscriptiones).

(4) Inscriptiones prostantes Florentiae in hypogeo mausolei Medicei. Pisis, ex officina Nistriana anno MDCCCLVIII, in-8°.

(5) Fasti rerum gestarum a D. N. Maria Ludovica...... ab anno MDCCCXIV ad ann. MDCCCXXXVIIII. Parmae, ex officina Philippi Carmignanii MDCCCXXXX, in 4°.

(6) Orationes studiis auspicandis habitae, Commentarius, Epistolae, Ellogia, Inscriptiones Antonii Angelinii e societate Iesu. Editio altera. Romae, ex officina libraria C. A. Bertinelli, MDCCCLVII, in-8°.

(7) Inscriptiones XXXV et CCC adlectis nonnullis carminibus et Commentario de vita Benedicti XIV Pont. Max. auctore Iose-

leto (1), Laurentius Fantozzius sabinianensis (2), Franciscus Rocchius bononiensis (3), Iosephus Zammit melitensis (4), Aloisius Palumbus et Antonius Mirabellius, neapolitani, Morichinius Card. aliique nonnulli, qui omnes praeclarum huic litterarum provinciae nomen dederunt.

Quod si inter patriae terminos manere velimus, probatissimos in Subalpinis inscriptionum scriptores invenias Iosephum Franciscum Regis monregalensem, Iosephum Vernazzam albensem, Prosperum Balbum et Michaëlem Provanam Sabbionium, taurinensem utrumque, postremo Laurentium Costam et Philippum Poggium, genuenses. Iosephus etiam Vernazza hanc sibi vindicat laudem, primum videlicet intermortuum paene pulcri sensum et sinceram elegantiam, quam iampridem Emmanuel ille Thesaurus, foecunditate ingenii iuxta atque insania notus, omnem ex hac etiam extrema Italiae parte abegerat, quodammmodo refovisse. Sed longe omnium praeclarissimus habitus est Carolus Boucheronus taurinensis, in cuius inscriptionibus, prosa oratione exaratis,

pho Silvestrio Canonico honorario pistoriensi, Equite Iosephiano Merentium, et Rectore emerito Collegii Cicogninii Prati - Florentiae, typis custodiarii moribus reformandis, MDCCCLII, in-4°.

Appendix Inscriptionum XXX adiicienda inscriptionibus XXXV et CCC, quas I, Silvestrus Florentiae evulgavit an. MDCCCLII. Pistorii, typis Atthonis Bracalii MDCCCLVI in-4°.

(1) Stephani Viglionii Lucubrationes. Neapoli, ex Varri tipographeo MDCCCLV, in-8° (a pag. voluminis 395 ad pag. 408 leguntur Viglionii inscriptiones).

(2) Specimen inscriptionum Laurentii Fantozzii, Canonici Sabinianensis. Patavii, typis seminarii, MDCCCLXI, in 8°.

(3) Inscriptiones, queis sub praesentia Pii IX Pont. Max. opera publica et templa urbis (Bononiae) ex publ. auctoritate ornata sunt anno fausto felici MDCCCLVII, in-8°.

(4) Iosephi Zammit sacerdotis melitensis Carmina et Inscriptiones - Pars II. Inscriptiones, Melitae, typis Zephyrini Micallef an. MDCCCLXIV, in-8°.

doctissimi viri affectuum suavitatem, miram elgantiam, puram et concisam dicendi rationem laudant, quae huiusce litterarum generis potissimae artes habentur. Caroli Boucheroni inscriptiones Thomas Vallaurius evulgavit, egregius illius disciplinae alumnus, ac demum in illius locum doctor latinae eloquentiae tradendae suffectus in R. Archigymnasio taurinensi (1); quo facto, humanissimi et grati animi indicium ostendit.

Sed amatissimi magistri memoriam sat non fuit hoc honoris testimonio afficere, nisi, quod verus honos et coniunctissimi cuiusque pietas est, etiam similitudine decoraret; quod quidem praestitit illius vestigiis insistens atque eleganti scribendi genere praestantiam disciplinae testatus. Nos vero has Thomae Vallaurii inscriptiones tibi offerentes, candide lector, hoc praesertim nomine fecisse putes, ut harum rerum studiosis consultum esset, et patriae historiae quaedam quodammodo monumenta, quantum a nobis fieri posset, sarta tecta servarentur. In hisce enim inscriptionibus, non insignium modo virorum, qui sui admirationem omnibus iniecerunt, mentionem invenias, sed eorum quoque, qui nobilissimi privatis virtutibus, vel cum honore magistratibus in patria functi, ipsa modestia delitescunt ac suo salutari exemplo posteros quodammodo fraudant. Praeterea perspicua et eleganti brevitate exaratos, en tibi Fastos rerum gestarum a Rege Carolo Alberto et a Pio IX Pont. Max. His accedunt inscriptiones, quae superioribus annis carptim prodierunt in diario taurinensi, cui ab *Unitate Catholica* nomen est factum, quaeque ἐλέγχοις Italorum fuerunt praepositae, qui donis ultro missis, rebus afflictis opitularentur Pontificis maximi, quem modo memoravi.

(1) Caroli Boucheroni Inscriptiones perpetuis animadversionibus auxit Thomas Vallaurius. Accedit vita Caroli Boucheroni. Augustae Taurinorum, ex officina regia, anno MDCCCL. in - 8°.

Quod si te, candide lector, harum potissimum elegantiarum studia iuvant, hinc discas, proposito Thomae Vallaurii exemplo, quanta et felicitate et elegantia et novitate dicendi, ea ex antiquitatis penu peti maxime possint, quae ad recentiores res significandas optime aptantur; ita ut, si eorum sententia qui negant, posse recentiorum res, quae ad leges, inventa incrementaque pertinent, quibus hodierna humanitas gloriatur, commode per latinam linguam efferri, aliqua tandem ratione potest refutari, hisce praesertim Vallaurii inscriptionibus sit refutanda; quarum praestantiam etiam tibi commendarem, ni ipsae suo marte pugnarent, et te, candide lector, tibi legenti, magis quam mihi credere vellem. Vale.

Dabam Augustae Taurinorum, pridie Cal. April. an. M. DCCC. LXV.

INSCRIPTIONES SACRAE

INSCRIPTIONES SACRAE

I.

Clusiae apud Cuneenses, in fronte aedis Rochianae.

An. M. DCCC. XXX.

ADSIS . MORTIFERO . PRAESENS . ORAMVS . IN . AESTV

II.

Albae Pompeiae, in cella Sancti Theobaldi.

An. M. DCCC. LI.

ANNO . M . DCCC . XL . III . ID . APRILES
GREGORIVS . XVI . PONT . MAX . ADNITENTE . CONSTANTIO
MICHAELE . FEA . EPISCOPO . ALBENSIVM . CAELESTES . HONORES
RITE . DECREVIT . THEOBALDO . VIRO . SANCTISSIMO . CVIVS
PRAESENS . AVXILIVM . MVLTIS . SAEPE . PRODIGIIS . IAM . INDE
A . SAECVLO . CHRISTIANO . XIII . CIVIBVS . FVERAT . OBLATVM
ANNO . INSEQVENTI . VIIII . VIII . VII . CAL . SEXTIL .
HONORI . S . THEOBALDI . FESTVM . MAGNIFICO . APPARATV
CELEBRATVM . EST . CVI . ADSPECTV . REGIS . CAROLI . ALBERTI
ET . VICENSIVM . FREQVENTIA . DIGNITAS . ACCESSIT . TANTAE
REI . MEMORIAM . CVRATORES . SODALITATIS . AD . POSTEROS
PROROGANDAM . CENSVERVNT

III.

Clarasci, ad S. Mariae.

An. M. DCCC. LIII.

IN . HONOREM . MARIAE . AVGVSTAE . GENETRICIS . DEI
CVIVS . AVXILIO . HOSTES . CHRISTIANI . NOMINIS . DEVICTI . SVNT
PATRONAE . CLARASCENSIVM . PRIMAE
VINCENTIVS . FERRERVS . PONZILIONVS . COMES . BVRGI . ALENSIS
IVRIS . PONTIFICII . CIVILISQVE . CONSVLTVS
ADLECTVS . INTER . CVRATORES
STVDIIS . HISTORIAE . PATRIAE . PROVEHENDIS
EQVES . ORDINIS . MAVRITIANI
MAGISTER . PERPETVVS . SODALIVM . MARIALIVM
ALTARE . LORICAM . PAVIMENTVM . SVA . IMPENSA . FECIT . E . MARMORE
CELLAM . TYPIS . GYPSEIS . INAVRATIS
ET . OMNI . CVLTV . EXORNATAM
SACRA . SVPELLECTILE . INSTRVXIT . AN . M . DCCC . XXXVI .
IDEMQVE . DEDICANDAM . CVRAVIT
III . CAL . SEPTEMBRES . AN . S . S .
QVO . DIE . CONSTANTIVS . MICHAEL . FEA
PONTIFEX . ALBENSIVM . POMPEIANORVM
FREQVENTI . CIVIVM . ADVENARVMQVE . CONVENTV
CAELESTIS . REGINAE . SIGNVM . CORONA . REDIMIVIT
QVAE . SEPTIMO . QVOQVE . ANNO . DEBETVR . EX . VOTO
SALVE . O . VIRGO . MATER
VOLENS . PROPITIA . CLIENTEM . TVVM
TOTAMQVE . PONZILIONIAM . DOMVM . MAIESTATI . TVAE . DEVOTAM
PRAESENTI . SOSPITES . OPE

IV.

Bennettis, in aede curiae.

AN M. DCCC. LIIII.

OMNIPOTENTI . DEO . SACRVM
IN . HONOREM . IACOBI . MAIORIS . APOSTOLI
CVRATORES . AEDIS . ALTARE . MAXIMVM
CVM . PAVIMENTO . ABSIDIS . ET . SACRARII
FECERVNT . E . MARMORE
IOAN . THOMAS . GHILARDIVS . PONTIFEX . MONREGALENSIVM
RELIQVIIS . AGELLI . ET . VALENTINI . MARTYRVM
ALTARI . INLATIS
III . NON . DECEMBR . AN . M . DCCC . LIIII .
SOLLEMNIBVS . CAEREMONIIS . RITE . CONSECRAVIT
IVVENALIS . GROSSVS . CVRIO
AD . MEMORIAM . AVSPICATISSIMI . DIEI . CONSIGNANDAM
POSVIT . AN . M . DCCC . LV .

V.

In loco incerto.

An. M. DCCC. LVII.

AN . M . DCCC . LVII .
ALTARE . OMNIPOTENTI . DEO . SACRVM
IN . HONOREM
D . N . MARIAE . AB . ORIGINE . LABIS . NESCIAE
N . N . EXTRVENDVM . CVRAVIT . IDEMQVE . ANNVVM PROVENTVM . ADTRIBVIT . HAC . LEGE . VT . SINGVLIS MENSIBVS . FERIA . QVAQVE . III . HEBDOMADIS . TERTIAE SACRVM . FIAT . IN . PERPETVVM . AD . EXPIANDA . ADMISSA QVIBVS . NEFARII . HOMINES . DIEBVS . FESTIS . VIOLATIS ET . PROBRA . IN . DEVM . IACTANDO . SE . OBSTRINGERE CONSVEVERVNT

ITEM . XII . CAL . FEBRVARIAS . SACRVM . FIAT . QVOTANNIS AD . LABES . ABOLENDAS . PIORVM . MANIVM . REGIS CHRISTIANISSIMI . LVDOVICI . XVI . QVEM . CATHOLICAE RELIGIONIS . ET . REGII . NOMINIS . OSORES . ACERBO FVNERE . SVSTVLERVNT

PER . HOSCE . DIES . DVM . SACERDOS . AD . ALTARE SACRIS . OPERABITVR . PSALMVM . *MISERERE* . ADSTANTES CONCINVNTO . REPETITA . TER . PRECE . *PARCE . ETC* .

ITEM . XI . CAL . MARTIAS . SACRVM . FIAT . PER . OMNES ANNOS . EX . DONANTIS . MENTE . PRO . AETERNA . PACE EIVS . FAMILIAE . ET . PROPINQVORVM

QVO . DIE . SACRVM . RITE . PERACTVM . SEQVATVR . CANTVS HYMNI . *AVE . MARIS . STELLA* . ET . PSALMI . *DE . PROFVNDIS . ETC* .

VI.

Eporediae, in fronte templi maximi.

An. M. DCCC. LVII.

AEDEM . VETERVM . SVPERSTITIONE . EXCITATAM
AB . VLTIMA . CHRISTIANI . NOMINIS . MEMORIA
DEO . VNI . AETERNO . SACRAM
IN . HONOREM . SANCTAE . MARIAE
OPERIBVS . SVBINDE . AMPLIATIS . ET . CVLTV . ADDITO . RESTITVTAM
ALOISIVS . MORENVS . PONTIFEX . EPORED . ET . CANONICI
ARCVS . ET . DVARVM . CELLARVM . ACCESSIONE
NOVA . FRONTE . SIGNIS . ANAGLYPTIS . EXORNARVNT
AN . M . DCCC . LIIII .
VTI . MONVMENTVM . ESSET . FAVSTISSIMI . DIEI
QVO . PIVS . VIIII . PONTIF . MAX .
VIRGINEM . MATREM . AB . ORIGINE . LABIS . EXPERTEM
RITE . PRONVNTIAVIT

VII.

Monteregali, ad S. Philippi.

XVI. cal. novembres an. M. DCCC. LVIII.

HODIE
SODALES . PVERIS . SINENSIBVS . REDIMENDIS
SACRIS . SOLLEMNIBVS . OPERAMVR
TEMPLO . SVCCEDITE . CIVES
PRECATVRI . VTI . IESVS . INFANS
CVIVS . IN . TVTELA . SVMVS
VOLENS . PROPITIVS . VOTIS . NOSTRIS . ADNVAT

VIII.

Fossani, ad S. Iuvenalis in Lampade.

An. M. DCCC. LVIII.

SANCTO . IVVENALI
OPIFERO
BENEDICTVS . VIARA
D . D . LIBENS . MERITO
AN . M . DCCC . LVIII .

IX.

Vigone, ad S. Mariae.

An. M. DCCC. LIX.

INFANTI . DEO
IN . HONOREM . S . IOSEPHI . VIRI . D . N . MARIAE
S . FRANCISCI . XAVERII
PROPAGATORIS . NOMINIS . CHRISTIANI
GEORGII . OPPETII . CIVIS . N.
CAELITIS . BEATI
VIGONENSES . PRAEEVNTE . F . X . REGGIO . PRAEPOSITO
DEDICAVIMVS . AN . M . DCCC . LVIIII .

X.

Gaiolae apud Cuneates, in fronte aedis Curiae.

An. M. DCCC. LX.

FRONTEM . AEDIS
IN . HONOREM . S . MARIAE . SIDERIBVS . RECEPTAE
SQVALLORE . DETERSO
NEOCORI . PICTVRA . EXCOLVERVNT
SACRAM . TVRRIM . ALTIVS . EDVCTAM
CVRATORES . MVNICIPII
TECTORIO . OPERE . EXORNARVNT
AN . M . DCCC . LX .

XI.

Viglevani, ad S. Francisci Assisiatis.

An. M. DCCC. LX.

TEMPLVM . S . FRANCISCO . ASSISIATI . SACRVM
CVIVS . ABSIDEM . ET . TVRRIM
SEC . XV . EXCITAVIT . S . BERNARDINVS . SENENSIS
ADNITENTE . PIO . FORZANIO . EPISCOPO . VIGLEVANENS .
PROCVRANTE . SAMVELE . GIVDICE . PRAEPOSITO
IN . MELIOREM . FORMAM
PIORVM . CIVIVM . LARGITATE . RESTITVTVM
CVLTVQ . SPLENDIDIORE . EXORNATVM
NOMINE . ET . IVRE . CVRIAE . DIONYSIACAE
DONATVM . EST . AN . M . DCCC . LII .

XII.

III. cal. sextil. an. M. DCCC. LXI.

VIRGINI . MATRI
OPIFERAE
THOMAS . VALLAVRIVS
E . DIVTVRNO . MORBO . RECREATVS
V . S . L . M .

XIII.

Mutinae, ad Ss. Fausti et Iovitae.

IV. id. novembr. an. M. DCCC. LXI.

BENEDICTO . IOS . LABRE
COELITI . BEATO . NOVENSILI
SACRA . SOLLEMNIA
TEMPLO . SVCCEDITE . QVOTQVOT . PII . ESTIS
ADORATVRI . QVEM . ARDENS . VIRTVS . AD . DEVM . EVEXIT

XIIII.

S. Agathae (vulgo Santhià), apud Vercellenses.

An. M. DCCC. LXII.

AEDEM . VETERVM . SVPERSTITIONE . SVBLATA
OLIM . SANCTO . STEPHANO
POSTMODVM . S . AGATHAE . SACRAM
TEMPORIS . INIVRIA . DILABENTEM
CIVES . ET . MVNICIPII . CVRATORES . ET . NEOCORI
ET . PII . SODALES . QVI . OPEM . CAELESTEM
MANIBVS . DEFVNCTORVM . IMPLORANT
AERE . COLLATO . RESTITVERVNT . AN . M . DCCC . XXXVI .
NOVO . CVLTV . EXORNARVNT . AN . M . DCCC . LXI .

XV.

Salutiis, in templo maiori.

An. M. DCCC. LXII.

IOANNI . ANTONIO . GIANOTTIO . ARCHIEP.
PONTIFICI . SALVTIENSIVM
QVOD . IMPENSA . SVA . CELLAM . CORPORIS . CHRISTI
OPERE . TECTORIO . MARMORATO . LORICANDAM
AVRO . PICTVRIS . ALTARI . MARMOREO . EXORNANDAM . CVRAVERIT
IV . VIRI . SODALIBVS . EVCHARISTICIS . REGENDIS
POSVERVNT . AN . M . DCCC . LXII .

XVI.

In aede S. Mariae ad Pontem Longum, apud Albium Ingaunum.

An. M. DCCC. LXIII.

XVIII . CAL . SEPTEMBR . AN . M . DCCC . LXIII .
IMAGO . MARIAE . VIRGINIS . AD . PONTEM . LONGVM
EX . HAC . AEDICVLA . POMPA . DVCTA
IN . MAXIMVM . VRBIS . TEMPLVM
INCREDIBILI . ALBINGAVNENSIVM . ET . FINITIMORVM . FREQVENTIA
EST . TRANSLATA
IBI . PER . TRIDVVM . SOLEMNI . RITV . SACRVM . FECERVNT
RAPHAEL . BIALE . PONTIFEX . ALBINGAVNENSIVM
LAVRENTIVS . BIALE . PONT . ALBINTIMILIENSIVM
ALEX . OCTAV . RICCARDIVS . NETRIVS . PONT . SAVONENSIVM
ITEM . PRAESTANTISSIMI . ORATORES
CONCIONES . AD . POPVLVM . HABVERVNT

PER . IDEM . TEMPVS . VNIVERSA . GESTIENTE . CIVITATE
PEGMATA . SVB . NOCTEM . INCENSA
VIAE . ET . DOMVS . VRBIS
FACIBVS . CEREISQVE . COLLVXERVNT

XVI . CAL . SEPTEMBR . PONTIFICES . Q . N . S . S . S .
SERENA . LVCE . IN . AREA . VRBIS . MAIORE
IMAGINEM . VIRGINIS . AVGVSTAE . CORONA . REDIMIERVNT
EANDEMQVE . INNVMERA . CIVIVM . PROSEQVENTE . MVLTITVDINE
IN . AEDICVLAM . RETVLERVNT

XVI . VIRI . AVCTORES . TRIDVANAE . SOLEMNITATIS
VT . TANTAE . REI . MEMORIA . AD . POSTEROS . PROROGETVR
TITVLVM . INSCVLPENDVM . CVRARVNT

Inscriptiones evulgatae an. M. DCCC. LXIIII. *quum novendialis supplicatio esset in honorem Mariae Sanctae ab origine immaculatae.*

XVII.

APOSTOLORVM . REGINA . IMMACVLATA
PIO . IX . P . M . GLORIAM
RVENTI . ITALIAE . SALVTEM . EFFLAGITAMVS

XVIII.

MATER . POTENS . LABIS . NESCIA
INFERNI . DRACONIS . CAPVT . PROTERE
ECCLESIAM . FILIOSQVE . TVOS . APPETENTIS

XIX.

SPONSA . PVRA . ET . FIDELIS
TRIVMPHVM . CHRISTIANI . NOMINIS . ET . PII . IX .
VIRTVTE . TVA . CONFISI . EXPECTAMVS

XX.

MVLIER . OMNIS . EXSORS . CVLPAE
GAVDENS . VOCARI . SPECVLVM . IVSTITIAE
DEI . ET . ROM . PONTIFICIS . IVRA . TVERE

XXI.

VIRGO . AMABILIS . CANDIDIOR . NIVE
INTESTINIS . ODIIS . ABLEGATIS
ITALORVM . STVDIA
IN . CHRISTVM . EIVSQVE . VICARIVM . INCENDE

XXII.

SEDES . SAPIENTIAE . INTEMERATA
DEERRANTES . ITALOS
REDVC . AD . SVMMI . PASTORIS . OVILE

XXIII.

ROSA . NVLLIS . SORDIBVS . INQVINATA
ITALIAM . SVBMOVE . AB . IMMVNDITIIS
TETRVM . ODOREM . SPIRANTIBVS

XXIIII.

FOEDERIS . ARCA . NITENTIOR . LILIO
ITALOS . CONCORDI . FOEDERE . IVNCTOS
INCLINA . IN . PIVM . IX . PONT . MAX .

XXV.

ANGELORVM . DOMINA . INTEMERATA
IMMINENTES . PIO . IX . DAEMONES . DISIICIAS
REGNVM . DEI . FOVEAS . PRECAMVR

XXVI.

O . BONA . MATER
IN . TE . SPEM . POSVIT . PIVS . IX . P . M .
QVVM . IN . SECESSV . CAIETANO
DE . GLORIA . TVA . COGITARET
NEC . SVA . IPSVM . SPES . FEFELLIT
MAGNIS . ACERBITATIBVS . DILACERATI
IN . TE . SPEM . PONIMVS . ITALI
DVM . LABIS . EXPERTEM . PIE . RECOLIMVS
NE . FRVSTRA . SPES . NOSTRA . SIET
O . BONA . MATER . FACITO

XXVII.

S. Hilarii Liguris, apud Ligures Orientales, in aede Curiae.

AN. M. DCCC. LXV.

AEDEM . OMNIPOTENTI . DEO . SACRAM
IN . HONOREM . S . HILARII . EPISC . ET . DOCTORIS
TEMPORVM . VETVSTATE . CORRVPTAM
CLERVS . POPVLVSQVE . PECVNIA . COLLATITIA . INSTAVRARVNT
PICTVRIS . EXORNARVNT . AN . M . DCCC . LVII .
MARMOREO . SVGGESTO . INSTRVXERVNT
AN . M . DCCC . LX .

XXVIII.

Ibidem.

XII . CAL . OCTOBRES . AN . M . DCCC . LXIII .
CVRANTE . IOSEPHO . DAGNINO . PRAEPOSITO
VICANIS . LAETITIA . GESTIENTIBVS
ANDREAS . CHARVAZ . ARCHIEP . N . VIR . EXC .
TEMPLVM . NOVO . CVLTV . RESTITVTVM
RITE . CONSECRAVIT . INDICTO . ANNIVERSARIO . DIE
IN . DOMINICVM . MENSIS . IVLII . VLTIMVM

XXIX.

Nicoterae, in Brutiis, ad S. Mariae Immaculatae.

An. M. DCCC. LXV.

VT . PIETATIS . MONVMENTVM . EXTARET
LAVREANIAE . GENTIS
ERGA . VIRGINEM . MATREM . AB . ORIGINE . LABIS . NESCIAM
VINCENTIVS . LAVREANIVS . CANON . ET . PASCHALIS . FRATER
AEDICVLAM . A . SOLO . EXCITARVNT
ET . ANNVO . PROVENTV . INSTRVCTAM . DEDICAVERVNT
AN . M . DCCC . LXV .

XXX.

Sancti Romuli, apud Ligures,
ad aedem Virginum Salesianarum.

An. M. DCCC. LXV.

ADESTOTE . CIVES . PII . VOLENTES
HODIE . SALESIANAE . VIRGINES . DEO . DEVOTAE
SACRA . SOLLEMNIA . OBIMVS
MARGARITAE . MARIAE . ALACOQVE
CVI . PIVS . IX . PONT . MAX .
HONORES . COELESTIVM . NVPER . DECREVIT
PRECAMINOR . VT . TALI . MAGISTRA . ET . DVCE
MORTALIA . CONTEMNENTES
VNO . IN . AMORE . SANCTISSIMI . CORDIS . IESV
CONQVIESCAMVS

INSCRIPTIONES HONORARIAE

INSCRIPTIONES HONORARIAE

XXXI.

Saviliani, ad S. Andreae.

An. M. DCCC. XXXXII.

HONORI . ET . MEMORIAE
MICHAELIS . MVRATORII
VIRI . NOBILIS . SAVILIANENSIS
QVI . XVII . CAL . NOVEMBRES . AN . M . DCC . XVII
CANONICATVM . ET . SACERDOTIVM . TITVLO . SPIRITVS . S .
TESTAMENTO . CONSTITVIT . EA . LEGE . VT . QVOTIDIANA
HOSTIA . PERLITETVR . IN . ALTARI . TITVLI . SVPRA . SCRIPTI
ET . SACRVM . SOLLEMNE . FIAT . QVATER . IN . ANNO . AD
LABES . ABOLENDAS . PIORVM . MANIVM . GENTIS . SVAE
ALOISIVS . NAZARIVS . A . CALABIANA
EQVES . DOCTOR . THEOLOGVS . CANONICVS . R . SCHOL . MODERATOR .
A . PRIVATIS . LARGITIONIBVS . REGIS
AN . M . DCCC . XXXXII
F . C .

XXXII.

Augustae Taurinorum, in aedibus Athenaei sub marmorea protome.

An. M. DCCC. L.

LAVRENTIO . MARTINIO

DOMO . CAMBIANO
DOCTORI . DECVRIALI . MEDICINAE . TRADENDAE
VIRO . SVI . IVDICII
A . POPVLARI . IACTATIONE . REMOTO
QVI . PARTA . IAM . NOMINIS . CELEBRITATE
INOPINA . MORTE . PRAEREPTVS . EST
III . NON . APRILES . AN . M . DCCC . XXXXIIII.
VIII . VIRI . ATHENAEO . MODERANDO
AN . M . DCCC . L.
P . P .

XXXIII.

In libro qui inscribitur:

Thomae Vallaurii Orationes habitae in auditorio max. R. Athenaei Taurinensis.

An. M. DCCC. LII.

HONORI . ET . MEMORIAE
CAROLI . BOVCHERONI
QVI . LATINORVM . SCRIPTORVM
AETATIS . SVAE . LONGE . NOBILISSIMVS
EGREGIVS . ANTIQVITATIS . VINDEX
HABITVS . EST
THOMAS . VALLAVRIVS
SVAVISSIMI . PRAECEPTORIS
DESIDERIO . TACTVS
HANC . ORATIONEM . DEDICAT

XXXIV.

Augustae Taurinorum (frustra).

PAVLLO . SACCHIO

DOMO . IVLIA . IRIA

MILITI . LEGIONIS . MANVBALLISTARIORVM

QVI . PARATVS . CERTAE . OCCVMBERE . MORTI

AVGVSTAM . TAVRINORVM . AB . EXCIDIO . VINDICAVIT

VI . CAL. MAIAS . AN . M . DCCC . LII

QVO . DIE . OFFICINA . PVLVERIS . IGNESCENTIS

IN . SVBVRBIO . AD . DVRIAM

SVBITO . CONFLAGRAVIT

CVRATORES . MVNICIPII . TAVRINENSIS

VIRO . FORTI . STRENVO . B . M .

ANNVA . PENSIONE . ADSIGNATA . PP .

XXXV.

Iaderae apud Dalmatas, in conclavi maximo bibliothecae.

An. M. DCCC. LV.

PETRO . ALEXANDRO . PARAVIAE

DOMO . IADERA

IVRIS . VTRIVSQVE . CONSVLTO

DOCTORI . DECVR . ITAL . ELOQVENTIAE . ET . HISTORIAE . PATRIAE

IN . LYCEO . MAGNO . TAVRINENSI

A . CONSILIIS . REGIS . SARDINIAE

SODALI . FLORENTINO . LINGVAE . ITAL . CONSERVANDAE . EXCOLENDAE

SCRIPTORI . SVI . TEMPORIS . POLITISSIMO

IN . COMPLVRES . ORDINES . EQVESTRES . ADLECTO

QVOD . BIBLIOTHECAM

OPTIMIS . QVIBVSQVE . LIBRIS . INSTRVCTAM . PRIMVS . PVBLICARIT

CIVES . MVNICIPI . ILLVSTRI . BENEMERENTI

AN . M . DCCC . LV

PP .

XXXVI.

Titulus basi inscribendus, si libeat, statuae Christophori Columbi.

CHRISTOPHORO . COLVMBO
GENERE . MONFERRATENSI . DOMO . LIGVRI
CVIVS . EGREGIA . VIRTVS
NVLLIS . PERICVLIS . DETERRITA
NVLLIS . DIFFICVLTATIBVS . RETARDATA
NOVVM . ORBEM . INVENIT
CHRISTIANI . NOMINIS . DECVS . ADAVXIT
SVBALPINI . ET . LIGVRES
AB . STIRPE . IAM . SIMILES . IISDEM . NVNC . LEGIBVS
IN . VNAM . GENTEM . COALESCENTES
CIVI . IMMORTALI
CONCORDES . POSVERVNT

XXXVII.

Missa cum Libello, cui titulus:

Il Barbiere del Rinchiuso., Novella di Filarco Epidaurico.

TERENTIO . MAMIANIO . RVVEREO
ELEGANTI . POLITIORVM . LITTERARVM . SPECTATORI
ITALICAM . SCRIPTIVNCVLAM
PER . AVTVMNALE . OTIVM
ANIMI . CAVSA . CONCINNATAM
ΦΙΛΑΡΧΟΣ . ΕΠΙΔΑΤΡΙΚΟΣ
D . D .

XXXVIII.

An. M. DCCC. LXIII.

IN . HONOREM
CAROLI . CACCIAE . DOMINIONII
EPISCOPI . FAMAE . AVGVSTAE
VICARIA . POTESTATE . ANTISTITIS . MEDIOLANENSIVM
CVIVS . INVICTA . LENITATE
OFFICII . DIGNITAS . INTAMINATA . FVLSIT . IVS , STETIT . LIBERI . CIVIS
CATHOLICI . MEDIOLANENSES . COLLATITIAM . PECVNIAM . MITTVNT
AD . PARANDAM . CRVCEM
INSIGNIS . PATIENTIAE . FORTITVDINIS . VICTORIAE . MONIMENTVM

XXXIX.

In theca aureae crucis.

An. M. DCCC. LXIII.

CAROLO . CACCIAE . DOMINIONIO
EPISCOPO . FAMAE . AVGVSTAE
VICE . SACRA . ANTISTITI . MEDIOLANENSIVM
AVREAM . CRVCEM . GEMMIS . DISTINCTAM . CLARISSIMIS
DEFERVNT . CATHOLICI . EX . VNIVERSA . DIOECESI
VIRVM . FORTEM . ADMIRATI
QVI . HOSTES . CHRISTIANAE . CRVCIS
BLANDIENTES . RISIT . IMPERIOSOS . NON . EXPAVIT

XL.

Augustae Taurinorum, in aede S. Mariae ad Plateam sub marmorea protome.

An. M. DCCC. LXV.

DOMINICO . FRANCISCI . F . BOGGIO

DOMO . VALPERGIA . IN . SALASSIS
SACERDOTI . ANTIQVAE . PIETATIS . ET . CONTINENTIAE
QVI . TEMPLVM . HONORIS . SVI . NOVO . CVLTV . EXORNAVIT
ORGANO . MVSICO . INSTRVXIT
CVRIAE . PRAEFVIT . ANN . XXXVII . VIXIT . ANN . LX . M . X .
LENITATIS . DOCTRINAE . LIBERALITATIS . LAVDE . CLARISSIMVS
INVICTO . ANIMO . DECESSIT
XIIII . CAL . OCTOBR . AN . M . DCCC . LXII .
OMNI . SVBSTANTIA . SVA . IN . MISERORVM . SOLATIVM . TRANSMISSA
CVRIALES . AMORIS . CAVSA
MARMOREAM . PROTOMEN . DEDICARVNT

XLI.

Mutinae.

An. M. DCCC. LXV.

QVVM . THOMAS . GAVDENTIVS

DOMO . BONONIA
INTER . SODALES . DOMINICIANOS . SVOS . MAGISTER
II . VIR . STVDIIS . MODERANDIS
IN . BONONIENSI . COENOBIO
AN . M . DCCC . LXV . MVTINAE . AD . S . DOMINICI
PER . IEIVNIVM . QVADRAGENARIVM . ORATOR
AVDIENTIVM . MENTES . TENVERIT . PECTVS . PERVASERIT
VOLVNTATES . QVO . VELLET . IMPVLERIT
ALIIS . DOCTRINAM . ALIIS . PIETATEM
CVNCTIS . FLEXANIMAM . ELOQVENTIAM . MIRANTIBVS
OB . QVAM . MAGNI . AD . EVM . CIVIVM . CONCVRSVS . FIERENT
ANTONIVS . MASINELLIVS . SACERDOS
EGREGIVM . EXANTLATI . LABORIS . PRAEMIVM
AMICVS . AMICO . GRATVLATVR

XLII.

AN. M. DCCC. LXV.

IOANNI . BAPTISTAE . MARCVCCIO
SACERDOTI . LVCENSI
SCRIPTORI . AETATIS . NOSTRAE . POLITISSIMO
QVI . EX . GERMANA . ALIGHERII . DOCTRINA
CIVILEM . PONTIFICIS . MAX . PRINCIPATVM
SOLLERTER . ADSERVIT
CATHOLICAE . SAPIENTIAE . SECTATORES
LIBENTES . MERITO . PLAVDVNT

XLIII.

In theca aureae crucis.

AN. M. DCCC. LXV.

PETRO . ALOISIO . SPERANTIAE
PONTIFICI . BERGOMATIVM
QVEM . PIETATE . FORTITVDINE . INSIGNEM
ALIQVA . MALA . CRVX
NOVIS . SEMPER . CRVCIAT . MODIS
CLERVS . POPVLVSQVE
CRVCEM . AFFABRE . FACTAM . EX AVRO
SMARAGDIS . ET . POLYGONIO . ADAMANTE
REFVLGENTEM
LAETI . LIBENTES . DEFERVNT
AMORIS . OBSEQVII . GLORIAE . MONIMENTVM

XLIV.

An. M. DCCC. LXV.

DAVIDI . EMMANVELLIO
DOMO . VALENTIA . AD . PADVM
SACERDOTI . OPTIMO
INGENII . FESTIVITATE . EXPOLITIORE . DOCTRINA
SCRIBENDI . ELEGANTIA
NOBILI . INTER . AEQVALES
THOMAS . VALLAVRIVS
PLAVTINAM . AVLVLARIAM . ANIMADVERSIONIBVS . AVCTAM
VIRO . ILLVSTRI . BENEMERENTI
D . D .

XLV.

In finibus Cadraliensibus.

An. M. DCCC. LXV.

FRANCISCO . CLEMENTI . MANZINIO
EPISCOPO . CVNEATIVM
QVOD . AVITO . SACRARIO
GENTIS . GALLEANIAE . AB . ALLIANO
AMPLISSIMIS . PRIVILEGIIS . HONESTÁTO
SAEPIVS . SVCCESSERIT
PIVS . GALLEANIVS . AB . ALLIANO . COMES
AD . MEMORIAM . TANTAE . HVMANITATIS
POSVIT . AN . M . DCCC . LXV .

INSCRIPTIONES

FVNERVM PVBLICORVM

INSCRIPTIONES

FVNERVM PVBLICORVM

XLVI.

Augustae Taurinorum ad S. Eusebii.

IV. kal. quintiles an. M. DCCC. XXXVIII.

Ad templi fores.

FELICITATI . MARIAE

FRANCISCI . ALERAMI . MICHAELIS . F . PROVANAE
VIDVAE . IOSEPHI . PLACIDI . GASPARIS . GALLEANII
COMITIS . ALLIANI . EQVITIS . TORQ .
MATRONAE . SINGVLARIS . EXEMPLI
FILIVS . ET . FILIAE
PARENTI . OPTIMAE . DESIDERATISSIMAE
FVNEBRIA . CVM . LACRIMIS

Ad templi valvas.

FELICITAS . MARIA

FRANCISCI . ALERAMI . MICHAELIS . F . PROVANA
FEM . EXC .
FLORENTE . AETATE . NVPTA . IOSEPHO . PLACIDO . GASPARI
GALLEANIO . COMITI . ALLIANI . CVM . EO . VIXIT . CONIVNCTISSIME
AEQVO . ANIMO . GRAVES . RERVM . CONVERSIONES . TVLIT

LVTETIAM . PARISIORVM . PROFECTA . GASPAREM . FIL . SEPTENNEM NAPOLEONIS . I . VOLVNTATE . IN . GALLIAM . AVECTVM . RARA SOLLERTIA . DOMVM . REDVXIT . VIRO . SARDINIAE . PROREGE ANNVM . ABSENTE . MIRAM . IN . FAMILIA . REGVNDA . PROVIDENTIAM ET . SEDVLITATEM . EXHIBVIT . EGREGIAS . CORPORIS . DOTES MATRONALI . VERECVNDIA . HONESTAVIT . PRVDENS . BENIGNA INNOCENS . COMIS . TANTA . FVIT . IN . MISEROS . HVMANITATE VT . SE . IPSAM . VLTRO . NEGLIGERET . III . CALEND . IVNIAS AN . M . DCCC . XXXVIII . REPENTINO . MORBO . CORREPTA . ET EXSTINCTA . EST . IN . CAMILLAE . FILIAE . COMPLEXV . CVM SANCTISSIMIS . RELIGIONIBVS . ANTE . BIDVVM . RITE . PERFVNCTA

VITAE . FINEM . PLACIDE . ADSPICERE . POSSET

VIXIT . ANN . LXII . MENS . I . DIES VI .

Ad feretrum.

EHEV . QVI . NVPER
OPTIMI . PARENTIS . CASVM . DOLVIMVS
NVNC . SVPREMA . TIBI . MATER . PERSOLVIMVS
NISI . DEVS . ADSIT
REFRICATO . VVLNERE . INCONSOLABILES

NOSTER . HIC . DOLOR
MATER
QVOD . SVBITA . MORS . NOVISSIMOS . SERMONES . TVOS
NOBIS . INVIDIT
IN . ANIMIS . NOSTRIS . AETERNVM . MANSVROS

DEVS . MISERICORS
QVEM . SANCTISSIME . IN . TERRIS . COLVISTI
BEATAS . TIBI . RESERET . COELITVM . SEDES
ANIMA . DVLCISSIMA

SOBOLEM . TVAM . MOERORI . RELICTAM
IN . CONTEMPLATIONE . VIRTVTVM . TVARVM
TANTVMMODO . CONQVIESCENTEM
E . SVPERIS . IDENTIDEM . RESPICE

XLVII.

Augustae Taurinorum, ad S. Mariae Hospitae.

VI. id. maias an. M. DCCC. XXXIX.

Ad templi fores.

ALOISIAE
COMITI . FABRICAE
FILIAE . CAROLI EMMAN . ALFERII . MARCH . SVST .
VIRGINI . RARISSIMAE
IVSTA

Ad templi valvas.

ALOISIA
COMES . FABRICAE
FILIA . CAR . EMM . ALFERII . MARCH . SVST . MAGISTRI . SACRI . CVBICVLI
EQVITIS . O . S . VIRGINIS . AB . ANGELO . SALVTATAE
ILLVSTRES . NVPTIAS . SVORVM . CARITATE . POSTHABVIT
DEI . AMOREM . RELIGIONIS . STVDIVM
CVM . PERPETVA . IN . EGENOS . LIBERALITATE . CONIVNXIT
IMPENSA . SVA
ET . NONNVLLARVM . MATRONARVM . COLLATIONE
RECEPTVM . XXIV . PVELLIS . INOPIA . LABORANTIBVS
VALETVDINARIVM . IN . VI . AEGRORVM . SOLATIVM . APERVIT
INGRAVESCENTEM . MORBVM . SVPRA . SEXVS . FORTITVDINEM . TVLIT
IN . COELVM . RAPTA VII . ID . APRIL . AN . M . DCCC . XXXIX .
PARENTEM . CVIVS . ERAT . DELICIVM
CAESAREM . FRATREM . REGII . STAB . PRAEP .
POLYXENAM . SOROREM . ALOISIAM . FRATRIAM
IN . MOERОREM . CONIECIT
VIXIT . ANN . P . M . XXXVIII .
AVE . ANIMA . CANDIDISSIMA . ET . VALE . IN . PACE

XLVIII.

Augustae Taurinorum, ad S. Laurentii.

V. kal. apriles an. M. DCCC. XXX.

Ad templi fores.

HODIE . SOLEMNES . EXSEQVIAE . SVNT
PROSPERI . CAIETANI . COVDRAEI
MARCHIONIS . ALLINGIARVM
R . STAB . PRAEPOSITI
VIRI . ANTIQVA . INNOCENTIA . ET . FIDE
MOESTI . SVCCEDITE . CIVES
PIIS . MANIBVS . BENE . PRECATVRI

Ad templi valvas.

PROSPER . CAIETANVS
IOSEPHI . IOACHIMI . F . COVDRAEVS
MARCHIO . ALLINGIARVM
NOBILISSIMA . GENTE . APVD . ALLOBROCES . PROGNATVS . A PRIMA . IVVENTA . MILITARE . MVNVS . FVNGENS . GALLICO TVMVLTV . EGREGIAM . OPERAM . PRINCIPI . NAVAVIT . SVB EXTERNO . DOMINATV . CVRIS . PVBLICIS . VACVVS . ANIMI MAGNITVDINEM . HVMANA . DESPICIENTIS . EXHIBVIT . RESTITVTO REGNO . AVLICIS . HONORIBVS . HONESTATVS . INTER . DVCTORES REGII . EXERCITVS . ADNVMERATVS . EST . VIR . INTEGRAE NATVRAE . ET . NVLLA . IN . RE . NIMIVS . ESSE . QVAM VIDERI . BONVS . MALVIT . IDEM . PIVS . HVMANVS . MVNIFICVS NON . SVMPTVOSVS . MISERORVM . INOPIAM . DOMESTICIS OPIBVS . LEVAVIT . EXTREMO . SVO . TEMPORE . LABANTE . IN DIES . VALETVDINE . DIVTVRNIS . DOLORIBVS . AFFLICTATVS MEMORABILIS . CONSTANTIAE . EXEMPLVM . OMNIBVS . RELIQVIT VLTIMVS . STIRPIS . SVAE . AETERNA . SPECTANS . QVIEVIT
V . KAL . MARTIAS . AN . M . DCCC . XXXX .
VIXIT . ANN . LXXVIII .

XLIX.

Augustae Taurinorum, ad S. Ioannis.

Idib. febr. an. M. DCCC. XXXXI.

Ad templi fores.

VINCENTIO . MASSIO
ARCHIEPISCOPO . THESSALONICENSIVM
GREGORII . XVI . P . M .
APVD . CAROLVM . ALBERTVM . SARDIN . REGEM
LEGATO
QVEM . OMNES . BONI
SECVNDO . HONORIS . SVI . ANNO
EREPTVM . DOLVERVNT
ALOISIVS . FRANSONIVS . ARCHIEP . TAVRIN .
VIRO . OPTIMO . DESIDERATISSIMO
XXX . POST . MORTEM . DIE
FVNVS . INSTAVRAT

L.

Novariae, ad S. Mariae sideribus receptae.

An. M. DCCC. XXXXII.

Ad templi pronaum.

IOSEPHO . MOROTIO
PRESB . CARDINALI
TITVLO . MARIA . ANGELORVM
ARCHIEPISCOPO . EPISCOPO . NOVARIENSIVM
ORDO . SVPREMVS . CANONICORVM
COELESTIS . PATRIAE . BEATITATEM . ADPRECATVR

Ad templi valvas.

IOSEPHVS . IOSEPHI . F . MOROTIVS

CLARISSIMO . GENERE . ORTVS . PENE . PVER . AMISSO . PATRE . DOMESTICA . MATRIS . CONSVETVDINE . ET . SANCTISSIMA DISCIPLINA . M . AVRELI . BERTONI . EPISCOPI . NOVARIENSIVM EXCVLTVS . EST . ADOLESCENTVLVS . SACRAS . DISCIPLINAS SIC . ARRIPVIT . VT . VIXDVM . ANNOS . NATVS . XX . IN TAVRINENSE . THEOLOGORVM . COLLEGIVM . COOPTARETVR ROMAM . PROFECTVS . A . PIO . VI . PROLEGATVS . PROV . BONON . PRAEFECTVS . PERVSINORVM . PRAEF . CENTVMCELL . EST . DICTVS . PIO . VII . PONTIFICE . MAXIMO . ARCHIEPISCOPVS THEBANORVM . APOCRISIARIVS . APVD . LVDOVICVM . I BORBONIVM . HETRVRIAE . REGEM . LEGATVS . PRAETORIA POTESTATE . APVD FLORENTINOS . IVDEX . EPISCOPIS . PROBANDIS IVDEX . LIBRORVM . NOTANDORVM . ADSCITVS . IN . SACRVM CONSILIVM . CHRISTIANO . NOMINI . PROPAGANDO . CIVILI SAPIENTIA . ET . RERVM . VSV . PRAESTANTISSIMVS . HABITVS EST . EVERSO . REGNO . LVTETIAM . PARIS . AVECTVS . MOX SVIS . REDDITVS . DIFFICILLIMIS . TEMPORIBVS . PIETATE . IN EXEMPLVM . ELVXIT . PIVM . VII . BELLAQVEA . DIGRESSVM ROMAM . REPETENTEM . EFFVSIS . GAVDIO . LACRIMIS . SAVONAE VENERATVS . EST . EIQ . COMES . ADDITVS . LIBERVM . IN . VRBEM REDITVM . A . REGE . MVRATO . SOLLERTISSIME . IMPETRAVIT TOT . MERITORVM . FRVCTVM . ROMANAM . PVRPVRAM . TVLIT ET . PONTIFICATVM . NOVARIENSEM . QVEM . ANNOS . XXIV GESSIT . SINGVLAREM . DILIGENTIAM . ET . MODERATIONEM PROFESSVS . QVVM . FIRMO . CORPORE . VEGETA . MENTE . AD . VLTIMAM . SENECTVTEM . PERVENISSET . LAETVS . AD-COELESTES . ADVOLAVIT . XI . CAL . APRILES

AN . M . DCCC . XXXXII . VIXIT . ANN . LXXXIV . D . XI .

Ad molem funebrem.

VIR . FORTISSIMVS
DEMORTVO . VALENTIAE . AD . RHODANVM
PIO . VI . PONTIF . MAX .
ATROCI . TEMPORE . NVLLIS . PERICVLIS . DETERRITVS
VENETIAS . PETIT
HYACINTHO . SIGISM . GERDILIO . CARDINALE . COMITANTE
PATRIBVS . PVRPVRATIS . INTRA . CONCLAVE . COACTIS
OPERAM . SVAM . RITE . PRAESTITVRVS

XI . COLLEGIA . CANONICORVM . SODALITATES . VRSVLANAS
COENOBIVM . VIRGINVM . VINCENTI . PATRIS . LEGIFERI
ALIASQ . DEVOTAS . DEO . FAMILIAS . CONSTITVIT
DOMOS . COMPLVRES . ALVMNIS . SACRORVM
INSTITVENDIS . APERVIT
RECEPTVS . PLEBI . EXERCENDAE . TVTANDAE
RE . CONSILIO . IVVIT

AD . COELESTIA . SPECTANS . MORTALIA . CONTEMPSIT

GENERIS . DIGNITATEM . VIRTVTE . CVMVLAVIT

INVICTVM . A . CVPIDITATIBVS . ANIMVM . EXHIBVIT

NVLLIVS . INFORTVNIVM . A . SE . ALIENVM . PVTAVIT

LI.

Augustae Taurinorum, ad S. Mariae Angelorum.

Non. decembr. an. M. DCCC. XXXXIII.

Ad templi fores.

PAVLO . IOSEPHI . F . DELLAVALLE
MARCHIONI . CLAVESANAE . COMITI . TVRRICELLAE
EQVITI . MAVRITIANO . TORQVATO
MAXIMILIANVS . FRATER
CARISSIMI . CAPITIS . IACTVRAM . INSOLABILITER . DOLENS
INFERIAS . PERSOLVIT
QVISQVIS . INGREDERIS
PACEM . AEVI . BEATI . ADPRECARE
VIRO . SINGVLARIS . EXEMPLI
QVI . CVRATOR . NOSOCOMI . DIAE . CHARITOS . PRAEFECTVS
REG . DOMVS . MATRONAR . VIDVARVM . PATRONVS . GYNAECEI
PAVLLIANI . PVELLIS . INSTITVENDIS . ADLECTVS . IN . ORD .
DECVR . ET . INTER . PRAEFECTOS . MENSAE . PIGNERATITIAE
PRAESES . SVPREMI . COLLEGII . REI . SVBSIDIARIAE . ADMINISTRANDAE
PRAETOR . VRB . IDEMQ . CVRATOR . ANNONAE . VIC . POT . PRVDENTIAE
CIVILIS . CONSILI . INTEGRITATIS . LAVDEM . EGREGIA . IN . EGENOS
LIBERALITATE . CVMVLAVIT . COELEBS . REMOTIS . DELICIIS
IN . MVLTA . FRATRIS . ET . NECESSARIORVM . BENEVOLENTIA
CONQVIEVIT . PIVS . COMIS . MITISSIMO . INGENIO . VIM . MORBI
CHRISTIANA . PATIENTIA . AD . EXTREMVM . TEMPVS . PERPESSVS . EST
CARVS . BONIS . OMNIBVS . DECESSIT . NON . NOVEMBRIB .
AN . M . DCCC . XXXXIII . AETAT . SVAE . LXXVIII .

LII.

Augustae Taurinorum, ad S. Francisci Paullani.

Idib. maiis an. M. DCCC. XXXXIIII.

Ad templi fores.

LAVRENTIO . MARTINIO

DOCTORI . DECVRIALI . MEDICINAE . TRADENDAE
IN . LYCEO . MAGNO
PARENTALIA . PVBLICE
DECR . VII . VIRVM . STVDIIS . MODERANDIS
FONS . SAPIENTIAE . DEVS
ANIMAM . CANDIDISSIMAM
IN . AETERNAM . BEATITATEM . RECIPITO

Ad templi valvas.

LAVRENTIVS . BARPTOLEMAEI . F . MARTINIVS

DOMO . CAMBIANO
EQVES . ORDINIS . MAVRITIANI
A . IVVENTA . PENITIORE . NATVRAE . STVDIO . ET . LITERIS
CLARVS . ADLECTVS . EST . IN . DECVRIAM . DOCTORVM . R .
ATHENAEI . TAVRINENSIS . MOX . PLVRIMIS . EDITIS . OPERIBVS
IN . QVIBVS . EFFIGIEM . ANIMI . SVI . RELIQVIT . IN . PLERAQVE
ERVDITORVM . COLLEGIA . VLTRO . FVIT . COOPTATVS . V . VIR
PVBLICAE . VALETVDINI . TVTANDAE . ADSCITVS . INTER . CENSORES
LIBRORVM . EDENDOR . SVMMVS . CVRATOR . PER . SVBALP .
REGIONEM . LVI . MALAE . PVSVLAE . A . PVERIS . AVERTENDAE
QVAM . EXPECTATIONEM . SVI . CONCITAVERAT . SINGVLARI
CONSILIO . LENITATE . INDVSTRIA . SVSTINVIT . INGENVVS . PIVS
INTEGER . VITAE . IMPROVISO . INTERITV . EXTINCTVS . EST
III . NONAS . APRILES . AN . M . DCCC . XXXXIIII .
VIXIT . ANN . LVIII . M . VI . D . XIII .

LIII.

Augustae Taurinorum, ad S. Caroli.

III. cal. maias an. M. DCCC. XXXXVII.

Ad templi fores.

FRANCISCO . PES

MARCHIONI . VILLAE . MARINAE
VIRÓ . EXC .
VXOR
MARITO . OPTIMO . DESIDERATISSIMO
SOLLEMNIA . PIETATIS
ARBITER . HOMINVM . DEVS
PACEM . PERPETVAM . IMPERTIRE
ANIMAE . INNOCENTISSIMAE

Ad templi valvas.

FRANCISCVS . SALVATORIS . F . PES

MARCHIO . VILLAE . MARINAE
TAVRINENSIS
A . PRIMA . AETATVLA . EQVESTRI . DIGNITATE . EXORNATVS . INTER
REGIOS . PVEROS . ADSCITVS . EST . AD . AVLAE . MINISTERIVM
DELECTOS . VIXDVM . ADOLESCENS . MERVIT . IN . ALA . R .
SVBALPINORVM . EQVITVM . GRAVIS . ARMATVRAE . MOX . EVERSO
REGNO . IMMOBILIS . FIDEI EXEMPLAR . CARALIM . CVM . REGE
CONTENDIT . A . QVO . AVLICIS . HONORIBVS . AVCTVS . ET . MILIT .
VRBANAE . PER . SARDIN . PRAEFECTVS . EST . PACATIS . REBVS
AVG . TAVRIN . REVERSVS . DECVRIO . CVBICVLAR . MAGISTER
EQVIT . ITA . SE . REGI . CAROLO . ALBERTO . PROBAVIT . VT . INTER

REGNI . PROCERES . ADLECTVS . MAIORIBVS . ORDINIS . MAVRIT .
INSIGNIBVS . DONARETVR . IMPETRATA . MVNERVM . VACATIONE
DOMESTICVM . OTIVM . PIETATIS . STVDIO . MORVM . SVAVITATE
EGENTIVM . CVRA . HONESTAVIT . ADVERSVS . VIM . MORBI
INVICTVS . VXORE . AMANTISSIMA . FRATRE . CONCORDISSIMO
FRATRIS . FILIIS . INGEMISCENTIBVS . AD . SEDES . CAELESTIVM
PLACIDO . EXITV . EMIGRAVIT . CAL . APRIL .
AN . M . DCCC . XXXXVII . VIXIT . ANN . LXXIII . M . VI .

LIV.

Augustae Taurinorum, ad S. Laurentii.

XI. cal. quintiles an. M. DCCC. XLVIII.

ADESTOTE . CIVES
HODIE . COLLEGIVM . ARTIVM . SALVTARIVM
AEVI . SEMPITERNI . BEATITATEM . ADPRECATVR

CAROLO . FRANCISCO . BELLINGERIO

MEDICO
DOCTORI . DECVRIALI . LYCEI . MAGNI
ADLECTO . INTER . SODALES . TAVRINENSES
SCIENTIARVM . FINIBVS . PROFERENDIS
EQVITI . ORD . SABAVD . OB . MERITA . CIVIL . EQVITI . MAVRIT .
QVI . INGENIO . DOCTRINA . PRAECLARVS
SOLLERS . NATVRAE . SPECVLATOR . HABITVS . EST
EOQVE . NOMINE
IN . DOCTISSIMOS . COETVS . PER . EVROPAM . COOPTATVS
FLEBILIS . OMNIBVS . DECESSIT . AN . AET . LXI .
AVE . ET . VALE . IN . PACE

LV.

Augustae Taurinorum, ad S. Laurentii.

III. non. martias an. M. DCCC. LII.

Ad templi fores.

EMMANVELI . PES . MARCHIONI . VILLAE . MARINAE

VIRO . EXC .

VXOR . ET . FILII

XXX . DIE . AB . EXITV . EIVS . PARENTANT

CAPITI . DESIDERATISSIMO

PACEM . SVPERVM . ADPRECANTES

Ad templi valvas.

EMMANVEL . SALVATORIS . F . PES

MARCHIO . VILLAE . MARINAE

TAVRINENSIS

INGENII . CELERITATE . INTER . AEQVALES . EXCELLENS . VIXDVM ARMORVM . PATIENS . FVIT . PRIMA . CASTRORVM . RVDIMENTA POSVIT . IN . BELLO . GALLICO . AD . COTTIAS . ALPES . SVPERANTE HOSTIVM . FORTVNA . NON . VICTRICIA . ARMA . NON . OTIVM PRO . VIRTVTE . SECVTVS . IN . EXTERNIS . ORIS . REGIAS PARTES . STRENVE . PROPVGNAVIT . TRANQVILLATA . EVROPA IN . PATRIAM . REDVX . AD . SVMMA . MILITIAE . PROVECTVS EST . MOX . REGNI . ADMINISTER . REM . BELLICAM . ET SARDORVM . RATIONES . SOLLERTER . CVRAVIT . A . D . N . REGE CAROLO . ALBERTO . DICTVS . EST . EQVES . ORD . SVPR . VIRGINIS . DEI . PARENTIS . DESIGNATAE . EQVES . MAVRIT . TORQ . BALTEATVS . EQVES . ORD . SAB . OB . MERITA . CIVIL .

ET . NOMISMATE . MAVRIT . EXORNATVS . OB . MERITA . MILIT .
INGRAVESCENTE . AETATE . PVBLICIS . IAM . MVNERIBVS . IMPAR
VLTRO . IN . SENATVM . ADLECTVS . EST . NEQVID . EI . AD
SVMMAM . DIGNITATEM . DEESSE . VIDERETVR . IMPROVISO
INTERITV . EXTINCTVS . NON . FEBRVAR . AN . M . DCCC . LII .
IN . LVCTV . RELIQVIT . THERESIAM . VXOREM . ET . LIBEROS
A . QVIBVS . FVERAT . EXIMIE . DILECTVS
VIXIT . ANN . LXXIIII . M . II . D . XXI.

LVI.

Augustae Taurinorum, ad S. Mariae Angelorum.

IIII. id. ianuarias an. M. DCCC. LVI.

QVISQVIS . LEGIS . INGREDERE
INFERIAE . SVNT
EX . LIBERORVM . PIETATE
CAROLO . IOSEPHO . PHILIPPI . F . BERAVDO
COMITI . PRALORMI . V . EXC .
QVI . MAGNIS . PER . EVROPAM . LEGATIONIBVS
RENOVATO . FAMILIAE . NOMINE
REGNI . ADMINISTER . SENATOR
PVBLICAE . PACIS . INTERNVNTIVS
VVLGI . STVDIA . PATRIAE . CARITATE . POSTHABVIT
AFFECTA . VALITVDINE . DOMESTICVM . OTIVM . EXEGIT
IN . SVORVM . BENEVOLENTIA
INOPIAE . MISERORVM . PROPITIVS . DECESSIT . IN . PACE . ☧
IIII . ID . DECEMBRES . AN . M . DCCC . LV .

LVII.

Aug. Taurinorum, ad Ss. Solutoris, Adventoris et Octavii.

IIII. cal. mart. an. M. DCCC. LVIII.

Ad templi fores.

A ☧ Ω

ADESTE . CIVES . EX . OMNI . ORDINE
VICTORIO . SALLIERO . A . TVRRE . COM .
VIRO . EXC .
SVMMO . MAGISTRO . VNIVERSAE . MILITIAE
VXOR . ET . LIBERI
PACEM . APVD . SVPEROS . IMPLORATVRI
DIE . AB . EXCESSV . EIVS . XXX .
RITE . FVNVS . INSTAVRANT

Ad templi valvas.

VICTORIVS . IOSEPHI . F . SALLIERVS
A . TVRRE . COM .
ORTVM . HABVIT . CAMBERIACI . IN . ALLOBROGIBVS . XIIII . CAL . DECEMBRES . AN . M . DCC . LXXIII . PRIMA . AETATE . INTER REGIOS . PVEROS . ADSCITVS . ANIMVM . DISCIPLINIS . CORPVS MILITIAE . LABORIBVS . EXERCVIT . QVVMQVE . ESSET . IN ADOLESCENTVLO . EXPERRECTA . INDOLES . BELLO . GALLICO . SVB IMPERIO . PATRIS . MVLTA . FORTITER . ET . STRENVE . GESSIT AD . COTTIAS . ALPES . AD . COSSERIAM . AD . VICODVNVM . FRACTIS SVBALPINORVM . OPIBVS . QVVM . REGNI . RESTITVENDI . IAM NVLLA . SPES . ESSET . DOMESTICVM . OTIVM . IN . MATHESEOS STVDIVM . CONTVLIT . THOMA . CALVSIO . DOCTORE . SED . QVA

ERAT . ANIMI . VI . QVIETIS . IMPATIENS . MOX . IN . AVSTRIACORVM CASTRA . PROFECTVS . AVDACIA . IN . PERICVLIS . CAPESSENDIS CONSILIO . INTER . IPSA . PERICVLA . INCLARVIT . HINC DECEDENS . EVROPA . PERAGRATA . CLARIS . FAMILIARITATIBVS FLORVIT . REDVX . PRAEFVIT . ITALICAE . LEGIONI . ORDINANDAE QVAE . BRITANNORVM . AVSPICIIS . DVCTVQVE . SVO . BIENNIVM MERVIT . IN . HISPANIA . ET . AN . M . DCCC . XIIII . GENVAM TENVIT . CVIVS . ACCESSIONE . NOSTRORVM . PRINCIPVM . DITIO EST . PROPAGATA . MOTV . IN . GALLIA . EXORTO . AN . M . DCCC . XV . A . D . N . REGE . VICTORIO . EMMANVELE . I . OB SPECTATAM . VIRTVTEM . SVMMVS . DVX . ALLOBROGICI EXERCITVS . EST . DICTVS . QVI . GRATIANOPOLIM . PRIMO . ADITV CAPTAM . VETERI . PATIENTIAE . RESTITVIT . AN . M . DCCC . XXI . PRAEFECTVS . NOVARIENSIVM . CONFLATAM . IN . SVBALPINIS SEDITIONEM . FORTISSIME . COMPESCVIT . EGREGIA . FIDE REGNVM . ABSENTE . PRINCIPE . PROCVRAVIT . EXINDE . MAGISTER EQVITVM . REGNI . ADMINISTER . AB . EXTERNIS . RATIONIBVS SVPREMVS . VTRIVSQVE . MILITIAE . MAGISTER . PRAEFECTVS VRBIS . ET . PROVINCIARVM . TAVRINENSIVM . PRAESES . CONSILII REGNO . ADMINISTRANDO . MAXIMA . RERVM . ET . HOMINVM PRVDENTIA . ELVXIT . EXTREMO . TEMPORE . IN . SENATVM ADLECTVS . NON . SCENAE . AVT . HOMINIBVS . SERVIIT . IVS FASQVE . EX . ANIMI . SENTENTIA . LIBERO . ORE . DEFENDIT VIR . CLARISSIMO . GENERE . AB . AVIS . ET . MAIORIBVS EQVESTRIBVS . PLERISQVE . ORDINIBVS . PER . EVROPAM ADSCRIPTVS . IN . ADVERSIS . CONSTANS . IN . SVMMA . FORTVNA MODESTVS . PIVS . INOPIAE . MISERORVM . SOLATOR . AEVI PRIORIS . EXEMPLAR . OCTOGENARIO . MAIOR . SANCTE . QVIEVIT XIIII . CAL . FEBRVARIAS . AN . M . DCCC . LVIII .

Ad molem funebrem.

I.

SANCTIVS . ET . REVERENTIVS . HABVIT
DE . DEO . CREDERE
QVAM . SCIRE

TAC. de mor. Germ. XXXIIII.

iI.

IN . DIFFICILLIMA . TEMPORA . NATVS
ANIMVM . FIRMAVIT
CONSTANTIBVS . EXEMPLIS

Id. Ann. xvI, 36.

iiI.

POSTERITATI
NARRATVS . ET . TRADITVS
SVPERSTES . ERIT

Id. Vit. Agr. xxxxvI.

iiiI.

PLACIDE . QVIESCAS
NOSQVE . DOMVM . TVAM . AB . INFIRMO . DESIDERIO
AD . CONTEMPLATIONEM . VIRTVTVM . TVARVM . VOCES

Id. ib.

LVIII.

Planifeti, ad aedem curiae.

Prid. cal. februarias an. M. DCCC. LIX.

Ad fores templi.

PIIS . MANIBVS
ANTONII . BONGIOVANNI
MEDICI . SOLLERTIS . DOCTISSIMI
PRAESIDIS . REI . SVBSIDIARIAE . ADMINISTRANDAE
DIE . AB . EXCESSV . EIVS . XXX .
AMICI . IVSTA . MOERENTES
PERSOLVVNT

Ad pegma funebre.

TE

PAVPERES

QVOS . MERCEDE . REMISSA

AEGROTANTES . FOVISTI

ESVRIENTES . SATVRASTI

EREPTVM . INSOLABILITER . LVGENT

TIBI

MVNICIPES

QVORVM . RATIONIBVS

PER . QVINQVENNIVM

EGREGIE . CONSVLVISTI

QVIETAS . BEATORVM . SEDES

ADPRECANTVR

LIX.

Augustae Taurinorum, ad S. Caroli.

IX. cal. apriles an. M. DCCC. LVIIII.

Ad templi fores.

TEMPLO . SVCCEDITE . QVOTQVOT . PII . ESTIS

CAROLO . MARIAE . IOSEPHO . DESPINE

MARITO . ET . PARENTI . OPTIMO . INDVLGENTISSIMO

VXOR . ET . LIBERI

SACRA . PIACVLARIA . INDIXERVNT

DIE . AB . EXITV . EIVS . XXXIIII .

VTI . ANIMAE . CANDIDISSIMAE

FESTINATA . LVX . BEATORVM . ADFVLGEAT

Ad templi valvas

CAROLVS . MARIA . IOSEPHVS . IOSEPHI . F . DESPINE

DOMO . ANNECIACO . IN . ALLOBROGIBVS
EQVES . BENEFICIARIVS . ORDINIS . MAVRITIANI
AB . ADOLESCENTIA . IN . STVDIO . RERVM . NATVRALIVM . STRENVE VERSATVS . MATVRE . INTER . AEQVALES . ITA . COEPIT . EXPLENDESCERE VT . HOC . NOMINE . ILLVSTRES . SIBI . AMICITIAS . DOMI . FORISQVE CONCILIARET . MOX . OB . INGENII . ET . DOCTRINAE . PRAESTANTIAM . AD PVBLICA . MVNERA . GRADATIM . ADMOTVS . SVMMVS . TANDEM . CVRATOR DICTVS . EST . METALLIS . PER . SVBALPINAM . DITIONEM . EFFODIENDIS INTER . HAEC . EVVLGATIS . DOCTIS . LVCVBRATIONIBVS . IN . COMPLVRES ERVDITORVM . COETVS . PER . EVROPAM . VLTRO . EST . COOPTATVS DIGNVSQVE . HABITVS . QVI . COLLEGII . SODALIVM . ARVALIVM TAVRINENSIVM . PRAESES . ADSCISCERETVR . IAM . INDE . AB . ANNO M . DCCC . XLVIII . ORATOR . LEGIBVS . FERENDIS . A . POPVLO . DELECTVS CERTVS . PATRIAE . SERVIRE . NON . SIBI . LAVTIORIS . FORTVNAE ILLECEBRAS . OFFICIO . POSTHABVIT . ET . QVALEM . PRAESTARE . SE INSTITVERAT . TALEM . VSQVE . AD . EXITVM . SERVAVIT . IN OMNIBVS . SINGVLARI . FVIT . INDVSTRIA . NAVVS . LABORIS . ADEO PATIENS . VT . DIEM . SAEPE . NOCTEMQVE . REBVS . GERENDIS CONTINVARET . IDEM . PIVS . BENIGNVS . RECTI . PERVICAX . OFFICIOSVS VITAE . PVRITER . ACTAE . HOC . ETIAM . DOCVMENTVM . DEDIT . QVOD SVIITO . MORBO . CORREPTVS . ADVENTANTEM . MORTEM . IN . VNIVS FILII . COMPLEXV . PLACIDISSIME . EXCEPIT . X . CAL . MART . AN . M . DCCC . LVIIII . QVVM . AETATIS . ANNVM . AGERET . LXVIII . EIVS . FVNVS . ACERBVM . FVIT . PATRIAE . GRAVE . BONIS . OMNIBVS LVCTVOSVM . SVIS . TAM . CARI . CAPITIS . DESIDERIO . INFELICISSIMIS

LX.

Clusiae apud Cuneenses, ad aedem Curiae.

V. cal. apriles an. M. DCCC. LIX.

MICHAELI . PETRI . GEORGII . F . VALLAVRIO

IOANNES . BAPTISTA . FRATER
XXX . POST . OBITVM . DIE
SOLLEMNIBVS . EXEQVIIS . IVSTA . PERSOLVIT
ADESTE . MVNICIPES
COELESTIS . AEVI . BEATITATEM . ADPRECAMINOR
EXIMIO . SACERDOTI
QVI . MEDIVM . SE . INTER . DEVM . ET . HOMINEM . RATVS
DIVINAS . LITTERAS . IMPENSE . EXCOLVIT
MIRAM . INTEGRITATEM
CVM . PERPETVA . IN . EGENOS . LIBERALITATE . CONIVNXIT
TVRBVLENTISSIMO . TEMPORE
IMPOTENTEM . FACTIOSORVM AVDACIAM
CHRISTIANA . PATIENTIA . FREGIT
REPENTINO . MORBO . TENTATVS . SANCTE . DECESSIT
III . CAL . MARTIAS . AN . M . DCCC . LIX .
AETATIS . ANNO . LXI .

LXI.

Aug. Taurinorum, ad Ss. Solutoris, Adventoris et Octavii.

XVII. cal. iunias an. M. DCCC. LXII.

HODIE . EX . COLLATITIA . PECVNIA . INFERIAE . SVNT
ALOISII . FRANSONII
ARCHIEP . N .
ADESTE . CIVES
PACEM . SVPERVM . MAGNAE . ANIMAE . ADPRECANTES
QVAE . PRO . SVA . MODESTIA
MODICO . GAVDET . FVNERIS . APPARATV

LXII.

Monteregali, ad fores templi maioris.

XI. cal. februarias an. M. DCCC. LXIII.

FREQVENTES . ADESTOTE . MONREGALENSES
ALOISIO . BARACCO
DOCTORI . THEOLOGO . CIVILIS . ET . PONTIF . IVRIS . CONSVLTO
CANONICO . EQVITI . ORDINIS . MAVRITIANI
CVIVS . PRAECIPVA . LIBERALITATE
DOMVS . APERTA . EST . PVELLIS . ALENDIS . INSTITVENDIS
CVRATORES . MVNICIPII
PVBLICE . FVNVS . CVM . LAVDATIONE . DECREVERVNT

LXIII.

Augustae Taurinorum, ad S. Thomae Apostoli.

VIIII. cal. iunias an. M. DCCC. LXIII.

TEMPLO . SVCCEDITE . CIVES
EMMANVELI . DORIAE . A . CABALLIACO . MARCH.
PRAEFECTO . R . EXERCITVS
PRAEPOSITO . TABELLARIOR . ET . CVRSVS . PVBL .
QVI . VXORE . ET . LIBERIS . AMISSIS
SVPERSTES . OMNIVM . SVORVM
IN . EGENIS . SVBLEVANDIS
SOLATIA . ORBITATIS . QVAESIVIT
GENER . ET . NEPOTES
EXEMPLARI . AEVI . PRIORIS . DESIDERATISSIMO
DIE . AB . EXCESSV . EIVS . XXX .
SVPREMA . PIETATIS . CVM . LACRIMIS
PERSOLVVNT

LXIV.

Monteregali.

v. cal. maias an. M. DCCC. LXV.

Ad fores templi maioris.

CONSTANTIO . DONATO . EVLAE
DOCTORI . THEOLOGO . SACRI . CIVILISQVE . IVRIS . CONSVLTO
CANONICO . ARCHIDIACONO
VIC . POT . ANTISTITI . ECCLESIAE . MONREGALENSIS
PONTIFEX . N .
CVM . LAVDATIONE . FVNVS . INSTAVRAT

Ad pegma funebre.

CONSTANTIVS . DONATVS . EVLA
MONREGALENSIS
DOCILE . INGENIVM . AB . ADOLESCENTIA . LITTERIS . ET ALTIORIBVS . DISCIPLINIS . EXCOLVIT . SACERDOTIO . AVCTVS SINGVLARI . PIETATIS . STVDIO . ET . SANCTISSIMIS . MORIBVS IN . EXEMPLVM . ENITVIT . ANTISTES . VICE . SACRA . DICTVS CASTE . INTEGRE . NAVITER . MVNVS . SIC . OBIVIT . VT . SVI SECVRVS . POSTHABITA . ETIAM . VALETVDINE . AB . OFFICII RELIGIONE . NVNQVAM . DECLINARET . VIR . SOLLERS . INDVSTRIVS

MAXIMIQVE . CONSILII . STRENVAM . EPISCOPO . N . OPERAM
NAVAVIT . REBVS . AMICORVM . FIDISSIMVS . EGENTIVM . INOPIAE
PROPITIVS . PROMPTOS . VNICVIQVE . ADITVS . OBVIAM . COMITATEM
EXHIBVIT . MAIORA . DE . SE . GRANDIORE . AETATE . POLLICITVS
DECESSIT . QVVM . ANNVM . AGERET . LIII .

ACCEPTVS . CLERO . POPVLOQVE
OCCIDISTI . SACERDOS . OPTIME
AT . NON . TE . INFIRMO . DESIDERIO . PROSEQVIMVR
QVVM . TAM . INFENSIS . CHRISTIANAE . SAPIENTIAE . TEMPORIBVS
TIBI . NON . EREPTA . A . DEO . VITA
SED . DONATA . MORS . ESSE . VIDEATVR

LXV.

(Ficti argumenti).

QVEM . VIVVM . IVRGANS . VEXAVIT . ROSA . MARITVM
HEIC . RAPTO . PACEM . NVNC . PETIT . ILLA . DEI

EPITAPHIA

EPITAPHIA

LXVI.

Novariae, ad S. Euphemiae.

An. M. DCCC. XXXVIII.

H . S . E .
IOANNES . IACOBI . F . CACCIAPIATTIVS
NOVARIENSIS . PATRICIA . NOBILITATE
A . PIO . VII . PONTIF . MAX .
IN . COLLEGIVM . PATRVM . CARDINALIVM . COOPTATVS
PRAEFECTVS . SACRI . CONSILII . PRINCIPI . EXORANDO
ADLECTVS . INTER . CVRATORES . AQVARVM
ET . IN . SACR . CONSIL . LEGITIMIS . RITIB . COGNOSCENDIS
QVEM . PIETATIS . STVDIVM . EGENORVM . CVRA
RELIGIO . MVNIFICA . ILLVSTRARVNT
VIXIT . ANN . LXXXII . M . VI . D . VII .
DECESSIT . XVII . CAL . OCTOBRES . AN . M . DCCC . XXXIII .

IOSEPHVS . ALOISIVS . CACCIAPIATTIVS . MARCHIO
HERES . EX . ASSE
MONVMENTVM . OPERE . SPLENDIDIORE
QVAM . TESTAMENTO . VIVVS . CAVERAT
POSVI . PATRVELI . OPT . B . M .

LXVII.

Augustae Taurinorum, ad sepulcretum urbis.

An. M. DCCC. XXXVIII.

H . S . E .

ADELAIS . BONA . IOSEPHI . ALEXIDIS . F .

AB . EXERIACO

VXOR . IOSEPHI . AMADEI . SALLIERI . A . TVRRE . COM . EQ . TORQ .

SVPREMI . MAGISTRI . VNIVERSAE . MILITIAE

HAEC . INGENII . CELERITATE . ET . BENIGNO . ALLOQVIO . OMNIVM ANIMOS . IN . FAMILIARI . CONSVETVDINE . SIBI . DEVINXIT . RECTO ET . CONSTANTI . IVDICIO . RERVM . HVMANARVM . LEVITATEM DESPICIENS . PIETATE . IN . DEVM . CARITATE . IN . SVOS . ENITVIT IN . MISERORVM . FORTVNIS . SVBLEVANDIS . SOLATIA . VITAE QVAESIVIT . DIFFICILLIMIS . TEMPORIBVS . GRAVES . CASVS FORTITER . PASSA . IOSEPHO . AMADEO . VIRO . OPTIMO . VICTORIO IANO . AMADEO . LIBERIS . ITEM . AMICIS . PRAECELLENTI . CONSILIO ADFVIT . SANCTISSIMIS . MORIBVS . CVM . EGREGIA . FORMA CONSOCIATIS . ANTIQVAE . VIRTVTIS . IMAGINEM . EXPRESSIT CVM . QVE . NON . SATIS . FIRMO . AT . INTEGRO . CORPORE VIXISSET . AD . EXTREMVM . TEMPVS . ITA . SINGVLARI . FLORVIT ACVMINE . ET . MEMORIA . VT . VIX . ALIVD . ESSE . POSSIT BEATIORIS . SENECTVTIS . EXEMPLVM . DEO . DEFIXA . MORTALEM VITAM . IMMORTALI . PLACIDE . COMMVTAVIT . XV . KAL . MART .

AN . M . DCCC . XXXVI . AETAT . SVAE . XCVI .

VICTORIVS . FIL . VNICVS . SVPERSTES . EQ . TORQ .

SVMMVS . PRAEFECTVS . VRBIS . ET . PROVINCIARVM . TAVRINENSIVM

SVPREMVS . VNIVERSAE . MILITIAE . MAGISTER

ET . MARIA . AB . ALLIANO . NVRVS

DESIDERII . MONVMENTVM . CVM . LACRIMIS . POSVIMVS

LXVIII.

Cadralii, ad S. Ioannis.

An. M. DCCC. XXXVIII.

HEIC . RITE . CONDITVS . EST
IOANN . FERDINANDVS . CLAVDII . F . SERALIVS
COMES . MONTICELLII
QVI . VLTIMVS . GENTIS . SVAE
CASTO . NVMINIS . CVLTV
SINGVLARI . IN . PAVPERES . LIBERALITATE . SPECTANDVS
CVM . CAROLA . NEGRISOLIA . VXORE . VIXIT . AMANTISSIME
INTEGRITATE . COMI . INGENIO . OMNIBVS . CARVS
PRISCI . MORIS . EXEMPLVM . PRAEBVIT
SANCTE . DECESSIT . PRID . ID . MAI . AN . M . DCCC . XXXVII .
VIXIT . ANN . LXXI .
IVLIANA . BVLLIONIA . A . MONALE
VIOLANTILLA . BICHIA . CAROLA . ALMONTIA . SORORES
HEREDES . EX . ASSE
AVVNCVLO . DESIDERATISSIMO
MOERENTES . POSVIMVS

LXIX.

Augustae Taurinorum, ad sepulcretum urbis.

An. M. DCCC. XXXVIII.

H . S . E .
IOANNES . BAPTISTA . FRANCISCI . F . PIACENZA
DOMO . POLLONE
EQVES . BENEFICIARIVS . MAVRITIANVS
QVI . ACRE . INGENIVM . AB . ADOLESCENTIA . STVDIO . IVRIS
SIC . DEDIT . VT . PENITIORA . DISCIPLINAE . PERVADERET . SVB
GALLICO . DOMINATV . PROCVRATOR . CAESAREVS . LABRONENSIB .

ET . PISTORIENSIB . OPERAM . SVAM . MIRE . PROBAVIT . PACATIS
EVROPAE . REBVS . AMPLISSIMIS . MVNERIBVS . NAVITER . ET
SANCTE . PERFVNCTVS . EST . NOVISSIME . IN . SVPREMA . CVRIA
TAVRINENSI . ADVOCATVS . FISCI . ET . PRAESES . EST . DICTVS
HONORIBVS . AVCTVS . NIHIL . DE . QVOTIDIANO . CVLTV . IMMVTAVIT
SOBOLEM . AD . OMNEM . VIRTVTEM . INDVLGENTER . INSTITVIT
IDEM . RECTI . PERVICAX . HVMANVS . ALLOQVIO . BLANDVS
IN . COLENDIS . AMICITIIS . CONSTANS . FVIT
PIVS . OBIIT . X . KAL . DECEMBR . AN . M . DCCC . XXXVII .
VIXIT . ANN . LVI .
IRENE . CALVIA . VXOR
ANGELA . ALOISIA . PAVLA . EMMA . CLOTILDE . IDA . FILIAE
DOLORI . RELICTAE
VIRO . ET . PARENTI . OPTIMO . SVAVISSIMO
TITVLVM . ET . LACRIMAS

LXX.

Augustae Taurinorum, ad sepulcretum urbis.

An. M. DCCC. XXXVIII.

HIC . SITVS . EST
CLEMENS . DOMINICI . F . CAVDA
TAVRINENSIS
QVI . DOCILI . INGENIO
MORIBVS . SANCTISSIMIS
QVVM . XVI . AETATIS . ANNVM . INGRESSVS
IAM . CERTOS . ET . DEFORMATOS . FRVCTVS . OSTENDERET
ACERBO . FVNERE . SVBLATVS EST
V . ID . SEPTEMBRES . AN . M . DCCC . XXXVIII .

MATILDE . FERRERIA . MATER
CAESAR . FRATER
LEOPOLDA . AEMILIA . ALOISIA . SORORES
ANIMAE . DESIDERATISSIMAE
CONTRA . VOTVM . POSVIMVS

LXXI.

Tingi, in Africa.

An. M. DCCC. XXXXI.

OSSA . HEIC . SITA . SVNT
IOSEPHI . ALOISII . PONTII
DOMO . NOVARIA . APVD . INSVBRES
HIC . PROCVRATOR . REGIS . SARDINIAE . ET . PRAEPOSITVS
COMMEANTIVM . TINGI . APVD . MAVROCI . IMPERATOREM
MVNERIBVS . SVIS . ITA . EST . PERFVNCTVS . VT . OB . EGREGIA
MERITA . CREARETVR . EQVES . MAVRITIANVS . FLORENTE . ADHVC
AETATE . ANNO . CONNVBII . IV . MORBO . EXTINCTVS . CONIVGEM
VNICE . ADAMATAM . ET . BINOS . LIBEROS . IN . LVCTV . RELIQVIT
VIXIT . ANN . L . MENS . VI . DIES . XXI.

FRANCISCA . CARIGNANIA . CHIANOCCHIA . VXOR
VT . IN . EXTERNA . REGIONE
ALIQVOD . EXSTARET . DOLORIS . MEI . MONVMENTVM
VIRO . OPTIMO . DESIDERATISSIMO
CVM . LACRIMIS . POSVI
AN . M . DCCC . XXXXI .

LXXII.

Mortariae, in Laumellina.

An. M. DCCC. XXXXI.

H . S . E .

CAESAR . BRESSA

DOMO . LONGONO . INCOLA . MORTARIENSIS
QVI . PHYSICAS . DISCIPLINAS . ADOLESCENS . SIC . EXCOLVIT
VT . NOBILIS . INTER . AEQVALES . HABERETVR
IN . AMERICAM . PROFECTVS
IBIQVE . MEDICINAM . PROFESSVS . CLINIC .
DE . PLVRIMORVM . VALETVDINE . EGREGIE . MERITVS . EST
MOX . PATRIAM . REPETENS
CVLTORIBVS . LITERARVM . ET . BONARVM . ARTIVM
MAXIMIS . PRAEMIIS . PROPOSITIS
REG . SOCIETATEM . TAVR . SCIENTIARVM . FINIBVS . PROFERENDIS
HEREDEM . EX . ASSE . RELIQVIT
MAGNARVM . VIRTVTVM . EXEMPLIS . CLARVS
DECESSIT . IIII . ID . OCTOBRES . AN . M . DCCC . XXXIIII .

AMATA . DVPECHÈ . HERES . VSVFRVCT .
FECIT . VIRO . CARISSIMO . BENEMERENTI

LXXIII.

Braydae, ad S. Andreae.

An. M. DCCC. XXXXII.

H . S . E .

EMMANVEL . AMERANVS

DOMO . NONIS
DOCTOR . THEOLOGVS . CVRIO . MAX . VIC . POT .
QVI . HANC . AEDEM . IPSO . SVFFRAGANTE . CVRIAE . NOMINE
ET . IVRE . DONATAM . AERE . COLLATO . RESTITVIT . SVPELLECTILE

EXORNAVIT . HEREDEM . EX . ASSE . RELIQVIT . IDEM . SOLATOR
INOPVM . VINDEX . CALAMITOSORVM . POSTQVAM . CVRIAE
ANNOS . LII . PRAEFVISSET . LACRIMABILIS . OMNIBVS . OBIIT
VIIII . CAL . APRIL . AN . M . DCCC . XXXXI . AETATIS . SVAE . LXXXI .
IOANNES . B . BOTTINVS
CVRIO . MAXIMVS . VIC . POT . FECIT
DECESSORI . SVO . B . M .

LXXIV.

Viguzzolii, apud Derthonenses.

An. M. DCCC. XXXXII.

HIC . COMPOSITVS . EST
BLASIVS . PAVLLI . F . LEARDIVS
DOMO . DERTHONA
COMES . EQVES . TORQVATVS . ORDINIS . MAVRITIANI
ADSCITVS . IN . CONSILIVM . REGNO . ADMINISTRANDO
PRAEFECTVS . CVRIAE . MAXIMAE
LITIBVS . IVDICANDIS . PER . SARDINIAM
PRAESES . CVRIAE . SVPREMAE . TAVRINENSIS
QVEM . PIETAS . DOCTRINA . INTEGRITAS . VITAE
BONIS . OMNIBVS . COMMENDARVNT
VIXIT . ANN . LVII . M . V .
DECESSIT . III . NON . DECEMBRES . AN . M . DCCC . XLI.
VXOR . CVM . LIBERIS
MOERENS . POSVI . VIRO . DESIDERATISSIMO

LXXV.

Augustae Taurinorum, ad sepulcretum urbis.

An. M. DCCC. XXXXII.

H . S . E .

STEPHANVS . BORSONVS

A . S . PETRO . ALBINIACENSI
SACERDOS . DOCTOR . THEOLOGVS
IN . R . ATHENAEO . TAVRINENSI . PROFESSOR

QVI . EGREGIIS . EDITIS . OPERIBVS . DE . RE . LAPIDARIA . NATVRAE SCRVTATOR . ACERRIMVS . HABITVS . EST . OB . EXIMIAM DOCTRINAM . ADLECTVS . INTER . SODALES . ARVALES . TAVRINENSES ET . IN . REGIAM . SOCIETATEM . DISCIPLINIS . EXCOLENDIS . CVM FRANCISCO . BONELLIO . MVSEVM . RERVM . NATVRALIVM . SIC DIGESSIT . VT . SINGVLARIS . INDVSTRIAE . MONIMENTVM . POSTERIS RELINQVERET . VIR . ANTIQVIS . MORIBVS . ET . MITISSIMO . INGENIO
SANCTE . DECESSIT . VII . CAL . IANVARIAS
AN . M . DCCC . XXXXII . AETAT . LXXIV .

IOANNES . LVDOVICVS . BORSONVS
FECIT . PATRVO . OPTIMO . BENEMERENTI

LXXVI.

Planiciae, in villa archiepiscopali.

An. M. DCCC. XXXXII.

H . S . E .

AVGVSTINVS . IOSEPHI . F . LASCARIS

TAVRINENSIS
MARCHIO . COMES . ALBI . INTEMELI

QVI . ATAVIS . IMPERATORIBVS . EX . MATERNO . GENERE . EDITVS COMIS . ALTOR . EGENORVM . PIETATE . MVNIFICENTIA . ANTIQVIS

PAR . AMPLISSIMIS . HONORIBVS . IN . EXEMPLVM . PERFVNCTVS
HANC . VILLAM . PONTIFICIBVS . TAVRIN . TESTAMENTO . LEGAVIT
NE . LOCVS . EIS . DEESSET . VBI . A . CVRIS . VRBANIS . ANIMVM
REFICERENT . INOPINA . MORTE . INTERCEPTVS . EST . AD . AQVAS
S . VINCENTII . V . CAL . SEXTIL . AN . M . DCCC . XXXVIII.

ALOISIVS . FRANSONIVS . MARCHIO . ARCHIEP . TAVRIN .
EQVES . ORD . SVPR . VIRGINIS . AB . ANGELO . SALVTATAE
CVI . PRIMO . HOC . SECESSV . FRVI . CONTIGIT
FECIT . VIRO . OPT . B . M .

LXXVII.

Ibidem.

An. M. DCCC. XXXXII.

HIC . QVIESCIT
MARIA . LVDOV . FELICITAS . IOSEPHI . F . LASCARIS
VXOR . ALOISI . SOLARI . MARCH . CLVSIAE
QVAE . A . PRIMA . AETATE . VIRGO . SINGVLARIS . EXEMPLI . POST
NVPTIAS . MARITO . COMES . FIDISSIMA . EADEMQVE . PARENS
OPTIMA . TANTA . CARITATE . LIBEROS . COMPLEXA . EST . VT
POST . IOSEPHILLAE . FILIAE . MORTEM . DOLORIS . IMPOTENS
NVNQVAM . INTEGRA . VSA . SIT . VALITVDINE . SANCTE . DECESSIT
V . CAL . MARTIAS . AN . M . DCCC . XXXIII.

ALOISIVS . FRANSONIVS . MARCH . ARCHIEP . TAVRIN .
EQVES . ORD . SVPR . VIRGINIS . AB . ANGELO . SALVTATAE
POSVI . SORORI . VIRI . ILLVSTRIS
DE . ME . ET . SVCCESSORIBVS . OPTIME . MERITI

LXXVIII.

Vercellis, in aede Mariana Maiore.

An. M. DCCC. XXXXIIII.

HEIC . APVD . MAIORES . SVOS . ADQVIESCIT
CAROLVS . ALEXANDRI . F . CASTELNOVVS
COMES . LANCEARVM . ET . TORATIAE
QVI . VIXDVM . ADOLESCENS . BELLICIS . LABORIBVS . EGREGIE
PERFVNCTVS . INSIGNIBVS . ORDINIS . SABAVDI . OB . MERITA
MILITARIA . EXORNATVS . EST . SVB . EXTERNO . DOMINATV . MILITIAE
VACATIONE . IMPETRATA . CONSILIO . PRVDENTIA . INTEGRITATE
CIVIVM . LAVDES . PROMERVIT . HENRICHETTAM . SERRAVALLIAM
VXOREM . VNICE . ADAMAVIT . LIBEROS . AD . OMNEM . VIRTVTEM
INDVLGENTER . INSTITVIT . CARVS . OMNIBVS . PIE . DECESSIT
VIII . CAL . OCTOBRES . AN . M . DCCC . XXXIII .
VIXIT . ANN . LVII . M . XI . D . XVII.

HENRICVS . FILIVS . EXSVVIAS . PARENTIS . OPT . DESIDERATISSIMI
A . SEPVLCRETO . VRBIS . HVC . TRANSFERENDAS . CVRAVIT
EX . RESCRIPTO . D . N . REGIS . CAROLI . ALBERTI
QVOD . DATVM . EST . IIII . NON . IANVAR . AN . M . DCCC . XXXXIII .

LXXIX.

Saviliani.

An. M. DCCC. XXXXIII.

CINERIBVS . ET . MEMORIAE
IACOBI . CAROLI . AVGVSTINI . F . NOVELLIS
DOMO . SAVILIANO . I . V . D .
QVI . CAVSARVM . PATRONVS . APVD . CVRIAM . MAXIMAM . TAVRIN .
IVDEX . LITIBVS . DIRIMENDIS
MODERATOR . REGIARVM . SCHOLARVM . SAVILIANENSIVM
INTEGRITATE . IVSTITIA . HVMANITATE
IN . EXEMPLVM . ENITVIT
IDEM . MVLTOS . ADOLESCENTES . QVIBVS . ANGVSTA . RES . DOMI . ERAT
MVSICEN . DOCENDO . CVIVS . FVIT . SCIENTISSIMVS
INOPIA . SVBLEVAVIT
HONESTO . FVNCTVS . SENIO . DECESSIT . AVGVSTAE . TAVRIN .
PRID . KAL . NOVEMBRES . AN . M . DCCC . XXXVIIII .
VIXIT . ANN . LXXXII . M . VI . D . XIV .
CAROLVS . AVGVSTINVS . FILIVS . MEDICVS . CHIRVRGVS
FECIT . PARENTI . OPT . INDVLGENTISSIMO
IACOBE . TE . IN . PACE

LXXX.

In sacello villae prope Piperanium, cui vulgo nomen
il Tetto Grosso.

An. M. DCCC. XXXXIIII.

H . S . E .
PAVLLINA . MAXIMILIANI . F . DELLAVALLE
MARCHIONISSA . CLAVESANAE . COM . TVRRICELLAE . ET . MALLERARVM
VXOR . XAVERII . BRVNI
A . TORNAFORTE . ET . S . GEORGIO . COMITIS
QVAE . NONDVM . EGRESSA . AETATIS . ANNVM . XXIII .
IN . COELVM . RAPTA . EST
VII . IDVS . MAIAS . AN . M . DCCC . XXXV .
TRIBVS . LIBERIS . SVPERSTITIBVS
MARITVS . EX . SOCERI . TESTAMENTO
MOERENS . FECI . CONIVGI . OPTIMAE . SVAVISSIMAE
OMNEM . LAVDEM . SVPERGRESSAE
AVE . DESIDERIVM . MEVM . ET . VALE . IN . PACE

LXXXI.

Crescentini, ad S. Mariae, Genitricis Dei designatae.

An. M. DCCC. XXXXV.

HEIC . CONDITORIVM . SIBI . VIVENS . FECIT
CAROLVS . EMMANVEL . CAROLI . F . GALIMBERTIVS
DOMO . CRESCENTINO
QVI . IN . NOSOCOMIO . S . SPIRITVS
PRAEPOSITVS . CLINICORVM
OPTIME . DE . CIVIVM . VALITVDINE . MERITVS . EST
SOLVS . HVIC . AEDI . EXCITANDAE . EXORNANDAE
SVMTVS . SVFFECIT
VIXIT . ANN . LXXII . M . IX . D . XV .
PIVS . OBIIT . XVII . CAL . DECEMBR . AN . M . DCCC . XLIII .
IOSEPHVS . I . V . D . ET . PAVLLVS . FRATRES
TITVLVM . EX . TESTAM . CVM . LACRIMIS . POSVERVNT
PATRI . OPTIMO . INDVLGENTISSIMO

LXXXII.

Augustae Taurinorum, ad S. Ioannis.

An. M. DCCC. XXXXV.

HEIC . OSSA
VRSICINI . PONTIFICIS . TAVRINENSIS
CVM . TITVLO
CASV . EFFOSSA . NON . SEXTIL . AN . M . DCCC . XXXXIII .
IN . PACE . COMPOSVIT
ALOISIVS . FRANSONIVS . ARCHIEP . TAVRIN .
AN . M . DCCC . XXXXV .

LXXXIII.

Ariniani, in templo Curiae.

An. M. DCCC. XXXXV.

HEIC . SITVS . EST
PAVLLVS . REMIGIVS . PHILIBERTI . REMIGII . F . COSTA
COMES . CARRVCI . ET . TRINITATIS
QVI . SVAVISSIMIS . MORIBVS . PECTORE . CANDIDVS
IN . IPSO . IVVENTVTIS . FLORE
AEQVALIVM . LAVDEM . SENILI . PRVDENTIA . PRAEVERTENS
PIETATE . MODESTIA . PATRIAE . CARITATE
MAIORVM . AMPLITVDINEM . CVMVLAVIT
CIVIS . MARITVS . PARENS
CVNCTIS . VITAE . OFFICIIS . AEQVABILIS
IMMATVRO . FATO . PRAEREPTVS . EST
NONIS . DECEMBRIBVS . ANNO . M . DCCC . XXXIX .
VIXIT . ANN . XXVIII . M . V . D . XXV .

CONSTANTIA . LVCERNA . A . RORATA . VXOR
CAROLVS . FILIVS . VNICVS . SVPERSTES
CVM . LACRIMIS . POSVIMVS

LXXXIV.

Casali S. Evasii, in templo maiore.

An. M. DCCC. XXXXVII.

H . S . E .

FRANCISCVS . ICHERIVS . A . MALABAILA

PONTIFEX . CASALENSIVM

EQVES . MAVRITIANVS . TORQVATVS . BALTEATVS

CARVS . OMNIBVS . DECESSIT

VIIII . CAL . SEXTIL . AN . M . DCCC . XLVI .

VIXIT . ANN . LXII . MENSES . III . DIES . XXVII .

FRATRES . MOESTISSIMI . TITVLVM . POSVERVNT

LXXXV.

Casalisrubri, in templo Curiae.

An. M. DCCC. XXXXVIII.

H . S . E .

GASPAR . NOVELLONVS

DOMO . MONTILIO

FORANEVS . PRAEPOSITVS . VIC . POT .

QVI . POPVLVM . AD . RELIGIONEM . SANCTISSIME . INSTITVENS IVVENTVTEM . IN . PRIMIS . SIBI . DEVINXIT . QVAM . VNICE DILIGEBAT . VIR . INGENIO . MITIS . SVI . LARGITOR . HOSPITALIS MISERORVM . INOPIA . LEVATA . PVPILLI . VIDVAEQ . TVTELA SVSCEPTA . VITAE . PRIORIS . EXEMPLAR . SE . PRAEBVIT . IDEM VESTIGIIS . INGRESSVS . FRANCISCI . BECCARI . DECESSORIS . CVIVS PECVNIA . HOC . TEMPLVM . AB . INCHOATO . FVERAT . EXSTRVCTVM AEDES . CVRIAE . IMPENSA . SVA . ET . MVNICIPI . CONLATIONE A . SOLO . EXCITAVIT . TRANQVILLA . SENECTVTE . VSVS . OBIIT III . CALENDAS . FEBR . AN . M . DCCC . XXXXVIII . AETAT . LXXIIII .

IOSEPHVS . NOVELLONVS . HERES . FECIT . PATRVO . B . M .

LXXXVI.

Augustae Taurinorum, ad sepulcretum urbis.

An. M. DCCC. XXXXVIII.

A HEIC . SITVS . EST Ω
CLAVDIVS . BARPTOLEMAEI . F . DALMAZZO
DOMO . VERNANTE
DOCTOR . DECVRIALIS . LYCEI . MAGNI . TAVRINENSIS
ADIVTOR . MAGISTRI . A . BIBLIOTHECA
QVI . EXCELLENTIS . INGENI . ET . POLITIORIS . HVMANITATIS . LAVDE
CLARISSIMVS . APVD . AEQVALES
DOCTIS . LABORIOSISQVE . VOLVMINIBVS
NOMINIS . FAMAM . POSTERITATI . PROPAGAVIT
IN . IPSO . AETATIS . FLORE . INSANABILI . MORBO . TENTATVS
NIHILO . SEGNIVS . INTERIORES . LITTERAS
VEL . AD . EXTREMVM . TEMPVS . EXCOLVIT
VIR . FRVGI . PIVS . SACERDOS . RARISSIMAE . FIDEI . AMICVS
VIXIT . AN . XXXXIII . M . I . D . XVI.
DECESSIT . X . CAL . IVNIAS . AN . M . DCCC . XXXXVIII .
ANTONIVS . DALMAZZO
FECIT . FRATRI . CARISSIMO . B . M .

LXXXVII.

In villula apud Augustam Taurinorum.

An. M. DCCC. LII.

HEIC . VOTI . COMPOS . QVIESCIT . IN . PACE . ☧
PAVLVS . LVDOVICVS . BARPTOLEMAEI . F . RABY
TAVRINENSIS
IVRIS . PONTIFICII . CIVILISQVE . CONSVLTVS
EQVES . MAVRITIANVS
COLLEGII . ARTIVM . LIBERALIVM
CVRATOR . REI . SVBSIDIARIAE . ADMINISTRANDAE
QVI . A . LIBERIS . ET . PROPINQVIS . EFFLAGITAVIT
VT . QVOTANNIS . HVC . SEMEL . SALTEM . CONVENIANT
SIBIQ . AETERNAM . BEATITATEM . ADPRECENTVR
VIXIT . ANN . LXXXI . M . VI . D . X .
OBIIT . IX . CAL . DECEMBRES . AN . M . DCCC . LII .

LXXXVIII.

Augustae Taurinorum, ad sepulcretum urbis.

An. M. DCCC. LII.

H . S . E .
FELIX . SARACCVS
DOMO . CRESCENTINO
DVCTOR . ORDINVM . SINGVLARIS . EXEMPLI
VIXIT . ANN . LIIII . INTEGER . INTEGROS
DECESSIT . VIIII . CAL . MARTIAS . AN . M . DCCC . LIII .
VXOR . FILII . FRATRES
CVM . LACRIMIS . POSVERVNT

LXXXIX.

Augustae Taurinorum, ad sepulcretum urbis.

An. M. DCCC. LIII.

HIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
MARIAMNE . CAMVSSIA
VXOR . IOSEPHI . ANTONII . SALVSSOLIAE
ALTRIX . PERPETVA . EGENTIVM
OBIIT . XVII . CAL . OCTOBRES . AN . M . DCCC . LIII.
AETAT . SVAE . LXXXVIII .
LIBERI . MOERENTES . FECERVNT
PARENTI . OPTIMAE . DESIDERATISSIMAE

XC.

In sepulcreto Saviliani.

An. M. DCCC. LIII.

H . S . E . .
ALEXANDER . I . B . F . VALLAVRIVS
QVI . NAVVS . INDVSTRIVS . INGENIO . MITIS
LIBEROS . INDVLGENTER . EDVXIT
EGENORVM . CALAMITATES . SVBLEVAVIT
PIVS . OBIIT . XI . CAL . MART . AN . M . DCCC . LII .
VIXIT . AN . P . M . LXXII .
IOANN . BAPTISTA . FILIVS . FECIT . PATRI . OPT . B . M .

XCI.

Mitylenis, in aede Mariana.

An. M. DCCC. LIII.

HEIC . EXSVVIAS . SVAS . RELIQVIT
FRANCISCVS . STEPH . BARPT . F . PEROTTIVS
DOMO . VICODVNO . APVD . ITALOS . SVBALPINOS
MEDICVS . CLINICVS
REGIS . ALLOBROGICI . DECRETO
IN . HAC . VRBE . PRAEPOSITVS . COMMEANTIVM
AVCTOR . IDEM . ET . CVRATOR . TEMPLI . AEDIFICANDI
CVIVS . LAPIDEM . AVSPICALEM . STATVIT
INIECTIS . IN . FVNDAMENTA . STIPIBVS . AERIS . ARGENTI . AVRI
DECESSIT . MITYLENIS . XVIII . CAL . DECEMBR . AN . M . DCCC . LIII .
AETATIS . SVAE . LXXVIII .
ANDREAS . PEROTTIVS . POSVIT . FRATRI . OPTIMO . B . M .

XCII.

Pralormi, in sacello gentis Beraudae.

An. M. DCCC. LIII.

FELICITAS . PHILIPPI . ASINARII . F .
MARCHIONIS . S . MARCIANI
VXOR . CAROLI . BERAVDI . COMITIS . PRALORMI . V . EXC .

MARITO . SVMMIS . HONORIBVS . FVNCTO . COMES . FIDISSIMA
LVTETIAE . PARISIORVM . MOX . VINDOBONAE . BENIGNITATE
SVAVILOQVENTIA . RELIGIONE . IN . EXEMPLVM . ELVXIT . CAROLAE
IMPERATRICI . AVGVSTAE . OB . INGENII . CVLTVM . VNICE . DILECTA

AVGVSTALIVM . INSIGNIBVS . EST . EXORNATA . LIBEROS . IIII . AD OMNEM . VIRTVTEM . PERAMANTER . INSTITVIT . AN . M . DCCC . XXXIIII . IN . PATRIAM . REDVX . PROPINQVOS . AMICOS . ADVENTV . HILARAVIT SED . HEV . POST . BIENNIVM . DIVTVRNI . VIM . MORBI . INVICTO ANIMO . PERPESSA . AD COELESTES . ABIIT . XVIII . CAL . IAN .
AN . M . DCCC . XXXVI .
QVVM . VIXISSET . ANN . XXXVII . M . VII . D . XIII .

CONIVX . AD . LVCTVM . ET . LACRIMAS . RELICTVS
TITVLVM . POSVI . IN . SACRARIO . MAIORVM
COMPARI . OPTIMAE . DESIDERATISSIMAE
AVE . LVX . MEA . ET . VALE

XCIII.

Ibidem.

An. M. DCCC. LIIII.

MEMORIAE
MARIAE . EX . MARCHIONIBVS . D'ARVILLARS
VXORIS . ROBERTI . BERAVDI . COMITIS . PRALORMI
ORATORIS . APVD . PIVM . IX . PONTIF . MAX .
QVAE . FORMA . PIETATE . MORVM . SVAVITATE
OMNIVM . LAVDES . PROMERITA
IN . IPSO . IVVENTVTIS . FLORE
DECESSIT . ROMAE . III . CAL . MAIAS . AN . M . DCCC . LIIII .
VIXIT . ANN . XXVIII . M . III . D . XXVI .
MARITVS . ET . CAROLVS . SOCER
IN . TAM . CARI . CAPITIS . IACTVRA . INFELICISSIMI
MOERENTES . POSVIMVS
AVE . DELICIVM . NVPER . NOSTRVM . NVNC . DESIDERIVM
ET . VALE . IN . PACE

XCIV.

Augustae Taurinorum, ad sepulcretum urbis.

An. M. DCCC. LIIII.

HEIC . IN . PACE . CHRISTI . QVIESCIT
APVD . SOROREM . TERRIS . SIMVL . OSTENSAM . ET . EREPTAM
CAROLVS . NICOLAVS
PVER . SCITVLVS . MELLITVS . FESTIVVS
QVI . VIXIT . MENSES . XIIII . D . XXV .
DECESSIT . VII . ID . SEXTILES . AN . M . DCCC . LI .
VINCENTIVS . FERRERVS . PONZILIONVS . COMES . BVRGI . ALENSIS
MARIA . CHRISTINA . EX . COMITIBVS . CHIABÒ
PARENTES . INFELICISSIMI
VNO . DIE . DVOBVS . LIBERIS . ORBATI
CONTRA . VOTVM . POSVIMVS
VALETE . ANIMVLAE . INNOCENTISSIMAE . ESTE . MEMORES . NOSTRI
QVORVM . COMPLEXV . AVVLSAE . AD . VITAE . FONTEM . REVOLASTIS

XCV.

Augustae Taurinorum, in sepulcreto urbis.

An. M. DCCC. LV.

HIC . DORMIT
BARBARA . THEODORA . CASIMIRI . BERTONII . F
QVAM . RELIGIO . COMITAS
PERPETVA . IN . EGENOS . BENIGNITAS
CLARISSIMIS . MATRONARVM . AEQVAVERE
DECESSIT . V . CAL . SEXTIL . AN . M . DCCC . LIIII .
VIXIT . ANN . LIIII . M . III .
CAROLVS . NICOLAVS . CHIABÒ . COMES . EQ . MAVRIT .
ADSCITVS . IN . CONSILIVM
CAVSIS . RERVM . IVDICATARVM . DIRIMENDIS
MARITVS . INFELICISSIMVS
LVDOVICVS . EQVES . LEVIR
MARIA . CHRISTINA . ET . BARBARA . FILIAE
MOERENTES . FECERVNT
ANIMAE . CANDIDISSIMAE . DESIDERATISSIMAE

XCVI.

Augustae Taurinorum, ad S. Dominici.

AN. M. DCCC. LV.

A ☧ Ω

IN . CRYPTIS . TEMPLI
COMPOSITVS . EST

GASPAR . IOANNES . PONZILIONVS . MICHAELIS . F .
IOANNIS . ANTONII . N . DOCTORIS . DECVRIALIS . IN . ATHENAEO . TAVR .
CONSILIARII . CAROLI . III . ALLOBROGVM . DVCIS

HIC . NOBILI . GENERE . TESTONA . ORIVNDVS . ORTV .
CLARASCENSIS . PENE . PVER . SACRAE . MILITIAE . NOMEN . DEDIT
MATVRE . IN . PVBLICIS . REBVS . VERSATVS . QVVM . AN . M . D . XXIIII .
APVD . IMPERATOREM . CAROLVM . V . PROTONOTARII . MVNVS
OBIRET . A . CAROLO . III . ALLOBROG . DVCE . ROMAM . LEGATVR
AD . PAVLLVM . III . P . M . CVI . SE . ITA . PROBAVIT . VT
MAXIMIS . HONORIBVS . HONESTARETVR . AN . M . D . LIIII .
REGINALDO . POLO . PATRI . CARDINALI . LEGATO . PRAETORIA
POTESTATE . IN . BRITANNIAM . RELIGIONIS . CAVSA . PROFICISCENTI
COMES . ADDITVS . EST . QVADRIENNIO . POST . APVD . BELGAS
ADIVTOR . FVIT . AB . EPISTOLIS . EMMANVELIS . PHILIBERTI
ALLOBROGICI . A . QVO . ORATOR . MITTITVR . AD . IMPERATOREM
FERDINANDVM . AD . PIVM . IV . PIVM . V . GREGORIVM . XIII .
PONT . MAX . EXINDE . INTER . CONSILIARIOS . A . PVBLICIS
NEGOTIIS . PRINCIPIS . IVDICIO . ADSCITVS . A PONT . MAX .
MAGNIFICO . TITVLO . DIGNATVS . AD . EXTREMVM . TEMPVS
ALTODVNO . ROTARIO . IN . QVOD . GENS . SVA . IAM . PRIDEM . VICE
SACRA . DOMINABATVR . LEGE . VECTIGALI . SIBI . RVRSVS

ADTRIBVTO . CVRATOR . ORDINIS . MELITENSIS . AVG . TAVRINORVM
EST . DICTVS . EXCELLENTIS . INGENII . ET . DOCTRINAE . VIR
NONAGESIMVM . AETATIS . ANNVM . EGRESSVS . ACTVOSAM . VITAM
SANCTISSIMO . EXITV . CLAVSIT . XVII . CAL . DECEMBRES
AN . M . D . LXXXXVII

VINCENTIVS . FERRERVS . PONZILIONVS . COMES . BVRGI . ALENSIS
SACRI . CIVILISQVE . IVRIS . CONSVLTVS . EQVES . MAVRIT .
CVRATOR . STVDIIS . HISTORIAE . PATRIAE
EXCOLENDIS . AMPLIFICANDIS
FECIT . GENTILI . ILLVSTRI . AN . M . DCCC . LV .

XCVII.

Clarasci, ad S. Iffredi.

An. M. DCCC. LV.

HONORI . ET MEMORIAE

IOANNIS . SECVNDI . FERRERI-PONZILIONI

QVI . NATVS . CLARASCI . IIII . ID . MART . AN . M . D . LXXX .
PATRE . THOMA . PATRIC . NOBILITATE . MATRE . LVCRETIA . IOAN .
FRANCISCI . PONZILIONI . F . EX . DYNASTIS . ALTODVNI . ROTARII
ET . CORNELIANI . AB . ADOLESCENTIA . ALVMNVS . SACRORVM . A
CLEMENTE . VIII . P . M . AMPLISSIMO . TITVLO . EST . AVCTVS
CVM . ANNVO . VECTIGALI . MOX . IVRIS . PONTIF . CIVILISQ .
CONSVLTVS . A . PAVLLO . V . IN . COLLEG . PROTONOTARIOR .
APOSTOL . ITEMQ . IN . SACR . CONSILIVM . PRINCIPI . EXORANDO
ET . CAVSIS . RER . IVDICATAR . DIRIMENDIS . HONORIS . CAVSA
ADLECTVS . EST . IDEM . MENSAM . PIGNERATITIAM . IN . SVBSIDIVM
EGENTIVM . A . IO . LVDOVICO . FERRERO . PATRVO . CONSTITVTAM
SODALIBVS . PROCVRANDAM . TRADIDIT . QVI . A . MISERICORDIA
NOMEN . OBTINENT . A . MAVRITIO . ALLOBROGICO . CARDINALE
ROMAM . ACCITVS . STRENVAM . ILLI . NOMINIQ . CHRISTIANO
OPERAM . NAVAVIT . DIGNVS . QVI . ANTISTES . DOMVS . PONTIFICIAE
SVMMVS . IVDEX . ET . CONSILIARIVS . CREARETVR . AN . M . DC . XXX .

GRASSANTE . IN . SVBALPINIS . PESTILITATE . MAVRITIVM . CARD .
SEMESTRI . ET . MAGNIFICENTISSIMO . HOSPITIO . CLARASCI . EXCEPIT
CONVICTV . CHRISTINAE . A . FRANCIA . SAEPE . HONESTATVS . VIR
PIVS . DOCTVS . MAXIMIQ . CONSILII . FASTIGIVM . HONORVM
IMPLETVRVS . MORTE . PRAEREPTVS . EST . V . CAL . SEPTEMBR .
AN . M . DC . XXXI . QVIESCIT . AVG . TAVRINORVM . APVD
SVOS . IN . AEDE . S . MARIAE . AD . PLATEAM

VINCENTIVS . FERRERVS-PONZILIONVS . COMES . BVRGI . ALENSIS
AN . M . DCCC . LV .
MONVMENTVM . GENTILI . MEO . POSVI
QVI . RELIQVIAS . VIRGINII . MART .
IN . AEDEM . S . PETRI . A . MANTIANO
EXVVIAS . EFFLAMIAE . MARTYRIS
IN . HOC . SACELLVM . SOLEMNI . POMPA . INTVLIT . NON . MART .
AN . M . DC . XXIII .

XCVIII.

Ibidem.

An. M. DCCC. LV.

MEMORIAE . ET . VIRTVTI
VINC . AMADEI . FERRERI-PONZILIONI
COMITIS . BVRGI . ALENSIS
EQVITIS . MAVRITIANI . PATRICII . CLARASCENSIS
HIC . FRANC . LVDOVICO . ET . MARIA . THERESIA . VACHA . EX . COMIT .
PLOTII . TOPARCHIS . LAGNASCHI . ET . GABALLERII . LEONIS . ORTVS
EST . ASTAE . POMPEIAE . VII . ID . IANVAR . AN . M . DCC . LXIIII .
MAIORVM . SECTATOR . QVI . LITTERIS . PRVDENTIA . CIVILI
BELLICA . LAVDE . INCLARVERVNT . VIXDVM . ADOLESCENS . IN
TAVRIN . SOCIETATEM . ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔΩΝ . ALIOSQ . DOCTISSIMOS
COETVS . EST . COOPTATVS . ET . MVLTVS . FVIT . IN . HISTORIA

PATRIA . EXCOLENDA . A . PRIMA . IVVENTA . REI . PVB . ADMOTVS
A . REGE . VICTORIO . AMADEO . III . ATROCI . MOX . TEMPESTATE
PROCVRATIONE . PROVINCIAE . SALVTIENSIS . ET . VICODVNENSIS
ITA . EST . PERFVNCTVS . VT . BELLO . GALLICO . SVMMVS . CVRATOR
DICERETVR . REI . FRVMENTARIAE . ET . COMMEATVS . EVERSO
REGNO . AMISSA . SIMVL . POLYXENA . GVERRA . CONIVGE . EX
MARCHIONIB . CEBAE . TVRRICELLAE . PERLI . ET . MONTISPOSTREMI
PATRIAE . SERVIENTIS . ADSPECTVM . NON . TVLIT . STIPENDIA
FORIS . MERVIT . IN . EXERCITV . FOEDERATO . AD . QVEM . IN
SVMMO . RERVM . DISCRIMINE . A . REGE . FVERAT . LEGATVS . CVM
LIBERIS . MANDATIS . IBIQ . MAGNI . FVIT . EIVS . OPERA . INTEGRA
ADHVC . AETATE . ADVERSO . CASV . EXTINCTVS . EST . PATAVII
CAL . OCTOBR . AN . M . DCCC . III . SVMMO . DVCI . EXERCITVS
IMPERATORII . ET . COMMILITONIBVS . PERINDE . FLEBILIS . AT
NVLLI . FLEBILIOR . QVAM . LIBERIS . REPETITO . ORBITATIS
VVLNERE . INFELICISSIMIS . COMPOSITVS . EST . PATAVII . AD
. S . DANIELIS . IN . PACE . ☧
VINCENTIVS . FERRERVS-PONZILIONVS . COMES . BVRGI . ALENSIS
I . V . DOCTOR . EQVES . MAVRIT .
CVRATOR . STVDIIS . HIST . PATR . PROVEHENDIS
HEIC . TITVLVM . EXTARE . VOLVI . AVO . DESIDERATISSIMO
QVI . EX PATRIS . TESTAMENTO
OPTIME . DE . COLLEGIO . SODALIVM . HVIVS. SACRARII . MERITVS . EST

XCIX.

Augustae Taurinorum, in sepulcreto urbis.

An. M. DCCC. LVI.

☧ H . S . E . ☧

BENEDICTVS . ROBERTIVS

DOMO . SVBLAQVEO

SACERDOS . SINGVLARIS . EXEMPLI

QVI . CONSILIARIVS . LEGATI . PII . VIIII . PONT . MAX .

APVD . SARDINIAE . REGEM

MOX . LEGATI . QVINQVENNIVM . ABSENTIS

PERSONAM . GERENS

PAREM . DIFFICILLIMIS . TEMPORIBVS

ANIMVM . EXHIBVIT

DECESSIT . XVIII . CAL . QVINTIL . AN . M . DCCC . LVI .

AETATIS . SVAE . XXXXIIII .

PATER . CONTRA . VOTVM . POSVIT

C.

In aede curiali Burgi Cornalensis apud Carmaniolam.

An. M. DCCC. LVI.

A ☧ Ω

HONORI . ET . MEMORIAE

EVGENII . ALEXANDRI

DVCIS . DE . LAVAL-MONTMORENCY

QVI . ACERRIMVS . CHRISTIANAE . PROFESSIONIS . VINDEX
SOLATOR . INOPVM
HVIC . AEDI . AB . INCHOATO . EXTRVCTAE
ANNVVM . PROVENTVM . ADTRIBVIT . EO . PRAESERTIM . CONSILIO
VT . ADMISSA . SVORVM . CIVIVM . EXPIARET
QVI . ATROCI . TEMPORE . SACRA . ET . RELIGIONES . VIOLASSENT
SANCTE . DECESSIT . LVTETIAE . PARISIORVM
POSTRID . CAL . APRILES . AN . M . DCCC . LI .
RITE . COMPOSITVS . EST . BOMENILI . APVD . NORMANNOS
IN . SACRARIO . MAIORVM
PRAECORDIIS . IN . HOC . TEMPLVM . TRANSLATIS
CONSTANTIA . DE . MAISTRE . VXOR . SECVNDA
MOERENS . POSVIT . VIRO . OPTIMO . DESIDERATISSIMO

CI.

Cariniani in fronte sepulcreti urbis.

An. M. DCCC. LVI.

A X Ω AN . M . DCCC . LVI .
XX . VIRI . CVRATORES . VRBIS
AERE . PVBLICO A X Ω

CII.

Ibidem.

An. M. DCCC. LVI.

I . X . Θ . T . Σ .
HIC . VBI . MORTALES . SECVLORVM . INTERVALLIS . DISTINCTI
EXITV . AEQVANTVR
CINERES . ET . OSSA . REVICTVRA
AEVI . SEMPITERNI . BEATITATEM . EXPECTANT . IN . PACE ☧

CIII.

Planifeti, in sepulcreto.

An. M. DCCC. LVII.

HIC . QVIESCIT . IN . PACE . CHRISTI
IOANNES . ANTONIVS . IO . BAPTISTAE . F . NALLINVS
DOMO . PLANIFETO . APVD . MONREGALENSES
SACERDOS . RARISSIMI . EXEMPLI
IVRIS . CIVILIS . ET . PONTIFICII . CONSVLTVS
EQVES . ORDINIS . MAVRITIANI
CANONICVS . ET . VICE . SACRA . ANTISTES . VIGLEVANENSIVM
QVEM . LITTERARVM . ET . PENITIORIS . PHILOSOPHIAE
SCIENTIA . ILLVSTRAVIT
VIM . MORBI . DIVTVRNI . INVICTO . ANIMO . PERPESSVS
OBIIT . X . CAL . QVINTIL . AN . M . DCCC . LVII .
VIXIT . ANN . LXI . M . VIII . D . XXIII .
AVE . FRATER . SVAVISSIME . TIBI . GAVDIA . COELESTIVM

CIV.

Augustae Taurinorum, in sepulcreto urbis.

AN. M. DCCC. LVII.

HERMINIA . PROVANA
HEIC . QVIESCIT
OPTIMA . SVAVISSIMA . INCOMPARABILIS
XXIII . AETATIS . ANNO
ACERBO . NIMIS . FVNERE . PRAEREPTA
VIII . IDVS . OCTOBRES . AN . M . DCCC . XLV .
CAROLVS . CAYS . COMES . GILETTAE . ET . CASELETTARVM
VNA . SIMVL . ANASTASEOS . DIEM . EXPECTATVRVS
RELIQVIIS . CARORVM . HVC . TRANSLATIS
CONIVGI . DESIDERATISSIMAE . ET . SIBI . ET . SVIS
FECIT

CV.

In libro, cui titulus:
Vita di Ferdinando dei Marchesi Dallavalle ecc.

AN. M. DCCC. LIII.

HONORI . ET MEMORIAE
FERDINANDI . EX . MARCHIONIBVS . DALLAVALLE
QVI . ACERRIMO . INGENIO . ET . AD . GRANDIA . NATVS . AB IPSA . PVERITIA . PIETATIS . ET . LITTERARVM . STVDIO . IAM DE . SE . NON . SPEM . SED . FIDVCIAM . DABAT . HVIC . ET ILLA . FORTVITA . ADERANT . OMNIA . GRATIA . VVLTVS . VOCIS IVCVNDITAS . MORVM . SVAVITAS . MEMORIA . RERVM . ET

VERBORVM . PLANE . SINGVLARIS . IOANNES . BAPTISTA MARCVCCIVS . PRAECEPTOR . QVI . DE . EGREGIO . ALVMNO SVMMA . CONCEPERAT . ME . DE . PATRIS . SENTENTIA STVDIORVM . IVDICEM . EXOPTABAT . QVIBVS . ILLE . STRENVAM OPERAM . NAVAVERAT . IAMQVE . TEMPVS . INSTABAT . QVO PVER . SVI . PERICVLVM . FACERET . IAM . ILLI . MIRA ALACRITAS . IAM . TOTI . DOMVI . SPES . ET . GAVDIA QVAE . DIES . VNVS . IN . DIVERSA . CONVERTIT . FILIVM REVERENTISSIMVM . DECIMO . AETATIS . ANNO . CAELESTIBVS ADDITVM . V . IDVS . IVN . AN . M . DCCC . LVII . PARENTES INSOLABILITER . LVXERVNT . ET . LVGENT . IPSE . EQVIDEM DOLEO . CELERIVS . RESTINCTOS . TANTAE . VIRTVTIS IGNICVLOS . QVI . PRAECLARVM . MAIORIBVS . ET . PATRIAE LVMEN . POLLICEBANTVR

CVI.

Cebae, ad S. Bernardini.

An. M. DCCC. LVIII.

HEIC . VBI . PRAEOPTARAT
CONDITVS . EST
IOANNES . IOANNIS . F . OLIVERVS
DOMO . VICODVNO
ARCHIPRESBYTER . CEBENSIVM . PER . ANNOS . AMPLIVS . XXXI .
QVI . PIVS . COMIS . SERMONE - FESTIVVS
POPVLVM . AD . PIETATEM . SOLLERTER . EXCOLVIT
EFFVSA . LIBERALITATE
EGENOS . ALENDOS . SVSCEPIT
SVMPTVS . AEDI . EXTRVENDAE . PLEROSQVE . SVPPEDITAVIT
RAPTVS . EST . INSIGNI . CIVIVM . LVCTV
VIIII . CAL . FEBRVARIAS . AN . M . DCCC . LVIII .
VIXIT . ANN . LXIII . D . VIII .
AVE . IN . PACE ☧

CVII.

Monteregali, in avita cella Templi Maioris.

An. M. DCCC. LVIII.

HONORI . ET . MEMORIAE
HYACINTHI . VITALIS . A . TVRRICELLA . EQVIT .
MONREGALENSIS . PATRICIA . NOBILITATE
VIRI . INTEGRI . MITISSIMI . INGENII
POLITIORIBVS . LITTERIS
ET . AMOENIORIS . PICTVRAE . ARGVTIIS . CLARI
QVEM . VIVCI . RVSTICANTEM
INOPINA . MORS . RAPVIT
XVI . CAL . SEPTEMBRES . AN . M . DCCC . LVIII .
AETATIS . SVAE . XXXX .
IOANNES . BAPTISTA . VITALIS . A . TVRRICELLA . COMES .
CARISSIMI . FRATRIS . IACTVRAM
INSOLABILITER . DOLENS . TITVLVM . POSVIT

CVIII.

Masserani, in aede Curiae.

An. M. DCCC. LVIII.

HIC . APVD . TRIBVNAL
VBI . POENITENTIVM . ADMISSA . SEDVLVS . EXPIABAT
COMPOSITVS . EST . IN . PACE . ☧
PAVLLVS . MARCANDETTIVS
CANONICVS . RECTOR . S . THEONESTI
QVI . CVRIAE . PER . QVINQVENNIVM . PRAEFVIT
IOANNEM . MARIAM . PROPATRVVM . DECESSOREM
PHILIBERTVM . FRATREM . DECIANENSIVM . PRAEPOSIT .
DOCTRINA . PIETATE . CONSILIO . AEMVLATVS
VIXIT . ANNOS . XXXVII . TANTVM
HEV . QVANTO . PAVPERVM . GEMITV . ET . BONORVM . LVCTV
EXCESSIT . VIII . ID . FEBRVAR . AN . M . DCCC . LVIII .
ALOISIVS . MARCANDETTIVS . CVM . IOSEPHO . FRATRE
IN . DEMORTVI . LOCVM . SVFFECTO
IOSEPHILLA . SOROR . ANGELVS . BARBERIS . LEVIR
ALOISIVS . DENICOLA . COLLEGA
VIRO . DESIDERATISSIMO . MOERENTES . POSVERVNT

CIX.

Sultiis.

An. M. DCCC. LVIIII.

HEIC . QVIESCIT . IN . CHRISTO
HYACINTHVS . ROVASENDA . A . ROVASENDA
RELIGIONE . COMITATE . SVAVISSIMO . INGENIO
CARVS . OMNIBVS
DE . RE . CIVILI . ET . MILITARI . OPT . MERITVS
PLVRIBVS . EQVESTRIVM . ORDINVM . INSIGNIBVS . EXORNATVS
QVI . VT . EGENORVM . INOPIAM . SVBLEVARET
SVLTIENSE . COLLEGIVM . REI . SVBSIDIARIAE . ADMINISTRANDAE
SCVTATIS . NVMMIS . DCCC . DONAVIT
PIVS . OBIIT . VII . ID . MAIAS . AN . M . DCCC . LVIIII .
AETATIS SVAE LXXV .
FRATER . FRATRIS . FILII . MOERENTES
POSVERVNT

CX.

Vicoduni, in sepulcreto urbis.

An. M. DCCC. LIX.

H . S . E .
IOS . MARIA . MICHAELIS . F . BELLINVS
MONREGALENSIS
SACERDOS . MANSIONARIVS . TEMPLI . MAIOR .
QVI . PIETATE . IN . DEVM
NATIVO . ANIMI . CANDORE
ANTIQVIS . PAR .
VIXIT . ANN . LXXXI . M . IIII . D . XXVII .
DECESSIT . PRID . ID . FEBRVAR . AN . M . DCCC . LIX .
IOSEPHVS . SACERDOS . FRATRIS . FILIVS
FECIT . PATRVO . OPT . BENEMERENTI

CXI.

Maxadii apud Salassos, in sepulcreto.

An. M. DCCC. LXI.

GRASSANTE . PER . MAXADIVM . INDICA . LVE
A . IV . ID . SEXTIL . AD . VIII . CAL . NOVEMBRES
AN . M . DCCC . LIIII .
CENTVM . DECEM . DESIDERATI . SVNT
QVORVM . OSSA . HIC . QVIESCVNT . IN . PACE ☧
AD . TANTI . LVCTVS . MEMORIAM
PETRVS . IOSEPHVS . PICCONVS . PRAEPOSITVS
POSVIT

CXII.

S. Romuli apud Ligures, in sepulcreto urbis.

An. M. DCCC. LIX.

HEIC . IN . PACE . SITVS . EST
FRANC . ANDREAS . IACOBI . F . MARGOTTIVS
DOMO . S . ROMVLO
QVI . NATVRA . SOLLERS . INGENIOSVS
ANN . IX . NAVITER . CASTEQVE . PRAEFVIT . IIII . VIRIS
STLITIBVS . NEGOTIATORVM . IVDICANDIS
NEOCORVS . AB . ACTIS . AEDIS . SIRIANAE
ADLECTVS . INTER . CVRATORES . MVNICIPII
PROMAGISTER . VRBIS
VALETVDINARII . QVAESTVRA . NITIDE . FVNCTVS
ANTIQVA . FIDE . INTEGRITATE . ITA . SE . OMNIBVS . PROBAVIT
VT . PLERAEQVE . CIVIVM . CONTROVERSIAE
AD . EIVS . ARBITRIVM . COMPONERENTVR
PIVS . OBIIT . XII . CAL . DECEMBRES . AN . M . DCCC . LVIII .
AETATIS . SVAE . LXXI .
IACOBVS . STEPHANVS . CATHARINE . AMELIA
PATRI . OPTIMO . DESIDERATISSIMO
MOERENTES . PP .

CXIII.

Arimini, in sepulcreto urbis.

An. M. DCCC. LX.

HEIC . IN . PACE . ☧ . QVIESCIT
LEONARDVS . DOMINICI . F . MATTIOLIVS . COMES
ARIMINENSIS . PATRICIA . NOBILITATE
QVI . A PVERO . ADVERSA . VSVS . VALITVDINE
VIVIDVM . TAMEN . INGENIVM . VARIA . DOCTRINA . EXCOLVIT
PIVS . INTEGER . HVMANVS . SOLATOR . INOPVM
REBVS . SANCTE . COMPOSITIS
PLACIDISSIMO . EXITV . OCCVBVIT . AN . M . DCCC . LIX .
AETAT . ANN . XXXV .
PATER . MOERORI . RELICTVS . CONTRA . VOTVM . POSVIT

CXIV.

Lucae, ad S. Mariae Karmelitidis.

An. M. DCCC. LX.

HEIC . APVD . MAIORES . SVOS . QVIESCIT
IOANNES . BARPTOLEMAEI . F . SARDIVS . COMES
LVCENSIS . PATRICIA . NOBILITATE
QVAM . PERPETVO . RELIGIONIS . STVDIO
CONSTANTIA . COMITATE . INTEGRIS . MORIBVS . CVMVLAVIT
IDEM . GESTIS . HONORIBVS . TITVLISQVE . HONESTATVS
GRATIA . PRINCIPVM . IN . MISERORVM . SOLATIVM . VSVS . EST
PIVS . OBIIT . V . IDVS . FEBR . AN . M . DCCC . LVI .
AETATIS . SVAE . LXXIX .
QVVM . BIENNIO . ANTE . LVCTV . ET . LACRIMIS . CONFECTVS
COMPOSVISSET . ADELAIDEM . ARCHINTAM
CONIVGEM . SVAVISSIMAM
MATRONAM . ANTIQVAE . SANCTITATIS . MAXIMIQVE . CONSILII
QVAE . LIBEROS . IN . SPEM . VIRTVTIS . SOLLERTER . EDVXIT
FAMVLOS . BENIGNE . LARGE . PAVPERES . HABVIT
ELISA . RAPHAEL . MARIAMNE . ALOISIVS . AMALIA
PARENTIBVS . OPTIMIS . DESIDERATISSIMIS . MOERENTES . PP .

CXV.

Collegii.

An. M. DCCC. LX.

HIC . COMPOSITA . EST
MARIA . PHILVMENA
FIL . ALOISII . PROVANAE . EX . COMIT . COLLEGII
ET . DELPHINAE . ROTARIAE . A . GVARENIS . COMIT .
PVELLA . INNOCENTISSIMA
QVAE . VIX . XX . AETATIS . ANNVM . EGRESSA
IN . COELVM . RAPTA . EST
CAL . IVNII . AN . M . DCCC . LX .
DIE . VLTIMO . MENSIS . MARIANI
QVEM . SANCTE . RECOLERE . CONSVEVERAT
AVE . DELICIVM . TVORVM . ET . VALE

CXVI.

Augustae Taurinorum, in sepulcreto urbis.

An. M. DCCC. LX.

A HEIC . IN . PACE . ☧ . COMPOSITVS . EST Ω
IOSEPHVS . CAFASSVS
DOMO . CASTRONOVO . APVD . ASTENSES
SACERDOS . RARISSIMI . EXEMPLI . QVI . EPHEBOS . SACRIS
INITIATOS . AD . S . FRANCISCI . ASSIS . PER . ANN . XII .
PIETATE . ET . MORVM . DISCIPLINA . FORMAVIT . CARCERE
DETENTOS . EXIMIA . CARITATE . COMPLEXVS . AD . MELIOREM
FRVGEM . SAEPE . REDEGIT . SONTES . AD . SVPPLICIVM . DEDVCTOS
BONA . SPE . FOVIT . EGENIS . LIBERALITATE . AEGRIS . SOLATIO
DVBIIS . CONSILIO . ADFVIT
CVM . VITAM . BENEFACIENDO . IMPENDISSET . SANCTE . DECESSIT
IX . CAL . QVINTILES . AN . M . DCCC . LX .
VIXIT . ANN . XLIX . M . V . D . VII .
AMICI . COLLATITIA . PECVNIA . FECERVNT

CXVII.

Groppi apud Ligures.

AN. M. DCCC. LXI.

☧

HEIC . COMPOSITVS . EST
IOANNES . BAPTISTA . MERGONIVS
DOMO . SVVERO
ARCHIPRESBYTER . GROPPENSIVM . PER . ANNOS . LX .
CVIVS . BENIGNITATE . ET . PARSIMONIA . SVMPTVVM . PRIVATORVM
SOLATIVM . AEGRIS . ET . EGENIS . ACCESSIT
TEMPLVM . CVRIAE . NOVO . CVLTV . EXORNATVM
SVPELLECTILE . INSTRVCTVM
IDEM . PIVS . DOCTVS . LABORIS . SVPRA . FIDEM . PATIENTISSIMVS
TANTA . APVD . OMNES . AVCTORITATE . VALEBAT
VT . IPSO . VVLTV . PACEM . ET . CONCORDIAM . SVADERET
SANCTE . DECESSIT . VI . CAL . IANVAR . AN . M . DCCC . LX .
AETATIS . SVAE . LXXXIII .
BENEDICTVS . MERGONIVS . FRATRIS . FILIVS
FECIT . PATRVO . OPT . BENEMERENTI

CXVIII.

Tarvisii, in sepulcreto urbis.

An. M. DCCC. LXI.

HEIC . IN . PACE . ☧ . SITVS . EST
IOSEPHVS . IACOBI . F . DE-BLADINIS
DOMO . TARVISIO
QVI . ADOLESCENTIA . IN . ALTIORIBVS . STVDIIS . TRANSACTA
IVS . PONTIFICIVM . ET . DISCIPLINAM . MORVM
TAM . SOLLERTER . ARRIPVIT
VT . INSIGNIS . INTER . AEQVALES . HABERETVR
INSEQVENTI . TEMPORE
DOCTOR . THEOLOGVS . ALVMNIS . SACRORVM . INSTITVENDIS
VICE . SACRA . ANTISTES . CVRIO
CANONICVS . ADMISSIS . POENITENTIVM . EXPIANDIS
DOCTRINA . PRVDENTIA . STVDIO . TVENDAE . RELIGIONIS
IN . EXEMPLVM . ELVXIT
IDEM . IN . PROPOSITA . INOPINATA . DIFFICVLTATE
SCITVS . DISERTVS . ENARRATOR
IDEM . PIVS . BENIGNVS . PECTORE . CANDIDVS
AMICORVM . COMMODIS . HVMANISSIME . INSERVIENS
OMNIVM . SIBI . BENEVOLENTIAM . ET . ADMIRATIONEM . CONCILIAVIT
VIXIT . ANN . P . M . LX .
SANCTE . DECESSIT . VI . CAL . IVNIAS . AN . M . DCCC . LXI .
CIVES . MOESTISSIMI . TITVLVM . PP .

CXIX.

Salutiis, ad S. Bernardini.

An. M. DCCC. LXII.

HEIC . IN . PACE . ☧ . QVIESCIT
FLAMINIVS . IOSEPHI . MARIAE . F . DELLACHIESA
AB . ISASCA
SALVTIENSIS . PATRICIA . NOBILITATE
EQVES . MAVRITIANVS . TORQVATVS . BALTEATVS
QVI . A . IVVENTA . REI . MILITARIS . ET . MATHESEOS . STVDIO
SPECTATVS . A . REGE . CAROLO . FELICE . ADLECTVS . EST . INTER
MACHINATORES . OPERVM . BELLICORVM . QVI . ARCVM . MERIDIANVM
A . VENETIS . AD . ALLOBROGES . PER . FINES . SVBALPINORVM
DEDVCERENT . AN . M . DCCC . XXIII . AD . BELLVM . HISPANIENSE
PROFECTVS . CVM . C . ALBERTO . PRINCIPE . CARINIANI . IN . GADITANA
OBSIDIONE . PRAESERTIM . ENITVIT . MOX . DVCTOR . COHORTIS
MILLIARIAE . PRAEPOSITVS . LEGIONIS . MANVBALLISTARIORVM
SVMMVS . PRAEFECTVS . VRBIS . ET . PROVINCIARVM . CVNEENSIVM
FORTITVDINIS . LAVDE . ET . SOLLERTI . NEGOTIORVM . PVBLICORVM
PROCVRATIONE . INCLARVIT . IMPETRATA . MVNERVM . VACATIONE
IN . DEI . CVLTV . IN . SVORVM . CARITATE . IN . MISERIS
SVBLEVANDIS . HONESTISSIME . CONSENVIT . SANCTE . DECESSIT
PRIDIE . IDVS . FEBRVARIAS . AN . M . DCCC . LXII .
AETATIS . SVAE . LXXXI .
ALOISIA . REYNERIA . A . LAGNASCO . VXOR
ALFONSVS . DELLACHIESA . COMES . AB . ISASCA . FRATRIS . FILIVS
ANIMAE . DESIDERATISSIMAE . CVM . LACRIMIS . POSVIMVS

CXX.

Altoduni Rotarii apud Albenses, in sepulcreto.

An. M. DCCC. LXII.

THERESILLA . BVSCATTIA
HEIC . COMPOSITA . EST . IN . PACE . ☧
QVAE . A . PRIMA . AETATVLA
SEVERIORIS . VITAE . RATIONEM . AMPLEXA
MITISSIMVM . INGENIVM . ORNAVIT . COMITATE . MODESTIA
PIETATE . SINGVLARI . IN . EGENOS . MISERICORDIA
DIVTVRNVM . MORBVM . FORTITER . PERPESSA
ANNO . FLORENTIS . AEVI . XXII .
COELO . MATVRA
DECESSIT . POSTRID . CAL . MAIAS . AN . M . DCCC . LXII .
ANTONIVS . PATER . FRANCISCVS . FRATER . FELICITAS . SOROR
MOERENTES . FECERVNT . ANIMAE . CANDIDISSIMAE
OMNIVM . PVELLARVM . LAVDEM . SVPERGRESSAE

CXXI.

S. Romuli apud Ligures.

An. M. DCCC. LXIII.

IACOBO . FRIDERICO . BRESCA
SACERDOTI
QVI . SAPIENTIA . ET . RELIGIONIS . STVDIO . CLARVS
PER . ANNOS . XI .
PRAEFVIT . CVRIAE . CASTELLARII . AD . TABIAM
MVLTOS . MORTALES . BENEFICENTIA . DEMERENS
QVAM . TESTAMENTO . ABVNDE . CVMVLAVIT
ANNA . SOROR . TITVLVM . MOESTISSIMA . POSVI
AN . M . DCCC . LXIIII .

CXXII.

In agro Bononiensium (Pieve del Pino).

AN. M. DCCC. LXIIII.

HEIC . SITVS . EST
IOANNES . B . SANCTI . F . VIVARELLIVS
DOMO . FRAXINONE . APVD . PISTORIENSES
ARCHIPRESBYTER . PER . ANNOS . XXIII .
VIR . ALLOQVIO . BLANDVS
INGENIO . PRVDENTIA . PIETATE . SPECTATISSIMVS
QVI . TEMPLVM . HONORIS . SVI . A . SOLO . EXTRVCTVM
AMPLIORE . AREA . DONATVM
PECVNIA . IN . TVITIONEM . LEGATA . AB . INTERITV . ADSERVIT
AEDES . CVRIALES . INSTAVRAVIT
PRAEDIA . RVSTICA . EXCOLVIT
VIAS . SVBSTRVENDAS . MARGINANDASQVE . CVRAVIT
SANCTE . DECESSIT . V . ID . QVINTILES . AN . M . DCCC . LX .
EGENTIVM . LACRIMIS . HONESTATVS
QVORVM . INOPIAE . DVM . VIVERET . PROPITIVS
MORIENS . TESTAMENTO . SVBVENIT
VIXIT . ANN . LXVIII . M . I .
FRATRIS . FILII . FECERVNT
PATRVO . OPTIMO . DESIDERATISSIMO

CXXIII.

Augustae Taurinorum, in sepulcreto urbis.

AN. M. DCCC. LXIIII.

CAIETANVLVS . HEIC . DORMIT
PVER . ANNORVM . V .
FORMA . SINGVLARI . MITISSIMO . INGENIO
RAPTVS . XIII . CAL . APRILES . AN . M . DCCC . LXIII .
ALOISIVS . BORGHIVS . VIRGINIA . BERTIA
PARENTES . MISERI
CONTRA . VOTVM . POSVIMVS
HEV . CVR . A . NOBIS . AVOLASTI . ANIMVLA . NOSTRA
SOLATIVM . NOSTRVM . CARISSIMVM

CXXIV.

Augustae Taurinorum, ad S. Maximi.

An. M. DCCC. LXIIII.

HIC . SITVS . EST . IN . PACE . ☧

IOSEPHVS . ANTONIVS . MICHAELIS . F . GIROLA

DOMO BVTTILIERA . APVD . ASTENSES
DOCTOR . THEOLOGVS
QVI . PRIMVS . A . CONDITA . CVRIA
OB . SPECTATAM . DOCTRINAM . ET . PIETATIS . STVDIVM
HVIC . AEDI . PRAEPOSITVS
PER . ANNOS . XI . CVRIONIS . PARTES . EGIT . SANCTISSIME
COMITATE . CONSILIO . ABSTINENTIA . PRAECLARVS
SINGVLARI . BENIGNITATE . INOPES . COMPLEXVS . EST
AD . QVOS . OMNEM . SVPELLECTILEM . SVAM
TESTAMENTO . PERTINERE . VOLVIT
FLEBILIS . OMNIBVS
DECESSIT . VI . IDVS . QVINTILES . AN . M . DCCC . LXIIII .
AETATIS . SVAE . LI .
CVRIALES . PARENTI . OPTIMO . DESIDERATISSIMO
MOERENTES . FECERVNT

CXXV.

Fani, ad S. Antonii Senioris.

An. M. DCCC. LXV.

HEIC . SITVS . EST
PETRVS . NICOLAI . F . MASSIVS
ANTONIANAE . HVIC . CVRIAE . PRAEPOSITVS . ANN . AMPLIVS . XXV
DOCTOR . THEOLOGVS . ALVMNIS . SACRORVM . INSTITVENDIS
QVEM . PRID . NON . IANVARIAS . AN . M . DCCC . LXV .
AD . ALTARE . SACRIS . OPERANTEM
OMNIVM . BONORVM . LVCTV . INOPINA . MORS . INTERCEPIT
VIR . SINGVLARIS . INGENII . DOCTRINAE . MAXIMIQVE . CONSILII
VIXIT . ANN . LIX . M . VIII . D . XXIX .
CARVS . EGENIS
QVORVM . INOPIAM . PERPETVA . LIBERALITATE . SVBLEVAVIT
DE . CIVIBVS . EGREGIE . MERITVS
QVOS . AD . PIETATEM . PERAMANTER . EXCOLVIT
FERDINANDVS . CANONICVS . FRATER . ET . CVRIALES
EXEMPLARI . ANTIQVAE . SANCTITATIS
TITVLVM . CVM . LACRIMIS . POSVIMVS

CXXVI.

In aede Curiae Fonnensis apud Sardos.

An. M. DCCC. LXV.

HONORI . ET . MEMORIAE
FRANCISCI . ANTONII . CASVLAE . FLORIS
ORTV . FONNENSIS . CIVITATE . CARALITANI
QVI . VIXDVM . QVARTVM . ANNVM . EGRESSVS . AMISSO . PATRE
TVTELAE . PRIMVM . CREDITVS . EST . ANTONII . MARIAE . SORI
PERELAE . AVVNCVLI . MAGNI . RECTORIS . CVRIAE . FONNENSIS
CANONICI . NVORENS . DEINDE . IOANNIS . FLORIS . SORI . AVVNCVLI
CANONICI . THEOLOGI . VICE . PONTIFICIS . MAX . PER . DIOECESIN
GALTELLIN . NVORENS . FVNGI . IVSSI . HIS . AVCTORIBVS . ET
ADIVTORIBVS . IN . LITTERARVM . PHILOSOPHIAE . THEOLOGIAE

STVDIVM . SIC . INCVBVIT . VT . FACTO . RITE . PERICVLO . E SCHOLA . QVOTANNIS . LAVDATVS . EXCEDERET . SACERDOTIO INITIATVS . CVNCTIS . SVFFRAGIIS . IN SOCIOS . COOPTATVS . EST COLLEGII . THEOLOGORVM . R . ACADEMIAE . CARALITANAE . MOX VICTOR . IN . MVLTO . CERTAMINE . RENVNTIATVS . EST . DOCTOR DECVRIALIS . THEOLOGIAE . MORVM . TRADENDAE . IDEM . MAGISTER PIETATIS . ALVMNIS . SACRORVM . ET . STVDIOSIS . ATHENAEI CARALITANI . EXCOLENDIS . INGENII . FACVNDIAE . HVMANITATIS LAVDEM . PROMERVIT . POST . ANNOS . XV . HABITA . PVBLICA DISCEPTATIONE . DE . IVRE . PONTIFICIO . LECTVS . EST . OMNIVM CONSENSV . CANONICVS . ADMISSIS . POENITENTIVM . EXPIANDIS IN . AEDE . CARALITANA . MAIORE . ET . AVCTVS . DECVMIS QVAE . REDIBANT . EX . CVRIA . MARACALAGON . ET . CARBONAR . QVA . RERVM . ACCESSIONE . RECREATVS . MISERORVM . INOPIAE SVBVENIT . ADOLESCENTES . LITTERIS . DEDITOS . IMPENSE . FOVIT TEMPLVM . CARBONAR . INSTAVRATVM . NOVO . CVLTV . EXORNAVIT VIR . SINGVLARIS . CONSTANTIAE . NON . RERVM . NOVARVM STVDIO . NON . TEMPORVM . DIFFICVLTATE . NON . IMPROBORVM AVDACIA . SE . AB . OFFICIO . DIMOVERI . PASSVS . CONSILIO PRVDENTIA . EGREGIIS . EDITIS . SCRIPTIONIBVS . OPTIME . DE CATHOLICA . RELIGIONE . DE . PATRIA . MERITVS . EST . QVVM AN . M . DCCC . LV . IVSSV . PII . IX . PONTIFICIS . MAXIMI QVAESITORIS . PARTES . AGERET . DE . HONORIBVS . COELESTIVM DECERNENDIS . IGNATIO . A . LACONI . VIRO . VENERAB . EX

FAMILIA . SODALIVM . FRANCISCALIVM . CAPVLATORVM

SANCTE . DECESSIT . XII . CAL . IANVAR . ANNOS . NATVS . LVIII .

IOANNES . CVGVSI . CASVLA . CONSOBRINVS

THEOLOGICI . COLLEGII . CARALIT . SOCIVS

CVRIAE . FONNENSIS . RECTOR

FRANCISCVS . ZVNNVI . CASVLA

DOCTOR . THEOLOGVS . ALVMNIS . SACRI . ORDINIS . INSTITVENDIS

CANONICVS . CRIMINIBVS . EXPIANDIS

EQVES . MAVRITIANVS . LAZARIANVS

ET . PER . INTERREGNVM

VICE . SACRA . ANTISTES . DIOECESIS . GALTELLIN . NVORENS .

STEPHANVS . ZVNNVI . CASVLA

CIVILIS . ET . PONTIFICII . IVRIS . CONSVLTVS

SORORIS . FILII

GRATI . ANIMI . CAVSA . MONVMENTVM . PP . AN . M . DCCC . LXV .

CXXVII.

Augustae Taurinorum, in templo Sanctae Iuliae.

An. M. DCCC. LXV.

HIC . VBI . PRAEOPTARAT . COMPOSITA . EST
IVLIA . VICTVRNIA . COLBERT . A . MAVLEVRIER
VXOR . TANCREDII . FALLETTII . MARCHIONIS . BAROLI
MATRONA . RARISSIMI . EXEMPLI
QVAE . ATAVIS . INGENIO . FORMA . OPIBVS . CLARA . CHRISTIANAE
VIRTVTIS . MIRACVLO . CLARIOR . ANTIQVAE . SANCTITATIS
IMAGINEM . EXPRESSIT . AMISSO . VIRO . QVICVM . VIXIT
CONIVNCTISSIME . VNICVM . ORBITATIS . SOLATIVM . PVTAVIT
MORTALES . BENEFACTIS . DEMERERI . LITERATOS . HOMINES . IN
RE . ANGVSTA . IMPENSE . FOVIT . LVDOS . IVVENTVTI . TVTANDAE
INSTITVENDAE . VALETVDINARIVM . PVELLIS . AEGROTANTIBVS
AVT . MEMBRO . ALIQVO . DEBILITATIS . APERVIT . PERDITAS
FEMINAS . POTIORIS . VITAE . STVDIOSAS . HONESTO . PERFVGIO
EXCEPIT . CARCERE . DETENTAS . PROLIXA . CARITATE . AD
MELIOREM . FRVGEM . REDVXIT . EXTREMO . TEMPORE . VT . SVAE
PIETATIS . MONVMENTVM . ERGA . S . IVLIAM . EXTARET . HANC
AEDEM . AB . INCHOATO . EXTRVENDAM . CVRAVIT . ANNVIS
REDITIBVS . MVNIFICE . ADTRIBVTIS . OMNI . SVBSTANTIA . SVA
IN . DEI . CVLTVM . IN . EGENTIVM . SVBSIDIVM . TRANSMISSA
COELO . MATVRA . DECESSIT . XIIII . CAL . FEBRVARIAS
AN . M . DCCC . LXIIII .

CXXVIII.

Augustae Taurinorum, in sepulcreto urbis.

H . S . E .

MICHAEL . AMADEI . F . GRIFFA

DOMO . LOMBRIASCO
EQVES . ORD . MAVRITIANI
QVEM . DOCTOREM . MEDICINAE . TRADENDAE
IN . ATHENAEO . TAVRIN .
INGENIVM . DOCTRINA . SEDVLITAS
AVDITORIBVS . COMMENDARVNT
PECTORE . CANDIDVS . FIDEI . CONSTANS . SOLATOR . INOPVM
VIXIT . ANN . LXXXV . M . VIII . D . XXVII .
VIRIDI . PERFVNCTVS . SENECTVTE . ACQVIEVIT . IN . ☧
V . NON . OCTOBR . AN . M . DCCC . LXIIII .
THERESIA . SERRATRICE . VXOR . SECVNDA . HERES . EX . ASSE
MOERENS . POSVI . VIRO . OPTIMO . B . M .

INSCRIPTIONES HISTORICAE

INSCRIPTIONES HISTORICAE

FASTI . RERVM . GESTARVM
A . D . N . REGE . CAROLO . ALBERTO
PIO . FELICI . AVGVSTO
AB . ANNO . M . DCCC . XXXI . AD . AN . M . DCCC . XXXXVIII .

CXXIX.

M. DCCC. XXXI. – M. DCCC. XXXXII.

REX . CAROLVS . ALBERTVS
PROLATO . POMOERIO
SPECIEM . VRBIS . NOVIS . AEDIFICIORVM . MOLITIONIBVS . AVGET
TEMPLA . VETVSTATE . DILAPSA . RESTITVIT
ALIA . DONARIIS . ORNAT

CXXX.

M. DCCC. XXXI.

SVBALPINOS
DOCTRINA . PRVDENTIA . CIVILI . PVLCRI . SENSV . INSIGNES
EOSDEMQVE . EGREGIIS . EDITIS . OPERIBVS
OPTIME . DE . PATRIA . MERITOS
IN . ORDINEM . EQVESTREM . A . SE . INSTITVTVM
OB . MERITA . CIVILIA
EDICTO . IVBET . ADLEGI
NE . EXCVLTIORIBVS . INGENIIS . PRAEMIA . DESINT

CXXXI.

M. DCCC. XXXI. - M. DCCC. XXXXII.

MVNITIONES . VRBANAS . ET . MARITIMAS
QVIBVS . REX . CAROLVS . FELIX
GENVENSIVM . COMMODIS . ET . SECVRITATI . CAVERAT
REX . CAROLVS . ALBERTVS
OPERIBVS . AMPLIATIS . ET . CVLTV . ADDITO
PERFECIT

CXXXII.

M. DCCC. XXXII.

PINACOTHECAM
LECTISSIMIS . AVGVSTAE . DOMVS . TABVLIS . DECORATAM
CIVIBVS . ADVENIS . PATERE . VOLVIT
NE . IN . VRBE . ITALICA
ITALICARVM . ARTIVM . MONVMENTA . DESIDERARENTVR

CXXXIII.

M. DCCC. XXXIII.

PERPETVITATI . ET . INCREMENTO . BONARVM . ARTIVM
AMPLISSIMAS . AEDES
AD . FRANCISCI . PAVLLANI . PATRIS . INDVLSIT
QVAS . EX . SVO . NOMINE
ALBERTINAS . APPELLARI . PASSVS . EST

CXXXIV.

M. DCCC. XXXI. - M. DCCC. XXXIIII.

PRISCORVM . NVMORVM . SERIEM
VETVSTA . INSTRVMENTI . BELLICI . MONVMENTA
EAQVE . POTISSIME . QVAE . AD . MAIORES . SVOS . PERTINERENT
IDONEO . LOCO . IN . AEDIBVS . PALATINIS
IVBET . ADSERVARI

CXXXV.

M. DCCC. XXXII.

PETRO . MICCAE
MILITI . CVNICVLARIO . SINGVLARIS . EXEMPLI
CVIVS . VIRTVTE . BELLO . GALLICO . VRBS . SERVATA . EST
IIII . CALEND . SEPTEMBRES . AN . M . DCC . VI .
STATVAM . EX . AERE . DECREVIT

CXXXVI.

M. DCCC. XXXIII. - M. DCCC. XXXVIII.

FAVTOR . DISCIPLINARVM . OPTIMARVM
ROMANAS . RELIQVIAS . IN . SVBALPINIS . PASSIM . DELITESCENTES
STVDIOSE . CONQVIRIT
CVRATORES . LEGIT . VNIVERSAE . REGIONI . CENSENDAE
ET . STVDIIS . HISTORIAE . PATRIAE . PROMOVENDIS

CXXXVII.

M. DCCC. XXXVI.

INDICA . LVE . GRASSANTE
SVI . SECVRVS . POPVLOS . INVISIT
ADSPECTV . ALLOQVIO . CONFIRMAT
OMNIQVE . RATIONE . PRAESENTEM . LABORANTIBVS
OPEM . ADFERT

CXXXVIII.

M. DCCC. XXXVI.

SCHOLAM . ANATOMICAM
LOCO . ILLVSTRI . APERTAM
INSTRVMENTO . OMNI . EX . RECENTIORVM . INVENTIS
NITIDE . ORNANDAM . CVRAVIT

CXXXIX.

M. DCCC. XXXI. – M. DCCC. XXXXVI.

VIAE . COMPLVRES
QVAE . VETVSTATE . INTERCIDERANT . RESTITVTAE
NOVAE . APERTAE . FERREIS . AXIBVS . CONSTRATAE
ET . SVBSTRVCTIS . MARGINIBVS . DIRECTAE
PONTES . PADO . ALIISQVE . FLVMINIBVS . IMPOSITI
ARCES . AD . ALBIVM . INTEMELIVM
AD . BARDVM . IN . ALLOBROGIBVS
AD . VINADIVM . IN . REGNI . CLAVSTRIS . MVNITAE

CXL.

M. DCCC. XXXI. - M. DCCC. XXXXII.

LEGES . MVNICIPIIS . ET . SALINIS . ADMINISTRANDIS
PER SARDINIAM . SANXIT
NAVIBVS . IMPERATIS . QVAE . ACTAE . AQVA . VAPORATA
STATIS . TEMPORIBVS . A . TERRA . CONTINENTE . AD . INSVLAM
VLTRO . CITROQVE . COMMEARENT

CXLI.

M. DCCC. XXXI. - M. DCCC. XXXXII.

SARDOVS . AGER
QVI . SVPERIORVM . TEMPORVM . NEGLIGENTIA
STIRPIBVS . ARBORIBVS . NVDATVS
AVT . STAGNORVM . NEBVLA . INFECTVS
MOESTITIAM . VNDIQVE . ET . SOLITVDINEM . LATE . SPIRARET
NVNC . DELETA . LEGE . VECTIGALI
ET . PVRGATA . AERIS . GRAVITATE . CVLTORIBVS . REDDITVS
CONVERSAS . INSVLAE . SORTES
REGIS . MVNIFICENTIAM . TESTATVR

CXLII.

M. DCCC. XXXXIII. - M. DCCC. XXXXII.

REGIAM . VILLAM . AD . POLENTIAM
DETERSO . VETVSTATIS . SQVALORE
IN . AMOENIOREM . FORMAM . REDEGIT
REGIAM . VILLAM . AD . RACONIXIVM
AMPLISSIMIS . VIRIDARIIS . AVCTAM
OPERIBVS . VDO . ILLITIS . SIGNIS . MARMOREIS . DECORAVIT

CXLIII.

M. DCCC. XXXVII.

SPLENDIDISSIMVM
MONFERRATENSIVM . ORDINEM
QVOD . ERAT . IN . VOTIS
POST . ANNOS . CVII . CASALENSIBVS . REDDIT

CXLIV.

M. DCCC. XXXVIII.

EMMANVELI . PHILIBERTO
ATAVO . FORTISSIMO
GALLORVM . VICTORI . AD . AVGVSTAM . VEROMANDVORVM
EQVESTREM . STATVAM . EX . AERE . CVM . BASI . ANAGLYPTA
IN . AREA . ANTE . TEMPLVM . CAROLINIANVM
POSVIT . DEDICAVITQVE

CXLV.

M. DCCC. XXXI. - M. DCCC. XXXXII.

REGIBVS . EGREGIA . FIDE . SIBI . DEVINCTIS
MERCATORES . NAVICVLARIOS . ICTIS . FOEDERIBVS . TVETVR
COMMERCIIS . CIVIVM . TERRA . MARIQVE . PROLATIS
PORTVM . NICAEAE . AD . VARVM
IACTIS . MOLIBVS . NOVISQVE . SVBSTRVCTIONIBVS
COMMVNIT

CXLVI.

M. DCCC. XXXIX. – M. DCCC. XXXXII.

OPPIDA
VICINI . MONTIS . LABE . AFFLICTATA
AVT . INCENDIO . CORRVPTA
AVT . EXVNDANTIVM . LATE . FLVVIORVM . IMPETV . VASTATA
OMNIMODE . IVVIT
MISERICORDIA . ERGA . CALAMITOSOS . IN . EXEMPLVM . INSIGNIS

CXLVII.

M. DCCC. XXXX.

SOLEMNES
CVM . ITALIAE . PRINCIPIBVS . PACTIONES . INIIT
QVEIS . SCRIPTORVM . ARTIFICVMQVE . RATIONIBVS
EGREGIE . CONSVLTVM

CXLVIII.

M. DCCC. XXXX. – M. DCCC. XXXXII.

RECEPTVM
EGENIS . CVSTODIENDIS . ALENDISQVE
ANNVO . PROVENTV . ADTRIBVTO . IN . VRBE . CONSTITVIT
LVDOS . PVBLICOS . APERIT
AD . PVEROS . ET . PVELLAS . INSTITVENDAS
DOMOS . PLEBI . EXERCENDAE . TVTANDAE

CXLIX.

M. DCCC. XXXX.

HVMBERTO . BONIFACIO . LVDOVICAE
ALLOBROGICIS
PIENTISSIMO . REGE . SVFFRAGANTE
BEATORVM . COELITVM . HONORES
A . GREGORIO . XVI . PONTIFICE . MAXIMO
RITE . DECRETI

CL.

M. DCCC. XXXXII.

ANNIVERSARIIS . PVGNARVM . SIMVLACRIS
ADSIDVIS . MILITVM . EXERCITATIONIBVS
REM . BELLICAM . ACERRIME . PER . OTIVM . PROCVRAT
PRINCEPS . PROVIDENTISSIMVS

CLI.

M. DCCC. XXXX.

PRIMORES . DOCTORVM
EX . VNIVERSA . EVROPA . AVGVSTAM . TAVRINORVM . ADVENTANTES
BENIGNO . HOSPITIO . EXCIPIT
EORVM . CONVENTVM
AD . DISCIPLINAS . ARTESQVE . ITALORVM . PROVEHENDAS
IN . R . ARCHIGYMNASIO . CELEBRANDVM . CVRAT

CLII.

M. DCCC. XXXXI.

AERARIVM . ET . INTERNAS . REGNI . RATIONES
VNI . EIDEMQVE . SOLLERTISSIMO . VIRO . PERMITTIT
VT . IN . RERVM . PVBLICARVM . TRACTATIONE
SINGVLA . SINGVLIS . APPRIME . RESPONDEANT
ET . ARCTIORI . VINCVLO . CONSTRICTA . CONIVRENT . AMICE

CLIII.

M. DCCC. XXXXI.

COLLEGIVM
SODALIVM . ARVALIVM . TAVRINENSIVM
IN . FIDEM . ET . CLIENTELAM . SVAM . RECIPIT
AGRORVM . CVLTVM
IN . CONTINENTI . REGIONE . IMPENSE . EXCITAT

CLIV.

M. DCCC. XXXI. - M. DCCC. XXXXII.

BIBLIOTHECAM . PALATINAM
ADDITIS . CONCLAVIBVS . SPLENDIDIORE . CVLTV . EXORNATAM
VETVSTORVM . CODICVM . MONVMENTIS
EXQVISITIS . OMNIVM . DISCIPLINARVM . VOLVMINIBVS
LINEARIS . PICTVRAE . EXEMPLIS . LOCVPLETAVIT

CLV.

M. DCCC. XXXXII.

COLLEGIVM
SODALIVM . MEDICORVM . TAVRINENSIVM
MORBIS . AVERRVNCANDIS
SODALITATEM . ORNATISSIMORVM . VIRORVM
BONIS . ARTIBVS . FOVENDIS . CONSTITVIT
QVAE . PROPOSITO . ANNIVERSARIO . CERTAMINE
PRAECLARA . INGENIA
AD . VETERVM . ELEGANTIAM . REDVCERET

CLVI.

M. DCCC. XXXI. – M. DCCC. XXXXII.

REGIIS . LIBERIS
NOBILI . DISCIPLINA . INSTITVTIS
POPVLORVM . FELICITATI . STVDET
AVSPICATISSIMIS . NVPTIIS
VICTORII . EMMANVELIS . FILII . ET . MARIAE . ADELAIDIS . AVSTRIACAE
AVGVSTAE . PROPAGINIS . SPEM . FOVET

CLVII.

M. DCCC. XXXXII. – M. DCCC. XXXXVII.

EPHEBEVM
QVOD . REX . VICTORIVS . AMADEVS . II .
PROVINCIALIBVS . APERVERAT . AN . M . DCC . XXIX .
VT . LECTISSIMI . ADOLESCENTES
IN . SPEM . REGNI . PVBLICE . ALERENTVR
TEMPORVM . VICIBVS . OCCLVSVM
DATIS . AEDIBVS
INSTAVRAVIT

CLVIII.

M. DCCC. XXXVII. - M. DCCC. XXXXII.

VNIVERSO . IVRE . SVPALPINO
AD . SECVLI . RATIONES . SOLLERTER . EXACTO
NOVIS . IN . DIEM . EDICTIS
CIVIVM . PRAESIDIO . ADVIGILAT
REX . FORTVNANDIS . HOMINIBVS . NATVS

CLIX.

M. DCCC. XXXXV. - M. DCCC. XXXXVII.

IVRISPRVDENTIAE . ET . POLITIORVM . LITTERARVM . STVDIIS
RECTIVS . ORDINATIS . MAGISTERIIS . AVCTIS
OPTIME . DE . TAVRINENSI . ATHENAEO
MERITVS . EST

CLX.

M. DCCC. XXXI. - M. DCCC. XXXXVII.

AEDES . PALATINAS
EXIMIIS . NOBILISSIMORVM . ARTIFICVM . OPERIBVS
IN . LINTEO . PICTIS . EXORNAT
QVIBVS . PRAECLARA . SVBALPINAE . GENTIS
AVT . REGIAE . STIRPIS . FACINORA . EFFINGVNTVR
ACERRIMA . AEQVALIBVS . ET . POSTERIS . INCITAMENTA

CLXI.

M. DCCC. XXXXVIII.

PRINCIPATV . ET . LIBERTATE . PERMIXTIS
AEQVATIS . CIVIVM . IVRIBVS
PVBLICAM . FELICITATEM . ADSERVIT

CLXII.

Caselettis, in praetorio C. Cays Comitis.

An. M. DCCC. LIIII.

AN . M . DCCC . LIIII .
INSIGNE . DECVS . AEDIBVS . ACCESSIT
HOSPITIO . REGINAE . MARIAE . THERESIAE
ET . REGINAE . MARIAE . ADELAIDIS
QVAE . CVM . AVGVSTIS . LIBERIS
HVMBERTO . AMADEO . OTHONE . CLOTILDA . MARIA . PIA
A . DIE . IIII . CAL . SEXTIL . AD . XIIII . CAL . NOVEMBR .
EXEMPLO . VICANIS . PRAELVXERVNT
MIRANTIBVS . QVAM . BENIGNO . ALLOQVIO
OBVIVM . QVEMQVE . EXCIPERENT
QVANTA . LIBERALITATE . EGENTIBVS . ESSENT . SOLATIO
QVANTA . PIETATE . IN . DEVM . ET . MARIAM . VIRGINEM . OPIFERAM
QVAE . IN . AVITO . SACRARIO
SANCTISSIMA . RELIGIONE . COLITVR
CAROLVS . CAYS . COMES . GILETTAE . ET . CASELETTARVM
REG . HOSPITVM . PRAESENTIA . LAETVS
REI . MEMORIAM . POSTERIS . TRADENDAM . CVRAVI

CLXIII.

Senaregae, apud Ligures.

An. M. DCCC. LVIII.

LAPIDEM . INDICEM . LOCI
QVO . GENVENSES . AN . CHRISTIANO . MIIC .
CINERES . RECEPERVNT . S . IOANNIS . BAPTISTAE . PRAECVRSORIS
EXEVNTE . SECVLO . SVPERIORE
OB . GALLICOS . MOTVS . DE . MEDIO . REMOTVM
HVC . TRANSTVLIT
GEORGIVS . BALESTRERIVS . CVRIO
AN . M . DCCC . LVIII .

CLXIV.

An. M. DCCC. LVIII.

IACOBVS . MARGOTTIVS
ORTV . LIGVS . CIVITATE . TAVRINENSIS
DOCTOR . THEOLOGVS . SACERDOS
ACERRIMVS . CATHOLICAE . PROFESSIONIS . VINDEX
INGENIO . LITTERIS . CLARISSIMVS
VI . CAL . FEBRVARIAS . AN . M . DCCC . LVI .
DOMVM . REDIENS . SVB . VESPERAM
FRAXINEA . SVDE . PER . INSIDIAS . PETITVS
RVPTO . CAPITE . HVMI . EXANIMIS . PROCVBVIT
IN . LECTVLVM . DELATVS . IAM . NON . NOSTER
III . FERME . HORAS . A . MEDICIS . A . FAMILIARIBVS . DEPLORATVS
IPSVM . ALIENATAE . MENTIS . ERROREM
CIRCA . RELIGIONEM . HABVIT
VT . SE . RECEPIT . DE . PERCVSSORIS . VENIA . COGITAVIT
POSTRIDIE . QVVM . MELIVSCVLVS . ESSE . COEPISSET
EX . SALVTANTIVM . VVLTV . PERVIDIT
QVO . ANIMO . ATROCEM . DECVMBENTIS . CASVM . FERRENT
QVI . NVNC . INCOLVMEM . VIGENTEMQVE
GRATVLANTVR

CLXV.

Pini ad Cherium,
in sacello Mariae Virginis Perdolentis.

An. M. DCCC. LVIII.

AN . M . DCCC . LVIII .
ERNESTVS . SEBAST . EQVIT . F . MOLINES . A . MOLINA
IVRIS . CIVILIS . ET . PONTIFICII . CONSVLTVS
AEDICVLAM . D . N . MARIAE . PERDOLENTIS
PECVNIA . SVA . RESTITVIT
VBI . SACRVM . RVRSVS . FIERET
HYPOGEVM . AD . QVIETEM . PARAVIT
SIBI . ET . SVIS . ET . QVIBVS . IPSI . VOLVERINT
ADTRIBVTO . IN . TVITIONEM . AEDIS . CVRIAE
ANNVO . PROVENTV
EX . TITVLO . QVEM . CONSTITVIT
FRANCISCVS . MOLINES . A . MOLINA . VIR . NOB .
VI . CAL . MARTIAS . AN . M . DC . XIX .

CLXVI.

Ibidem, in crypta.

An. M. DCCC. LVIII.

ERNESTVS . SEBAST . EQVIT . F . MOLINES . A . MOLINA
SACRI . CIVILISQVE . IVRIS . CONSVLTVS
HYPOGEVM . SIBI . ET . SVIS . ET . QVIBVS . IPSI . VOLVERINT
IMPENSA . SVA . FECIT . AN . M . DCCC . LVIII .
IDEMQVE . EX . MAIORVM . VOLVNTATE
ET . CONSENSV . ARCHIEPISCOPI . TAVRINENSIVM
ANNVVM . VECTIGAL
IN . TVITIONEM . AEDIS . CVRIAE
EA . LEGE . DEDIT
VT . DEFICIENTE . STIRPE . VIRILI . ET . MVLIEBRI
SEBASTIANI . MOLINES . A . MOLINA
QVADRATO . LAPIDE . ADITVS . OBSTRVATVR
NEVE . CRYPTAM . IN . ALIVM . VSVM . TRADVCERE . LICEAT

CLXVII.

Bastiae apud Monregalenses, in aede Curiae.

An. M. DCCC. VIII.

PIO . FORZANIO
EPISCOPO . VIGLEVANENSIVM
QVOD . SACERDOTALEM . TRABEAM
CASVLAM . DALMATICAS . STOLAM
AVREI . SERICIQVE . OPERIS
ARGENTO . LAVTE . VIRGATI . FIMBRIATI
TEMPLO . DONO . DEDERIT
ANDREAS . CHIONETTIVS . CVRIO . VIC . POT .
BENEFICII . MEMOR . POSVIT
AN . M . DCCC . LVIII .

CLXVIII.

Pontisdecimi apud Ligures, in aede Iacobiana.

An. M. DCCC. LIX.

CVRATORES . MVNICIPII
SVFFRAGANTE . HIERONYMO . FRANCISCO . MARCIANIO
RECTORE . AEDIS . S . IACOBI . MAIORIS . AP .
MARIAM . SANCTAM . LAVRETANAM
PATRONAM . SIBI . PRIMAM . ADSCIVERVNT
EX . CONSENSV . PII . VIIII . PONTIFICIS . MAX .
ET . DECRETVM . EA . DE . RE . PERSCRIPTVM
IN . TABVLAS . PVBLICAS . REFERENDVM . CVRARVNT
A . DOMINICO . SCANILIA . TABELLIONE
III . ID . DECEMBRES . AN . M . DCCC . LIII .
ADSTANTE . ALOISIO . FORTE
SENIORE . ORDINIS . SVPR . CANONICORVM . METROPOLIT .
VICARIA . POTESTATE . EXORNATO

CLXIX.

Ibidem.

AEDEM . IACOBIANAM
AB . INCHOATO . EXTRVCTAM . AN . M . C . LXVII .
CVRIAE . NOMINE . ET . HONORE . DONAVIT
ANDREAS . CHARVAZ . ARCHIEPISCOPVS . GENVENSIVM
V . IDVS . SEXTILES . AN . M . DCCC . LVII .
QVO . DIE . ALOISIVS . PERNIGOTTIVS
VICE . SACRA . ANTISTES . GENVENSIVM
ADSTANTIBVS . CVRIONIBVS . X . CVM . DIGNITATIS . INSIGNIBVS
ET . CVRATORIBVS . MVNICIPII . ET . NEOCORIS
CELEBERRIMO . INCOLARVM . ADVENARVMQVE . CONVENTV
HIERON . FRANCISCVM . MARCIANIVM . SAC .
XX . IAM . ANNOS . AEDIS . RECTOREM
CVRIAE . PRAEPOSITVM . RITE . RENVNTIAVIT

CLXX.

Ibidem.

XI . CAL . QVINTIL . AN . M . CCCC . LII .
PAVLLVS . DOMINICVS . CAMPOFREGOSVS
ABBAS . BENEFICIARIVS . S . ANDREAE . SEXTI
EX . DIPLOMATE . NICOLAI . V . PONTIFICIS . MAXIMI
RECTOR . IACOBIANVS . PRIDIE . DECLARATVS
TITVLI . POSSESSIONEM . AVSPICATVS . EST
HIERON . FRANCISCVS . MARCIANIVS . CVRIAE . PRAEPOSITVS
VT . IN . POSTEROS . PROROGETVR
AMPLISSIMI . DECESSORIS . MEMORIA
CVI . VIRTVS . DVCALES . ET . ARCHIEPISCOPALES . INFVLAS
ET . PVRPVRAM . ROMANAM . CONCILIAVIT
HOC . SAXVM . IN . AEDE . SVA . PROSTARE . VOLVIT
ANNO . M . DCCC . LVIII .

CLXXI.

In Dantem Aligherium.

An. M. DCCC. LXV.

I.

DANTES . ALIGHERIVS
LATINE . SCIENTISSIMVS
IN . REPENTINOS . AETATIS . NOSTRAE . HOMINES
A . QVIBVS . ANTIQVITATIS . CONTEMTVS
PARS . INGENII . HABETVR
ANNO . NATALIS . SVI . DC .
ACERRIME . INVEHITVR

II.

A . PRISCA . ROMANORVM . DOCTRINA
SVBSIDIA . QVAESIVIT
DVM . ITALICAM . LINGVAM . FINGERET
DVM . IMMORTALE . POEMA . CONDERET
AD . CVIVS . ALTITVDINEM
VETVSTIORIS . SAPIENTIAE . SECVRIS
ADSVRGERE . NEFAS

III.

ANTISTITES . CHRISTIANI . NOMINIS
CLERICOS . MONACHOS
LATINORVM . SCRIPTORVM . VINDICES . SOSPITATORES
AB . ITALIS . MALE . MVLCATOS . INDIGNATVR

CLXXII.

Dantes Aligherius ad Italos.

AD. M. DCCC. LXV.

QVANDOQVIDEM . ITALI . HOMINES
ΓΕΝΕΘΛΙΟΝ . MEVM
HONORIS . CAVSA . RECOLITIS
NE . GRAVEMINI
HAEC . VERBA . PRONIS . AVRIBVS . ACCIPERE
QVAE . AMOR . IN . VOS . MEVS . EXPRESSIT
MATVRATO . CIVES . MEI . NON . PROPERATO
CONSTANTIA . NON . VANIS . INGENIIS
OPVS EST
NE . PECVDVM . RITV . AGITANTES
VEL . IVDAEORVM . CACHINNOS . COMMOVEATIS
SVNT . VETVSTAE
SVNT . NOVAE . LEGIS . PRAECEPTA
EST . PASTOR . QVI . AD . OVILE . VOS . AGAT
HOC . VNO . SALVTEM . NITI . MEMINERITIS
AGNVM . NE . IMITEMINI
QVI . RELICTO . MATRIS . VBERE
INGENIO . SVO . LASCIVIENS
VIRES . IN . SE . SVAS . EFFVNDIT
ABSIT . VT . ITALIAM
VELVTI . OLIM . ANAGNIAM
DVX . INGREDIATVR
LILIORVM . STEMMATE . LAETVS
VINCVLA . CHRISTO
VICARII . CAPTIVITATE . INIECTVRVS
VEL . ALTER . PILATVS . IDEMQVE . SAEVISSIMVS
QVI . TALI . NON . SATIATVS . FLAGITIO
IN . TEMPLVM . INVOLARE . NON . DVBITET
VLTRICEM . IRAM . ITALI . EXPAVESCITE
QVAE . DEI . TACITVM . PECTVS . PERTENTAT

CLXXIII.

Vischis, in aede Curiae.

An. M. DCCC. LVIIII.

AREA . SACRARII . P . S . CONSTRATA
AVITVM . HYPOGEVM
INSTAVRANDVM . CVRAVIT
CAR . EMMANVEL . BIRAGVS . A . VISCHIS . MARCHIO
AN . M . DCCC . LVIIII .

CLXXIV.

Titulus insculpendus, si libeat, in conclavi maximo R. Societatis Taurinensis incrementis scientiarum. Evulgatus fuit an. MDCCCLXI in libello, qui inscribitur: Il Mago della Garzegna, Novella di Filarco Epidaurico.

IOANNI . BAPTISTAE . BECCARIAE
DOMO . VICODVNO
PHYSICORVM . SVI . TEMPORIS
IN . ITALIA . POST . BOSCOWICHIVM . CLARISSIMO
SOCIETAS . TAVRINENSIS
SCIENTIARVM . FINIBVS . PROFERENDIS
FECIT . AN . M . DCCC . LXI .
VT . QVEM . VIVVM . NON . AGNOVIT
HONORE . MORTVVM . HONESTARET

CLXXV.

Monteregali, in aedibus Curiae Plani Vallis.

AN. M. DCCC. LXI.

DOMINICVS . VIGLIETTIVS . CVRIO . VIC . POT .
PRO . VETERE . DOMO
DECESSORVM . SEDE . ANGVSTIIS . INCOMMODA
BINIS . AEDIBVS . CONTIGVIS . COMPARATIS
PARTIM . PECVNIA . SVA . PARTIM . CVRIAE . PROVENTV
NOVAM . SIBI . ET SVCCESSORIBVS
AMPLIORE . FORMA . ADORNANDAM CVRAVIT
AN . M . DCCC . LXI .

CLXXVI.

In libro cui titulus: L'Epigrafista di Monreale, Novella di Filarco Epidaurico.

AN. M. DCCC. LXII.

PETRO . NOVELLIO
PICTORI . ICONICORVM
QVO . NEMO . APVD . SICVLOS
DILIGENTIVS . EX . VERO . SIMILITVDINEM . EFFINXIT
MONREGALENSES . CIVI . SVO . IMMORTALI
AN . M . DCCC . XXXVIII .
PP.

CLXXVII.

In avito sacrario Tancredii Fallettii, marchionis Baroli.

AN. M. DCCC. LXII.

VRNAM . IN . QVA . OSSA . CONDITA . SVNT . B . MARCHESII MARTYRIS . LEGIONIS . THEBAEORVM . TEMPORIS . INIVRIA DEFORMATAM . ANNO . CHRISTIANO . M . DCCC . LXII . ADNVENTIBVS ET . RITE . RECOGNOSCENTIB . II . VIRIS . AB . ARCHIEPISCOPO TAVRINENSI . AD . ID . DELECTIS . APERIVNDAM . NOVOQVE CVLTV . EXORNANDAM . CVRAVIT . IVLIA . COLBERT . VIDVA TANCR . FALLETTII . MARCHIONIS . BAROLI . VLTIMI . STIRPIS . SVAE

CLXXVIII.

Augustae Taurinorum.

An. M. DCCC. LXII.

HORRESCO . REFERENS
VI . IDVS . SEPTEMBRES . AN . M . DCCC . LXII .
MAGNA . TAVRINENSIVM . MANVS . TEMPLVM . IOANNIANVM . INGRESSA
VENERABVNDA . EXPECTABAT
DVM . SIGNVM . VIRGINIS . MATRIS
DEVM . PVERVM . IN . VLNIS . GESTANTIS
SOLEMNI . POMPA . VICATIM . TRADVCERETVR
ECCE . AVTEM . HOMO . PERFRICTAE . FRONTIS
INFANDO . AVSV . IN . SIGNVM . INVOLAT
BRACHIVM . ET . CAPVT . IESV
GEMINATIS . ICTIBVS . SECVRIS . DETRVNCAT
STVPOR . SPECTANTES . PERSTRINGIT
TORPET . OMNIVM . VOX . SPIRITVSQVE
MOX . TANTVM . FACINVS . INDIGNATI
PARS . FVSTE . IMPIVM . PERCVSSOREM . PETVNT
PARS . OCVLOS . A . FOEDO . SPECTACVLO . AVERTENTES
DIVERSI . DIFFVGIVNT
FIT . TVRBA . STREPITVS . QVIRITANTIVM . INGEMINAT
ARMATI . ELOCO . ADSVNT
SACRILEGVM . COMPREHENSVM . FORAS . PRORIPIVNT
SACERDOTES . PRONI . LACRIMANTES
NVMINIS . IRAM . DEPRECANTVR

CLXXIX.

Insculpenda Monteregali, in hospitio puellarum.

MEMORIAE . ET . VIRTVTI
ALOISII . IOANNIS . BAPT . F . BARACCO
DOMO . MONTEREGALI
CANONICI . EQVITIS . MAVRITIANI
QVI . MITIS . INGENIO . MORIBVS . QVIETVS
DIVINI . HVMANIQVE . IVRIS . PRVDENTISSIMVS
EXEMPLAR . SE . PERPETVVM . OMNIBVS . TRANSMISIT
PIETATIS . IN . DEVM
EXIMIAE . IN . EGENOS . LIBERALITATIS
SVFFRAGANTE . PIO . VITALE . EPISCOPO . MONREGALENSIVM
DOMI . RECEPTVM . APERVIT . PVELLIS . INOPIA . LABORANTIBVS
AD . QVAS . OMNEM . SVBSTANTIAM . SVAM
TESTAMENTO . PERTINERE . VOLVIT
VIXIT . ANN . LXXXII . MENS . VI .
ACQVIEVIT . IN . CHRISTO
X . CAL . IANVAR . AN . M . DCCC . LXII .

CLXXX.

An. M. DCCC. LXIII.

IN X PASSALIANVM

> « Avvertono i sapienti, che nello scioglimento dei problemi ardui il tutto consiste nel definir bene la X. » (Passaglia, *Atti uffic.* della Camera, N. 821, pag. 3201. Tornata del 2 luglio 1864).

QVVM . ITALI . ORATORES . A . POPVLO . DELECTI
LEGIBVS . FERENDIS . ET . ANNVIS . VECTIGALIB . DECERNENDIS
INTENTISSIMA . CVRA . IN . EA . NVPER . INQVIRERENT
QVIBVS . LICERET . FESSIS . ITALORVM . REBVS . CONSVLERE
CAROLVS . PASSALIA
QVI . HAVD . ITA . PRIDEM
ITALIAE . IVVANDAE . TVTANDAE . CAVSA
E . SODALIBVS . EXCESSIT . SOCIETATIS . IESV
GRANDI . SVPERCILIO . COLLEGAS . MONVIT
CERTISSIMAM . EXPEDIENDAE . SALVTIS . RATIONEM
NITI . LITTERA . X
ID . DICTVM . QVO . VALERET . QVVM . INTELLIGERET . NEMO
FVIT . EX . AMICIS . NOSTRIS . QVI . EXISTIMARET
HOC . A . PASSALIA . PER . AMBAGES . SIGNIFICARI
EO . NIMIRVM . VENTVM . ESSE
VT . HVMANIS . CONSILIIS . POSTHABITIS
NVLLA . IAM . ITALIS . SPES . RESTET
NISI . IN . CONSTANTINIANO . MONOGRAMMATE . ☧
QVOD . LATINIS . PARITER . ET . GRAECIS . LITTERIS . CONFLATVM
X . PASSALIANVM . VNAQVE . CHRISTVM . ET . PIVM . EXHIBET
NOS . AMICO . INTERPRETANTI . PLANE . ASSENTIENTES
PASSALIAE . LIBENTES . MERITO . GRATVLAMVR

CLXXXI.

Monteregali, in aede maiori (frustra).

An. m. dccc. lxv.

RELIQVIAS . TEMPLI . MAIORIS
QVOD . MVNIFICENTIA . AMADEI . ROMAGNANI
EPISCOPI . MONREGALENSIVM
FVERAT . EXCITATVM . AN . M . D . V .
IN . IPSIS . RVDERIBVS . ANTIQVAE . AEDIS
SECVLI . CHRISTIANI . XI .
VBI . POSTMODVM . EMMANVEL . PHILIBERTVS
DVX . ALLOBROGVM
MVNIENDAE . VRBIS . CAVSA . ARCEM . STATVIT
COLLEGIVM . CANONICORVM
NE . PRISCARVM . ARTIVM . MONVMENTA
SITV . ET . SQVALORE . DILABERENTVR
HVC . TRANSFERENDAS . CVRAVIT
AN . M . DCCC . LXIIII .

CLXXXII.

Baroli, in aede Curiae.

An. m. dccc. lxiii.

HEIC . VBI . FALLETTIORVM . OSSA . QVIESCVNT
IVLIA . VICTVRNIA . COLBERT . A . MAVLEVRIER
VXOR . TANCREDII . FALLETTII . MARCHIONIS . BAROLI
AD . LABES . SVAS . ABOLENDAS
ET . PIORVM . MANIVM . VTRIVSQVE . GENTIS . S . S .
SACRVM . QVOTIDIANVM . PERPETVVM . HAC . LEGE . FIERI . IVSSIT
VT . ITALICI . ARGENTEI . DC .
QVOTANNIS . DENTVR . DEFERANTVR . CVRIONI . HVIVS . AEDIS
CVIVS . ERIT . SEPVLCRA . INVIOLATA . SERVARE
ET . HASCE . CONDITIONES . IN . CVRIAE . TABVLARIVM . REFERRE .

FASTI RERVM GESTARVM

À PIO IX PONTIFICE MAXIMO

AB AN. M. DCCC. XLVI. AD AN. M. DCCC. LXIII.

FASTI RERVM GESTARVM

A PIO IX PONTIFICE MAXIMO

AB AN. M. DCCC. XLVI. AD AN. M. DCCC. LXIII.

CLXXXIII.

D . N . PIVS . IX .

DEO . AVCTORE . PONT . MAX . RENVNTIATVS . XVI . CAL . IVN .
SACRORVM . SOLEMNIBVS . INITIATVS . XI . CAL . IVL .
PONTIFICATVM . SVSCEPIT . VI . ID . DECEMBR . AN . M . DCCC . XLVI .
INCREDIBILI . CHRISTIANI . NOMINIS . LAETITIA
RESTITVTOREM . FELICIVM . SECVLORVM . SALVTANTIS

CLXXXIV.

REGNVM . AVSPICATVS
A . MOTVVM . CIVILIVM . OBLIVIONE
CLEMENTIAE . LAVDE . INCLARVIT
IAM . DE . SE . NON . SPEM . SED . FIDVCIAM . ADFERENS

CLXXXV.

SEDITIONE . ROMAE . COORTA
FACTIOSIS . REM . PVBLICAM . OBTINENTIBVS
CAIETAM . SECEDIT
POST . MENSES . XVII . VNIVERSIS . ORDINIBVS . ADCLAMANTIBVS
IN . PACATAM . VRBEM . TRIVMPHANS . INVEHITVR

CLXXXVI.

DOMVM . ALVMNIS . SACRORVM . INSTITVENDIS
QVAM . EX . SVO . NOMINE . APPELLARI . PASSVS . EST
HAC . LEGE . APERVIT . AD . S . APOLLINARIS . IN . VRBE
VT . SINGVLI . EPHEBI
EX . VNAQVAQVE . DIOECESI . REGNI . PONTIFICII
BINI . EX . SENOGALLIENSI . RELIGIOSIS . MORIBVS . PROBATISSIMI
PVBLICE . ALERENTVR

CLXXXVII.

SVBVERSIS . MOLIBVS . RVDERIBVS . EGESTIS
RELIQVIAS . BASILICAE . IVLIAE
ELEGANTIBVS . BONARVM . ARTIVM . SPECTATORIBVS . RESTITVIT

CLXXXVIII.

PVELLIS . PVBLICE . INSTITVENDIS
MAGISTERIO . VIRGINVM . QVIBVS . A . PROVIDENTIA . NOMEN . EST
AMPLAS . AEDES . CVM . HORTIS
EO . CONSILIO . EXTRVXIT . IN . VRBE . ADIECTA
VTI . DIEBVS . FESTIS
IN . DISCIPLINAM . CONVENIRENT . GRANDIORES . NATV
QVAE . PROFESTIS . ADSIDVO . OPERE . DISTINENTVR

CLXXXIX.

MORIBVS . ET . LVDIS . TVTANDIS
AEDICVLAM . CVM . HORTIS . INSTRVCTIS
AD . DIVERSANDVM . DIEBVS . FERIATIS
HAVD . PROCVL . AB . VRBE . ADOLESCENTVLIS . INDVLSIT

CXC.

LECTIS . II . VIRIS . CVRATORIB . ANNVO . VECTIGALI . ADTRIBVTO
RELIQVIAS . PRISCARVM . ARTIVM
E . CHRISTIANIS . HYPOGEIS . EFFOSSAS
AEDIBVS . LATERANENSIBVS . IVSSIT . INFERRI
ET . MVSEVM . CHRISTIANVM . DEDICAVIT

CXCI.

TVRRIM . SPECVLATORIAM . AD . CAPITOLIVM
MERIDIANO . CIRCVLO . INSTRVXIT
EX . RECENTIORVM . INVENTIS . PERFECTO
TVRRIM . SPECVLATORIAM
ARCHIGYMNASII . GREGORIANI . AMPLIATAM
OMNI . INSTRVMENTO
AD . VIM . MAGNETICAM . TELLVRIS . EXPLORANDAM
MAGNIFICE . ADORNAVIT

CXCII.

ADOLESCENTES . IVDICVM . SENTENTIIS . DAMNATOS
IN . PECVLIARI . SALVBRIQVE . CVSTODIA
QVOTIDIANO . OPERE . EXERCENDOS . DECREVIT
NE . IN . VINCVLIS . PVBLICIS
SCELESTORVM . CONTAGIONE
INSIGNES . AD . IMPROBITATEM . FIERENT

CXCIII.

E . MAGNO . CAPITIS . PERICVLO . SOSPES
TEMPLVM . HAGNAE . VIRG . MART . VIA . NOMENTANA . EXORNAVIT
EIQVE . CONTINENTES . AEDES . CANONICORVM . LATERANENSIVM
VETVSTATE . DILABENTES
A . SOLO . REFECIT

CXCIV.

AVCTIS . MAGISTERIIS
PRAEMIIS . STVDIORVM . IVVENTVTI . PROPOSITIS
PONTIFICIA . VETERVM . NVMOR . GAZA . BIBLIOTHECAE . ADTRIBVTA
SACRARIO . IN . SPLENDIDIOREM . FORMAM . RESTITVTO
SCALIS . PORTICIBVS . INSTAVRATIS
DE . ARCHIGYMNASIO . ROMANO . PRAECLARE . MERITVS . EST

CXCV.

LVDVM . APERVIT . IN . REGIONE . VRBIS . ADIECTAE
VBI . RELIGIOSI . SODALES . A . MISERICORDIA
PVEROS . SEXENNIVM . EGRESSOS
DOCTRINAM . CHRIST . HISTORIAM . SACR . ITALAM . DICTIONEM
ARITHMETICEN . DIAGRAPHEN . DOCERENT
LIBRIS . OMNIQVE . INSTRVMENTO
IN . DISCENTES . PVBLICE . EROGATIS

CXCVI.

STVDIVM . SVVM
IN . ORDINES . VIRORVM . RELIGIOSORVM . TESTATVS
AD . VETEREM . DISCIPLINAM . INSTAVRANDAM
CONSILIVM . CONSTITVIT

CXCVII.

BIBLIOTHECAM . VATICANAM
LIBRIS . CODICIBVS . AVTOGRAPHIS . INSTRVXIT
QVAE . SVMMO . STVDIO . CONGESSERAT . ANGELVS . MAIVS . V . E .
DVPLICI . PRISCORVM . NVMORVM . SERIE . AVXIT
AVRO . PICTVRIS . OPERE . MVSIVO
COLVMNIS . MARMOREIS . DECORAVIT

CXCVIII.

ORDINEM . EQVESTREM
EX . SVO . NOMINE . APPELLATVM . INSTITVIT
MERITIS . PRAEMIVM . MERITVRIS . INCITAMENTVM

CXCIX.

QVO . COMMODIOR . AD . VATICANAS . AEDES . ADITVS . PATERET
NOVAS . SCALAS
REGIO . CVLTV . AEDIFICANDAS . CVRAVIT

CC.

PANTHEON
A . M . AGRIPPA . COS . EXTRVCTVM
DEIECTIS . AEDIFICIIS . ADSPECTVM . FOEDANTIBVS
CVLTVQVE . ADDITO
IN . PRISTINAM . FORMAM . RESTITVIT

CCI.

MVSEVM . ANATOMICVM
AMPLO . CHALCIDICO . EXTRVCTO
FORMIS . DIGERENDIS . ARTVVM . ET . VISCERVM . HVMANORVM
OMNI . INSTRVMENTO . APTIS . ARCVLIS . THECISQVE . DISPOSITO
CVLTORIBVS . ARTIVM . SALVTARIVM . LAVTE . ADORNAVIT

CCII.

SVBVRBANVM . PRAEDIVM . VIA . PORTVENSI
SODALIBVS . IOSEPHIANIS . ADTRIBVIT
VTI . ADOLESCENTVLI . NON . DICTATIS . IN . VMBRA . ERVDIT
SED . RVSTICIS . LABORIBVS . DVRATI
AD . REM . AGRARIAM . PVBLICE . FINGERENTVR

CCIII.

VIA . APPIA . RESTITVTA
A . TEMPLO . S . SEBASTIANI . AD . BOVILLAS
COMPLVRA . VETVSTARVM . ARTIVM . MONVMENTA
IAMDIV . AGGESTIS . RVDERIBVS . CONDITA
IMPENSA . SVA . DETEGENDA . CVRAVIT

CCIV.

NITIDISSIMAM . LVCEM . EX . ATRIS . VAPORIBVS . ELICITAM
PER . SINGVLAS . VRBIS . REGIONES
IN . NOCTVRNA . LVMINA . DISPERTITVS
CIVIVM . COMMODO . ET . SECVRITATI . PROSPEXIT

CCV.

MVSEVM . RERVM . NATVRALIVM
CONCLAVIBVS . OMNI . CVLTV . EXORNATIS
NOVA . METALLORVM . LAPIDVM . FOSSILIVM . COPIA
COMMODE . PER . PLVTEOS . DIGESTA
IN . ELEGANTIOREM . FORMAM . REFECIT

CCVI.

AD . MEMORIAM
FAVSTI . FELICISQVE . DIEI . VI . ID . DECEMBR . AN . M . DCCC . LIIII .
QVO . MARIAM . AVGVSTAM
AB . ORIGINE . LABIS . NESCIAM . RITE . PRONVNTIAVIT
IN . AREA . ANTE . EPHEBEVM . VRBANIANVM
COLVMNAM . MARMOREAM . BRACTEATAM . ERIGI
EIQVE . STATVAM . AEREAM . VIRGINIS . MATRIS . IMPONI . IVSSIT

CCVII.

SACERDOTIBVS
INOPIA . ET . VALETVDINE . LABORANTIBVS
AEDES . HOSPITALES . APERVIT
ANNVIS . REDITIBVS . ADTRIBVTIS

CCVIII.

VALETVDINARIVM . MILITIBVS . CONSTITVIT
HOSPITIVM . MARIANVM . MENTE . CAPTIS . RECIPIVNDIS
PVBLICO . PRIVOQVE . AERARIO . AMPLIAVIT
COMMODIS . AVXIT

CCIX.

VIAS . FERREIS . AXIBVS . CONSTRATAS
AB . VRBE . AD . MARE . MEDITERR . AD . FINES . NEAPOLITANOR .
OB . MVTVA . COMMERCIA . DEDVCENDAS . CVRAVIT

CCX.

IN . HONOREM . ANDREAE . APOSTOLI . SOSPITATORIS . VRBIS
AEDICVLAM . EXTRA . PORTAM . PANCRATIANAM
VBI . CAPVT . EIVS . FVRTO . ABLATVM
HVMIQVE . ABDITVM . REPERIT
AB . INCHOATO . EXTRVI . IVSSIT

CCXI.

VIRGINIBVS . DEO . DEVOTIS
TEMPORVM . ASPERITATE . AD . EGESTATEM . REDACTIS
ARCAM . IN . SVBSIDIVM . CONSTITVIT

CCXII.

PORTAM . PANCRATIANAM
QVAM . FACTIO . SEDITIOSORVM . DEFORMAVERAT . AN . M . DCCC . XLVIII .
SPLENDIDIORE . CVLTV . RESTITVTAM . AN . SACRI . PRINCIPATVS . VIII .
STATIONE . PRAESIDIARIORVM . ET . PORTITORVM . COMMVNIVIT

CCXIII.

ALTARE . PONTIFICIVM . CVM . CRYPTA . TEMPLI . LATERANI
DETERSO . SQVALORE
AVRO . MARMORIBVS . OPERE . TECTORIO
FERREA . LORICA . EXORNAVIT

CCXIV.

AEDEM . STEPHANIANAM
SECVLO . V . CHRISTIANO
A . DEMETRIA . VIRGINE . EXCITATAM . VIA . LATINA
POST . DIVTVRNAM . OBLIVIONEM
AEQVIS . AESTIMATORIBVS . REDDIDIT

CCXV.

STATVAM . FAVSTINAE . AVG . SIDERIBVS . RECEPTAE
SENATVI . POPVLOQVE . ROMANO
DONO . DEDIT

CCXVI.

AVCTORITATE
PII . IX . PONT . MAX .
BASILICA . LAVRENTIANA
EXTRA . PORTAM . EXQVILINAM . RESTITVTA
CEPOTAPHIVM . COMMVNE . AMPLIATVM
ARBORIBVS . CONSITVM . SPATIIS . DISTINCTVM
INIBI . AEDICVLA . PRO . LOCI . RELIGIONE . ET . DIGNITATE
EIVS . IMPENSA . DEDICATA . EST

CCXVII.

LIBERALITATE . PRINCIPIS
LVDVS . PVBLICVS . APERTVS . EST
IN . GYNAECEO . AMBROSIANO . AD . AEDEM . FVNARIORVM
VBI . ANIMVLAE . EGENTIVM . PVELLARVM
APTA . INSTITVTIONE . AD . VIRTVTEM . EXCOLERENTVR

CCXVIII.

AVCTORITATE
PII . IX . PONT . MAX .
SENATVS . POPVLVSQVE . ROMANVS
FRONTE . COENOBII . MARTHAE . VIRGINIS . EXORNATA
ADITV . AD . AREAM . ARCHIGYMNASII . GREGORIANI . EXPLICATO
SPECIEM . VRBIS . INSIGNITER . AVXIT

CCXIX.

MVNIFICENTIA . ET . PIETATE

PII . $\overline{IX}$. PONT . MAX .

PVRGATIS . EXTRA . PORTAM . SEBASTIANEAM . RVDERIBVS
DETECTVM . EST . CALLISTI . HYPOGEVM . VBI . CHRISTIANI
ODIO . IMPIORVM . IN . CAPITIS . DISCRIMEN . ADDVCTI
INTER . MARTYRVM . LOCVLOS . OLIM . DELITESCERENT

CCXX.

AVCTORITATE

PII . $\overline{IX}$. PONT . MAX .

MODERATOR . OPERVM . PVBLICORVM
COLVMBARIVM . EXTRA . PORTAM . CAPENAM
AD . CAELIOLVM . INSTAVRAVIT
LITERATIS . LAPIDIBVS . MONVMENTORVM . VETERVM . INSTRVXIT

CCXXI.

NE . IN . COMMVNI . COENARVM . LAVTITIA
TENVIORES . GENIVM . SVVM . DEFRAVDARENT

PIVS . $\overline{IX}$. PONT . MAX .

S . GREGORII . MAGNI . EXEMPLVM . SECVTVS
$\overline{\text{LIV}}$. PAVPERIBVS . EX . VNAQVAQVE . CVRIA . VRBANA . DELECTIS
IN . AEDIBVS . VATICANIS . $\overline{\text{ΑΓΑΠΗΝ}}$. IVSSIT . APPARARI
$\overline{\text{IIII}}$. CAL . NOVEMBRES . AN . $\overline{\text{M . DCCC . LXIII}}$.
QVIBVS . CONVIVANTIBVS . IPSE . INSPERATO . ADVENIENS
ADSPECTV . ALLOQVIO . LIBERALITATE
EXPRESSAM . CHRISTI . IMAGINEM . RETVLIT

CCXXII.

PIVS . IX . PONT MAX .
AB . AN . M . DCCC . XLVIII . AD . M . DCCC . LXIII .
PERPETVVS . PACIS . AVCTOR
DOMI . OTIVM . ET . CONCORDIAM . CIVIVM . FOVIT
FORIS . ATROCIA . BELLA . DEPRECATVS . EST
NOVISSIME . STVDIO . PACIS
PARISIACVM . CONVENTVM
A . NAPOLEONE . III . PROPOSITVM . NON . RENVIT
AD . AMERICANOS . PONTIFICES . LITTERAS . DEDIT
VTI . POPVLOS . A . CIVILI . SANGVINE . PROHIBERENT
PLAVDENTE . IEFFERSONO . DAVIS
FOEDERATORVM . MERIDIONALIVM . PRAESIDE
PRINCEPS . MITISSIMI . INGENII
INTER . HORRENTES . ARMORVM . STREPITVS
PACEM . MORTALIBVS . SVADENDO
IN . OMNEM . LATE . ORBEM . TERRARVM
EST . DOMINATVS

PRO INCOLVMITATE

PII IX PONTIFICIS MAXIMI

ITALORVM VOTA

PRO INCOLVMITATE

PII IX PONTIFICIS MAXIMI

ITALORVM VOTA

CCXXIII.

PIO . IX . PONT . MAX .

CATHOLICI . NOMINIS . VINDICI . FORTISSIMO
ITALI . QVI . INFRA . SCRIPTI . SVNT
DEVOTI . SANCTITATI . MAIESTATIQ . EIVS
OBSEQVIVM . SVVM . TESTANTVR
VIIII . CAL . IVNIAS . QVO . DIE . PIVS . VII . PONTIFEX . MAX .
PRAESENTI . VIRGINIS . MATRIS . AVXILIO
EX . SAVONENSI . CAPTIVITATE . IN . REGNVM . RESTITVTVS
ADCLAMANTIBVS . ORDD . VNIVERSIS . VRBEM . TRIVMPHANS
INVECTVS . EST
PRECATI . VT . PACATIS . TANDEM . HOSTIBVS
IN . AVGVSTA . SEDE . DIV . PLACIDEQ .
INTERSIT . POPVLO . CHRISTIANO

CCXXIV.

PIO . IX . PONT . MAX .

INVICTO . HOSTIVM . STATORI
INSIGNIA . MVNERA . QVIBVS . ITALORVM . PIETAS . DECLARATVR
TAVRINENSES . LAETI . LIBENTES . MITTIMVS
SIC . DEO . VOLENTE
VT . MANVS . ALTERA . VVLNVS . ALTERA . OPEM . FERAT

CCXXV.

PIO . IX . PONTIFICI . MAXIMO

PARENTI . CHRISTIANORVM . OPTIMO . INDVLGENTISSIMO
ITALI . QVORVM . NOMINA . SVBSCRIPTA . SVNT
OB . RECIPERATAM . EX . VNIVERSI . ORBIS . VOTO . VALETVDINEM
GRATVLATI
PETRI . APOSTOLI . DIES . ADPRECANTVR
QVI . HODIE . COELESTI . NVMINE . VINCVLIS . SOLVTVS
REM . CHRISTIANAM . AVXIT . FIRMAVIT

CCXXVI.

EN . TIBI

PIE . IX . PONT . MAX .

ALTERVM . DONORVM . ΕΛΕΓΧΟΝ . ITALI . ALACRES . OFFERVNT
AD . VINCVLORVM . MEMORIAM . RECOLENDAM
QVAE . AB . HERODE . III .
PER . SVMMVM . NEFAS . PRINCIPI . APOSTOLORVM . INIECTA
CATHOLICAM . LIBERTATEM . ADSERVERVNT

CCXXVII.

XVIII . CAL . SEPTEMBRES
HONORI
S . MARIAE . SIDERIBVS . RECEPTAE
IN . SVBSIDIVM . D . N . PII . IX . PONT . MAX .
ITALI . CATHOLICAE . SAPIENTIAE . SECTATORES
DONA . DONIS . CVMVLANT
IESVM . ENIXE . PRECATI
VT . REI . CHRISTIANAE . LABORANTI . VOLENS . PROPITIVS . ADSIT
TEQVE . VIRGO . MATER
VT . QVA . OLIM . PIVM . V . PIVM . VII .
EADEM . NVNC . PIVM . VIIII . SOSPITES . OPE
QVI . TE . AB . ORIGINE . IMMACVLATAM . PRONVNTIAVIT

CCXXVIII.

PIO . IX . PONT . MAX .
PRAECLARA . ITALORVM . DONA . TAVRINENSES . DEFERIMVS
VI . IDVS . SEPTEMBRES
IN . HONOREM . MARIAE . NASCENTIS
CVIVS . AVXILIO . FVSIS . GALLIS . VRBI . IMMINENTIBVS
DEBELLATVM . EST . AN . M . DCC . VI .

CCXXIX.

PIO . IX . PONT . MAX .

IN . SVMMO . RERVM . DISCRIMINE
STRENVO . SACRI . PRINCIPATVS . ADSERTORI
VNIVERSA . ITALIA . IMMOBILEM . FIDEM . PROFITETVR
AVSPICATISSIMO . DIE
NOMINI . MARIAE . S . RECOLENDO
QVO . VOCATO . CHRISTIANI . TVRBVLENTISSIMIS . TEMPESTATIBVS
INSIGNEM . DE . HOSTIBVS . TRIVMPHVM . RETVLERVNT

CCXXX.

MARIA
COELESTIVM . REGINA

CVIVS . OPE . HOSTES . NOMINIS . CHRISTIANI
AD . ECHINADAS . INSVLAS . DEVICTI . SVNT
PIO . V . PONT . MAX . BARBARICAM . PESTEM . DEPRECANTE
HODIE . ITALORVM . PRECIBVS . EXORATA
PIVM . IX . PONT . MAX . PATROCINIO . TVO . CONFISVM . SIC . TVERE
VT . ILLVD . PATEAT . VERISSIME . DICTVM
NEMINEM . VNQVAM . AD . CHRISTI . MATREM . CONFVGISSE
QVIN . VOTI . REVS . ABIRET

CCXXXI.

MARIA . SANCTA . OPIFERA

TE . OLIM . ARMORVM . POTENTEM
SENSERVNT . OSORES . CATHOLICAE . SAPIENTIAE
ADVERSVS . QVOS . ADNITENTE . PIO . V . PONTIFICE . MAXIMO
CONIVRATI . CONSTITERVNT . PRINCIPES . CHRISTIANI
TE . NVNC . ITALI . ROGAMVS
PIVM . VIIII . PONT . MAX . RESPICIAS
QVEM . PRO . SACRO . PRINCIPATV . FORTISSIME . DIMICANTEM
DEGENERES . ANIMI . PER . SVMMVM . DEDECVS . DESTITVVNT

CCXXXII.

PIO . IX . PONT . MAX .

IN . RE . ANGVSTA . VERSANTI
MISSIS . VLTRO . MVNERIBVS . ITALI . OPITVLANTVR
XII . CAL . DECEMBRES . AN . M . DCCC . LXI .
QVO . DIE . MVLTI . SIGNO . DATO . AVGVST . TAVRINOR . CONVENIVNT
ROGATVRI . QVORSVM . EVASERINT . IACTATA . DIV . CONSILIA
DE . PONTIFICIA . VRBE . OCCVPANDA
DE . ARCE . CATHOLICARVM . GENTIVM . EVERTENDA

CCXXXIII.

MARIA . VIRGO
AB . ORIGINE . LABIS . NESCIA

TE . ITALI . PRECIBVS . FATIGANT
VT . PIVM . IX . PONT . MAX .
DIV . INCOLVMEM . SERVES . IN . VRBE
IN . QVA . ABHINC . ANN . VII .
QVASI . IN . MAGNO . ORBIS . TERRAE . THEATRO
GLORIAM . TVAM . SPECTATAM . VOLVIT

CCXXXIV.

QVAM . PER . HOS . DIES
VNIVERSAE . GENTES . CATHOLICI . NOMINIS
AB . ORIGINE . LABIS . EXPERTEM . PRAECIPVA . RELIGIONE . COLVNT
TE . VIRGO . MATER
ITALI . AMBIVNT . SOLLICITIS . PRECIBVS
VT . PIVM . IX . P . M .
INSANIS . FLVCTIBVS . IACTATVM
IN . PORTVM . ALIQVANDO . REDVCEM . FACIAS

CCXXXV.

VIRGO . SANCTA
AB . ORIGINE . IMMACVLATA
SACRVM . CAPVT . TRIGEMINA . CORONA . REDIMITVM
TVTELAE . TVAE . COMMITTIT
PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
QVI . TE . IMMORTALI . DIADEMATE
HAVD . ITA . PRIDEM . REDIMIVIT
NE . FRVSTRA . SIT . SPES
PARENTIS . ET . MAGISTRI . NOMINIS . CHRISTIANI
ITALI . QVI . TVA . SVMVS . IN . FIDE
SVPPLICES . PETIMVS

CCXXXVI.

CALENDIS . IANVARIIS
ITALI . ALACRES . LAETIQ . ANNVM . A . VOTIS . AVSPICAMVR
DEVM . PRECATI
QVI . HODIE . SALVTEM . HVMANI . GENERIS
SANGVINE . SVO . DEDICAVIT
VT . TE . DIV . FLORENTEM . PRAESTET
PIE . IX . PONT . MAX .
CVIVS . INCOLVMITATE . SECVRITAS . CHRISTIANAE . REIP . CONTINETVR

CCXXXVII.

IN . HONOREM
INFANTIS . DEI
PRO . INCOLVMITATE . PII . IX . PONTIFICIS . MAXIMI
CVIVS . HIC . EST . DIES . ΟΝΟΜΑΣΤΙΚΟΣ
ITALORVM . DONA

CCXXXVIII.

HOC . DIE . QVO . DEVS . PVER
A . TRIBVS . SAPIENTIBVS . EST . ADORATVS
ITALI . AD . PEDES . TVOS . PROVOLVTI
PIE . IX . PONT . MAX .
AVRVM . ET . THVS . DAMVS
MYRRHAM . ABSTINEMVS . QVAM . ALII . SATIS . SVPERQVE . DEDERVNT

CCXXXIX.

XV . CAL . FEBRVARIAS
QVO . DIE . INITIVM . FVIT . SVMMI . IN . VRBE . SACERDOTII
ITALI . DONA . TIBI . FERENTES
PIE . IX . PONT . MAX .
IESVM . PRECANTVR
CVIVS . NOMINI . RECOLENDO . CRAS . SOLLEMNIA . REDEVNT
VT . CATHEDRAM . PETRI . APOSTOLI . PERGAT . FORTVNARE
QVAM . PER . XIX . SECVLA . DIVINITVS . STANTEM
VENTI . VNDIQVE . REFLANTES
NEC . LABEFACTARE . POTVERVNT . NEC . LOCO . DIMOVERE

CCXL.

PRO . INSANIS . LVPERCALIVM . RITIBVS
QVI . APVD . VETERES . OBTINVERVNT
IIII . NONAS . FEBR . SOLLEMNIA . CELEBRANTVR
IN . HONOREM
MARIAE . PVERPERAE . PERLITANTIS
QVO . FESTO . TE . PIE . IX . PONT . MAX .
SINGVLARI . PIETATIS . ET . OBSEQVII . TESTIMONIO
ITALI . DECORANDVM . CENSVIMVS
NE . DVM . CHRISTI . MATREM . COLIMVS
PARENTEM . CHRISTIANORVM . OBLITI . VIDEAMVR

CCXLI.

HOC . ESTO . FIDEI . NOSTRAE . PIGNVS
SANCTISSIME . PATER
QVO . TESTATVM . MAXIME . VOLVMVS
NVNQVAM . FORE . VT . ITALORVM . MENTES
A . VOLVNTATE . PONTIFICIS . MAXIMI . DISSENTIANT
QVEM . ITALICAE . DIGNITATIS . ET . INCOLVMITATIS . ADSERTOREM
VNO . OMNES . ORE . PROFITEMVR

CCXLII.

QVAE . HODIE . TIBI . DAMVS . DONA . EO . NIMIRVM . PERTINENT
PIE . IX . PONT . MAX .
VTI . PALAM . SIT
FALSO . ALIENAE . A . TE . VOLVNTATIS . ITALOS . FVISSE . INSIMVLATOS
QVIBVS . ALTE . EST . PERSVASVM
DIVINAM . SACRI . PRINCIPATVS . COMPAGEM
QVAE . XIX . SECVLORVM . CONSILIO . ET . VIRTVTE . COALVIT
CONVELLI . SINE . EXITIO . CONVELLENTIVM . NON . POSSE

CCXLIII.

NON . PAVCORVM . VAFRITIA
COMMODIS . SVIS . OMNINO . SERVIENTIVM
NON . CLAMORES . INCONDITAE . MVLTITVDINIS
COMPOSITO . PER . VICOS . PER . COMPITA . RVENTIS
SED . FVSAE . MVLTORVM . AD . DEVM . PRECES
ET . MISSITATA . VLTRO . MVNERA
PRO . INCOLVMITATE
D . N . PII . IX . PONT . MAX .
QVORSVM . SPECTENT . ANIMI . ITALORVM
VERISSIME . TESTANTVR

CCXLIV.

PER . GENIALES . BACCHANALIORVM . DIES
QVVM . MAGNAM . AVRI . VIM
IN . RES . LVDICRAS . ET . VOLVPTARIAS . MVLTI . PROFVNDERENT
PAVCVLOS . TIBI . NVMMOS
PIE . IX . PONT . MAX .
NOS . SEPOSVIMVS . QVIBVS . RELIGIO . FVISSET
VEL . AD . HONESTAM . ANIMI . REMISSIONEM
TE . LABORANTE . DESCENDERE

CCXLV.

QVOD . CVLTVS . QVOTIDIANVS . TRIBVTA . VECTIGALIA
NOBIS . RELIQVI . FECERVNT
QVANTVLVMCVMQVE . ID . EST . LIBENTES . TIBI . DAMVS
PIE . IX . PONTIFEX . MAXIME
TAMDIV . PROPOSITI . TENACES
QVOAD . SERENO . TIBI . VVLTV . RIDEAT . FORTVNA

CCXLVI.

VIRTVS . HAEC . TVA
PIE . IX . PONTIFEX . MAXIME
REGNVM . A . MOTVVM . CIVILIVM . OBLIVIONE . AVSPICARI
VENIAM . PECCANTIBVS . FACILE . DARE
MITISSIMVM . INGENIVM . IN . OMNIBVS . PRAEFERRE
QVAE . ITALI . ADMIRATI
REBVS . TVIS . AFFLICTIS . AERE . COLLATO . SVBVENIVNT

CCXLVII.

LAVS . HAEC . TVA
PIE . IX . PONT . MAX .
SINGVLARI . CONSILIO . FVTVRA . PROSPEXISSE
ANCIPITEM . POTENTIORVM . FIDEM . PRAECAVISSE
ITALIS . PLAVDENTIBVS
QVI . SE . TIBI . FORTVNASQVE . SVAS . DEVOVERVNT

CCXLVIII.

GLORIA . HAEC . TVA
PIE . IX . PONT . MAX .
N . IPSIS . RERVM . DIFFICVLTATIBVS . ANIMVM . SVSTVLISSE
INVICTA . FORTITVDINE . HOSTIVM . AVDACIAM . FREGISSE
ITALOS . CONFIRMASSE
QVORVM . SPES . OMNIS . IN . TE . SITA . EST

CCXLIX.

FELICITAS . HAEC . TVA
PIE . IX . PONTIFEX . MAXIME
SOLEMNI . RITV . DECREVISSE
VTI . MAGNA . DEI . PARENS
AB . ORIGINE . LABIS . EXSORS . HABERETVR
EADEM . AVSPICE . EXPECTARE
VAM . MOX . ANIMI . OMNIVM . IN . TVI . OBSEQVIVM . COALESCANT

CCL.

QVI . TE . ABHINC . ANNOS . QVINQVE
AD . NOS . ADVENTANTEM . LAETITIA . GESTIENTES . EXCEPIMVS
PIE . IX . PONT . MAX .
NVNC . OPIBVS . OMNIBVS . EXPOLIATVM
AEMILIAE . POPVLI . COLLATITIA . STIPE . IVVAMVS
IN . BONIS . IN . ARDVIS . REBVS . TIBI . DEVOTISSIMI
AEQVAM . IN . VTRAQVE . FORTVNA . MENTEM . SERVANTI

CCLI.

HODIE . SOSPITATOREM . MORTALIVM
DEVM . FILIVM . AD . COELESTIA . REDEVNTEM
SACRIS . SOLLEMNIBVS . ITALI . VENERAMVR
QVORVM . VNVM . VOTVM . EST
SALVS . PII . IX . PONTIFICIS . MAXIMI

CCLII.

QVVM . IACOBVS . ANTONELLIVS . PATER . CARD .
NEGOTIIS . PVBLICIS . ADMOTVS
CIVILIS . PRVDENTIAE . LAVDE . CONTINVO . INCLARVERIT
PIVM . IX . PONT . MAX .
IMPOTENTI . FACTIONE . EXAGITATVM
FVGITIVVM . EXSVLEM . REDVCEM . CONSILIO . RECREAVERIT
RERVM . NOVARVM . CVPIDIS . PATRIAE . PERNICIEM . MOLIENTIBVS
AVDACTER . OBSTITERIT
NEQVE . IMPROBORVM . CALVMNIA
NEQVE . INSTANTIS . NECIS . PERICVLO . EXTERRITVS
RELIGIONIS . ET . SACRI . PRINCIPATVS . IVRA
LIBERO . ORE . DEFENDERIT
POSTREMO . IMMOBILEM . ITALORVM . FIDEM
AB . INIVSTIS . CRIMINATIONIBVS . VINDICARIT
NOS . TANTAM . VIRTVTEM . ADMIRATI
PVBLICVM . HONORIS . GRATIQVE . ANIMI . DOCVMENTVM
VIRO . FORTI . IMMORTALI . EXSTARE . VOLVIMVS

CCLIII.

PHILIPPO . DE . ANGELIS

CARDINALI . ARCHIEPISCOPO . FIRMANORVM
QVI . LEGATVS . AD . HELVETIOS
IN . MAXIMA . RERVM . ET . ANIMORVM . CONCITATIONE
GENTES . CATHOLICAE . PROFESSIONIS
A . POTENTIORVM . INIVRIA . SOLLERTER . PROHIBVIT
AN . M . DCCC . XLIX .
DECRETO . III . VIRVM . ROM .
IN . ANCONITANVM . CARCEREM . DETRVSVS
PAREM . ATROCI . TEMPORI . ANIMVM . IN . PROMPTV . HABVIT
ABHINC . MENSES . XVII .
SEDE . HONORIS . SVI . DETVRBATVS
FIRMANIS . DESIDERIVM . ET . CVRA
CHRISTIANAE . PATIENTIAE . ET . INVICTAE . LENITATIS . EXEMPLAR
TAVRINENSIBVS . ELVCET
ITALI . QVORVM . NOMINA . S . S .
HAEC . DONA . HONORIS . CAVSA . DEDICAMVS
RATI . NIHIL . GRATIVS . ILLI . CONTINGERE
QVAM . SI VIDEAT . ANGVSTIAS . COMMVNIS . PARENTIS
LIBERORVM . PIETATE . LEVARI

CCLIV.

EXCIPE·

BEATISSIME . PATER

ITALORVM . DONA
FRANCISCO . GALLO . EPISCOPO . ABELLINATIVM . INSCRIPTA
ALTORI . PVELLARVM . ORBITATE . LABORANTIVM
QVI . DVM . PRAECISIS . VNDIQVE . SVMPTIBVS
MARMOREA . FRONTE . MAIVS . TEMPLVM . EXORNAT
AVGVSTAM . TAVRINORVM . SVBITO . AVECTVS . EST
VBI . IAM . ANNVM . AEQVABILITATEM . IN . OMNI . VITA . SECVTVS
EXSVLIS . MODESTIAM . ET . PONTIFICALEM . DIGNITATEM
MISCERE . CONSVEVIT

CCLV.

QVO . DIE . PVLLATA . PLEBS . A . NEFARIIS . HOMINIBVS . INSTINCTA
PER . FREQVENTISSIMA . NEAPOLIS . LOCA
PROPE . AMENS . VADERET
CIVILEM . PRINCIPATVM . ROMANI . PONTIFICIS . OBLATRANS
CIVES . CATHOLICAE . SAPIENTIAE . DEVOTI
TANTVM . FACINVS . INDIGNATI
HAEC . MVNVSCVLA . PRO . PIO . VIIII . P . M . IN . VNVM . CONTVLIMVS
HONORI . DEDICANTES

XYSTI . RIARII . SFORTIAE

PRESBYTERI . CARDINALIS . ARCHIEPISCOPI . NEAPOLITANORVM
QVOD . GRASSANTE . PER . VRBEM . INDICA . LVE
OMNEM . SVBSTANTIAM . SVAM
AD . AEGROTANTIVM . SVBSIDIVM . PERTINERE . VOLVERIT
VEL . INTEMPESTA . NOCTE . PAVPERVM . COENACVLA . INVISENS
ADSPECTV . ALLOQVIO . SPEM . REDVXERIT . ANIMVM . ADAVXERIT
ALVMNOS . SACRI . ORDINIS
LITTERIS . ET . OPTIMIS . DISCIPLINIS
INSTITVENDOS . CVRAVERIT
SVI . SECVRVS . MINANTIS . TVRBAE . IMPETVM . EXCEPERIT
EXSVL . ITERVM . PIE . A . NOBIS . COLATVR
QVI . NEAPOLI . DISCEDENTEM
CVM . LACRIMIS . ET . GEMITV . PROSECVTI . SVMVS.

CCLVI.

HONORI . ET . MEMORIAE
CAR . EMMANVELIS . BIRAGI . A . VISCHIS . MARCH .
CVBICVLARII . REGIS . CAROLI . ALBERTI
QVI . IN . AMPLISSIMIS . OPIBVS
CVLTV . FVIT . SVPRA . FIDEM . MODICVS
EFFVSAE . IN . EGENOS . LIBERALITATIS
AN . M . DCCC . XLIX
INTER . SVBALP . CVRATORES . ADLECTVS . EST
QVI . SVPPETIAS . MITTERENT . PIO . IX . P . M . IN . SECESSV . CAIET .
EXINDE EPHEMERIDES
QVEIS . AB . HARMONIA . NOMEN . ADHAESIT
STRENVE . REXIT
AB . ADVERSARIORVM . FACTIONIBVS
RE . ET . AVCTORITATE . NOMINIS . ACERRIME . VINDICAVIT
DEFICIENTE . MANV . IAM . PENE . MORIENS . EA . SCRIPSIT
QVIBVS . EGREGIA . IN . DEVM . ET . ROM . PONTIFICEM
PIETAS . DECLARATVR
ITALI . HAEC . DONA . PRO . INCOLVMITATE . PII . IX . P . M .
MOERENTES . DEDICAVIMVS

CCLVII.

TERTIVSDECIMVS . ANNVS . EST

ALOISI . FRANSONI . ARCHIEPISCOPE . TAVRINENSIVM

EX . QVO . TE . PAVPERES . REQVIRVNT
SOLATOREM . OLIM . SVVM
TE . PARENTEM . SACERDOTES . ET . ALVMNI . SACRORVM
TE . INTVENTVR . RELIGIONIS . ANTISTITES
QVIBVS . PRAELVXISTI . EXCELSI . ANIMI . FIRMITATE
MORTALIA . INFRA . SE . POSITA . ARBITRANTIS
TE . ITALI . ADMIRAMVR
CONSTANTIAE . PATIENTIAE . PIETATIS . LAVDE . CLARISSIMVM
CVIVS . NOMINI . NVMMVLOS . DEDICANTES
PIO . IX . P . M . NVPER . QVAESITOS
DIVTVRNI . EXSILII . ET . MORBI . ACERBITATEM
QVANTVM . IN . NOBIS . EST . TIBI . LENIRE . STVDEMVS

CCLVIII.

IOSEPHO . BERARDIO

ADIVTORI . AB . ACTIS . NEGOTIORVM . PVBLICORVM . IN . VRBE
VIRO . EXCELLENTIS . DOCTRINAE . ET . SVMMI . CONSILII
QVI . AN . M . DCCC . LVII .
PIO . IX . P . M . COMES . ITINERIS . PER . ITALIAM . SVSCEPTI
SPECTAVIT . ACCENSA . IN . PVBLICVM . PARENTEM
POPVLORVM . STVDIA
NVNC . CONSOLATOR . ADSIDVVS
EGREGIAS . PERDOLENTIS . VIRTVTES . ADMIRATVR
STIPEM . PETRO . APOSTOLO . COLLATAM . ITALI . DEDICAMVS
GRATVLATI . QVOD . SACRIS . NVPERRIME . INITIATVS
MOX . LEGATIONE . RVSSICA
APVD . ALEXANDRVM . II . PERFVNCTVRVS
NOVVM . RERVM . ORDINEM
CATHOLICO . NOMINI . FAVSTVM . FELICEM . AVSPICABITVR

CCLIX.

QVAE . XIIII . CAL . MAIAS . TIBI . DEFERVNTVR . MVNERA
PIE . IX . PONTIFEX . MAXIME

PETRO . ALOISIO . SPERANTIAE

EPISCOPO . BERGOMAT .
DICATA . VOLVIMVS
QVOD . SACRORVM . ADMINISTROS . AD . EXEMPLAR . VITAE . PRIORIS
PIETATE . DOCTRINA . INSIGNES
OPTIME . IN . SE . ANIMATOS . FINXERIT
SVB . EXTERNO . DOMINATV . SVB . ITALICA . DITIONE
SARTA . TECTA . ECCLESIAE . IVRA . SERVARIT
IMPROBORVM . CONVICIA . ET . IMPOTENTIAM . ASPERNATVS
DIFFICILLIMO . TEMPORE
TVRBAS . TVNICATI . POPELLI . NON . EXPAVERIT
CERTVS . CVILIBET . SE . OBIECTARE . PERICVLO
QVAM . VEL . TANTILLVM . AB . OFFICIO . RECEDERE

CCLX.

QVO . TIBI . GRATIORA . HAEC . ITALORVM . DONA . SIENT
PIE . IX . PONT . MAX .
NOMEN . ACCEDIT
CAROLI . CACCIAE . DOMINIONII . EPISCOPI . FAMAE . AVGVSTAE
VICE . SACRA . ANTISTITIS . MEDIOLANENSIVM
CHRISTIANAE . SAPIENTIAE . VINDICIS . SOLLERTISSIMI
QVI . DOMO . CEDERE . COACTVS
QVOD . NOLLET . A . RELIGIONE . MVNERIS . DECLINARE
VEL . ABSENS . CIVIBVS . SVIS . DILIGENTER . ADVIGILAT
NEQVID . EX . CONTAGIONE . INCOMMODI . ACCIPIANT
QVAM . DOLET . INSOLABILITER . IN . ADYTA . IRREPSISSE

CCLXI.

COSIMO . CORSIO
PRESB . CARDINALI . ARCHIEPISCOPO . PISANORVM
QVEM . PRVDENTIAE . ACVMINIS . PIETATIS . FAMA . IAM . COGNITVM
PRAESENTEM . SVSPEXIMVS
QVO . TEMPORE
EXSVL . EX . CONSCIENTIA . CELSVS . ET . ERECTVS
IMPOSITAM . SIBI . FALSO . INVIDIAM . SILENTIO . FREGIT
TAVRINENSES . ITALORVM . NOMINE
SACROS . NVMMVLOS . PIO . IX . P . M . COLLATOS . DEDICAMVS
FAVSTA . OMNIA . AD . PISANAE . DIOECESIS . INCREMENTA . OMINATI

CCLXII.

IOANNI . BAPTISTAE . ARNALDIO

ARCHIEP . SPOLETINORVM
QVEM . RELIGIONIS . STVDIO . FLORENTEM
EGREGIA . ERGA . ROMANVM . PONTIFICEM . FIDES . ILLVSTRAVIT
PROIECTA . AD . AVDENDVM . PLEBECVLA
INTERRITVM . SENSIT
CONSILIVM . AVCTORITAS . MAGNITVDO . ANIMI
SVMMIS . VIRIS . AEQVARVNT
ITALI . REVERENTIAE . CAVSA
COLLATITIAM . S . PETRI . PECVNIAM . DEDICAVERE

CCLXIII.

PHILIPPO . VESPASIANIO . EPISCOPO . FANESTRIVM

QVI . XV . CAL . MAIAS
QVVM . SOLLEMNIA . PIETATIS . REDIRENT
OB . MEMORIAM . CHRISTI . SERVATORIS . N .
IN . VINCVLA . CONIECTI
VIXDVM . SACRIS . OPERATVS . IN . TEMPLO . MAIORI
INGEMISCENTE . CIVITATE
CAPTIVVS . IN . ARCEM . PISAVRENSEM . DEDVCTVS . EST
ITALI . STIPEM . PIO . IX . PONT . MAX . OBLATAM . DEDICAMVS
INDICEM . DOLORIS . ET . OBSERVANTIAE

CCLXIV.

QVI . NVPER . LACRIMIS . ACERBVM . FVNVS . DECORANTES
MICHAELIS . VIALE . PRELÀ
ARCHIEPISCOPI . N . EMINENTISSIMI
VEHEMENTER . DOLEBAMVS
DE . CAIETANO . RATTA . VICE . SACRA . ANTISTITE
IN . CARCEREM . ABREPTO
NOBIS . LVCTVM . NECOPINANTIBVS . REDINTEGRAVIT
ANTONIVS . CANTIVS
EADEM . QVA . DECESSOR . POENA . MVLCTATVS
CVI . BONONIENSES . STIPEM . PETRI . APOSTOLI . DEDICAMVS
NE . CIVI . OFFICIO . IN . RELIGIONEM . SINGVLARI
CIVIVM . OFFICIA . DEFVISSE . VIDEANTVR

CCLXV.

QVOD . FELIX . FAVSTVM . FORTVNATVMQVE . SIET
VNIVERSAE . REIPVBLICAE . CRISTIANAE
PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
XXVI . IAPONENSIBVS . MAGNAE . ANIMAE . PRODIGIS
CAELESTES . MARTYRVM . HONORES . RITE . DECERNIT
ADSTANTIBVS . EPISCOPIS
VEL . EX . TERRARVM . EXTREMO . FINE . AD . VRBEM . ADVECTIS
QVI . PRONI . IN . OBSEQVIVM
ERGA . SVMMVM . PARENTEM . ET . MAGISTRVM . CATHOLICI . NOMINIS
APERTISSIME . TESTANTVR
MORTALES . INGENIO . LINGVIS . DISCIPLINIS . MORIBVS . DISSONOS
NISI . DIVINO . NVMINE
NON . POSSE . IN . HVNC . CONSENSVM . COALESCERE

CCLXVI.

MEMORIAE . ET . VIRTVTI
IANVARII . MARESCAE . CANONICI . ORD . METROPOLIT .
QVI . VICARIO . MVNERE . FVNCTVS
EXSVLANTIS . ARCHIEPISCOPI . N . EMINENTISSIMI
IN . MEDIO . RERVM . TVRBINE
ECCLESIAE . IVRA . MORDICVS . RETINVIT
IN . CARCEREM . INCLVSVS
EX . DIVTINA . CESSATIONE . EX . AERIS . GRAVITATE
MORBVM . CONTRAXIT
QVO . INGRAVESCENTE . E . VINCVLIS . HEV . SERIVS . EXEMPTVS
AD . SVPEROS . PLACIDE . AVOLAVIT
NEAPOLITANI . TALEM . NOBIS . CIVEM . PRAEREPTVM . MOERENTES
PETRIANAM . STIPEM . DEDICAVIMVS

CCLXVII.

RECTE . FACTORVM . LAVDE . INSIGNIS . POSTERIS . NARRABITVR
PHILIPPVS . DE . ANGELIS . CARDINALIS
ARCHIEPISCOPVS . PRINCEPS . FIRMANORVM
QVI . ANNO . AETATIS . XXXIII .
EPISCOPVS . INITIATVS . A . LEONE . XII . P . M .
CVRATOR . DATVS . DIOECESI . FOROLIVIENSI
EGREGIVM . SENILIS . PRVDENTIAE . SPECIMEN . DEDIT
POST . HELVETIAM . LEGATIONEM
PONTIFEX . FALISCODVNENSIVM . ET . CORNETANORVM
AVCTOR . PIETATIS . VINDEX . MORIS
RESTITVTOR . SACRARVM . DISCIPLINARVM . HABITVS . EST
AD . FIRMANAM . SEDEM . EVECTVS . A . GREGORIO . XVI . P . M .
MIRA . ELVXIT . ERGA . EGENOS . LIBERALITATE
QVAM . CVRATORES . MVNICIPII
AENEA . PROTOME . TITVLOQVE
PVBLICE . DECORANDAM . CENSVERVNT
AEDES . PONTIFICALES . NOVO . CVLTV . EXORNAVIT
SYNODVM . INDIXIT
EPHEBOS . IN . RELIGIONIS . SPEM . SVCCRESCENTES
LEGIBVS . DATIS . APERTIS . GYMNASIIS
AVCTIS . MAGISTERIIS . SANCTIORE . DISCIPLINA . INSTITVIT
CVLTVM . VIRGINIS . MATRIS . IMPENSE . FOVIT
TEMPLA . DONARIIS . AVXIT
ECCLESIAE . LIBERTATEM . ADSERVIT
FIRMANORVM . STVDIA . OMNI . GENERE . OFFICII . SIC . INCENDIT
VT . DIVTVRNO . CARI . CAPITIS . DESIDERIO . MISERE . AFFLICTENTVR

CCLXVIII.

HONORI
IOANNIS . BENEDICTI . FOLICALDII
EPISCOPI . FAVENTINORVM
VIRI . PROLIXAE . BENEFICAEQVE . NATVRAE
LEGVM . SACRARVM
ETIAM . IN . EXTREMO . DISCRIMINE . SERVANTISSIMI
QVEM . GRANDI . PECVNIA . MVLTATVM
IN . CVSTODIAM . TRADITVM
EXIMIA . VOLVNTATIS . ET . OBSEQVII . SIGNIFICATIONE
VNIVERSA . DIOECESIS . ORNAVIT
ITALI . PAVXILLVM . AVRVM
PIO . IX . PONTIFICI . MAXIMO . SEPOSITVM
LIBENTI . ANIMO . DEDICAMVS

CCLXIX.

NOSTRIS . INORNATVM . MONVMENTIS . ITALI . NON . SILEBIMVS
CAIETANVM . BALVFFIVM . CARDINALEM
EPISCOPVM . FOROCORNELIENSIVM
DOMO . ANCONA
QVI . FLORENTE . AETATE
OB . INGENII . ET . DOCTRINAE . PRAESTANTIAM
A . CIVIBVS . SVIS . AD . LEONEM . XII . P . M . LEGATVS
PORTVM . ANCONITANVM . IMMVNEM . IMPETRAVIT
EPISCOPALI . AVCTVS . DIGNITATE
IN . OBEVNDA . LEGATIONE . AMERICANA
NON . VIARVM . ASPERITATE
NON . ADVERSIS . POPVLORVM . STVDIIS . RETARDATVS
REI . CHRISTIANAE . STRENVE . PROSPEXIT
IN . CAMERTI . DIOECESI . AEDES . SACRAS . COMPLVRES
AB . INCHOATO . EXTRVCTAS . VEL . INSTAVRATAS
SVPELLECTILE . EXORNAVIT
GYNAECEVM . CVM . GYMNASIO
PVELLIS . INOPIA . LABORANTIBVS . APERVIT
IDEM . EGREGIIS . EDITIS . OPERIBVS
OPTIME . DE . HISTORIA . ET . RELIGIONE . MERITVS
ROMANAM . PVRPVRAM . PRAEMIVM . TVLIT
DIGNVS . QVEM . PIVS . IX . PONT . MAX .
SIBI . SVCCESSOREM . LEGERET . IN . PONTIFICATV . FOROCORNELIENSI
AN . M . DCCC . LX .
PRAETER . OMNIVM . OPINIONEM . CRIMINIS . ARCESSITVS
IN . LIBERA . CVSTODIA
PER . MENSES . DVOS . AD . QVAESTIONEM . SERVATVS
APERTE . OSTENDIT . ANIMVM . SIBI . CONSCIVM . RECTI
IN . IPSIS . MOLESTIIS . ET . PERICVLIS
PLACIDE . CONQVIESCERE

CCLXX.

NEQVE . TIBI . LAVDES . NOSTRAS . ITALI . INVIDEBIMVS
ANTONI . RANZA . PONTIFEX . PLACENTINORVM
QVEM . RELIGIONIS . DECORI . MORVM . INCREMENTO
EGENTVM . SOLATIO . ADVIGILANTEM
ANTE . HOS . DVOS . ANNOS
AVGVSTAM . TAVRINORVM . ABDVCTVM . VIDIMVS
SIC . FERENTE . SVPERVM . VOLVNTATE
NE . ADVERSA . DEESSENT . VBI . VIRTVS . TVA . ENITESCERET

CCLXXI.

QVI . VEHEMENTI . VRBIS . DESIDERIO . NVPER . FLAGRABANT
TE . SPECTATVRI
PIE . IX . PONTIFEX . MAXIME
SACRA . EPISCOPORVM . CORONA
INCREDIBILI . CIVIVM . ADVENARVMQVE . FREQVENTIA . CIRCVMFVSVM
INVICTOS . MARTYRES . IAPONENSES
INTER . CAELITES . SANCTOS . REFERENTEM
ITALI . EX . OMNI . ORDINE
PRIVATIS . RATIONIBVS . AVT . PVBLICE . ITINERE . PROHIBITI
SALVTATORIAM . SCHEDVLAM . QVISQVE . SVAM . MITTVNT
CVM . PECVNIA . COLLATITIA
PRECATI . VT . PRO . TVA . BENIGNITATE . ORIENTALIBVS . SVBVENIAS
QVI . DIVINO . NVMINE . TACTI
ABDICATIS . ERRORIBVS
AD . SAPIENTIAM . CATHOLICAM . REDIERE

CCLXXII.

ITALORVM . ANIMO . NVNQVAM . EXCIDET . MEMORIA
MICHAELIS . MILELLAE
EPISCOPI . INTERAMNATIVM
VIRI . DOCTRINA . PRVDENTIA . PIETATE . SINGVLARI
QVI . SEDE . HONORIS . SVI . EXACTVS
DIVERSIS . PROPOSITIS . EXSILIIS
GENVAM . VRBEM . PRAEOPTAVIT
VBI . APVD . DOMINICIANOS . SODALES . OLIM . SVOS
PRAECLARVM . SE . PRAESTAT . MAGNARVM . VIRTVTVM . EXEMPLAR

CCLXXIII.

VINCENTIO . ANDREAE . GRANDI
ARCHIEP . HYDRVNTINORVM
QVEM . NON . INGRAVESCENTE . AETATE
NON . DVBIIS . REBVS . NON . POTENTIORVM . AVDACIA
NON . PERDITORVM . CONTVMELIIS . FRACTVM
SPECTATA . FIDES . IN . PIVM . IX . PONT . MAX .
PERPETVA . IN . EGENOS . LIBERALITAS . ILLVSTRARVNT
ITALI . GRATVLANTVR
DIVTVRNAM . INCOLVMITATEM . EX . ANIMO . ADPRECATI

CCLXXIV.

ALOISIO . MORENO
EPISCOPO . EPOREDIENSIVM
VIRO . SVI . IVDICII . MAXIMIQVE . CONSILII
IMPIGRE . AD . PIETATEM . POPVLOS . EXCOLENTI
QVO . AVCTORE . ABHINC . ANNOS . XV .
EPHEMERIDES . PRIMVM . SVNT . VVLGATAE
QVIBVS . AB . HARMONIA . NOMEN . EST . FACTVM
ITALI . HONORIS . GRATIQVE . ANIMI . CAVSA

CCLXXV.

IOANNI . THOMAE . GHILARDIO
EPISCOPO . VICODVNENSIVM
VINDICI . VETERIS . DISCIPLINAE
OPTIMORVM . STVDIORVM . SOSPITATORI
IN . SACRIS . CONCIONIBVS . ADSIDVO . DISERTO . PVGNACI
PER . OMNES . TEMPORVM . VICES
HVMANA . VT . MORTALIA . DIVINA . AESTIMANTI . VT . IMMORTALIA
CVI . STIPEM . A . MVLTIS . COLLATAM
PRO . INCOLVMITATE . PII . IX . PONTIFICIS . MAXIMI
IN . VRBEM . DEFERRE . PERCVPIENTI . NON . LICVIT
OBSEQVIVM . NOSTRVM . ITALI . TESTATVM . VOLVIMVS

CCLXXVI.

IMP . NAPOLEONI . III . PIO . FELICI . AVGVSTO
EIVSQVE . ADMINISTRO . AB . EXTERNIS . IMPERII . RATIONIBVS
QVO . TESTATIOR
IPSIS . SIT . EGREGIA . ITALORVM . VOLVNTAS
ERGA . PIVM . VIIII . PONTIFICEM . MAX .
ITALICI . NOMINIS . ADSERTOREM
VINDICES . SACRI . PRINCIPATVS
COLLATITIAM . STIPEM . HONORIS . CAVSA . DEDICAMVS
AVSPICIBVS . FVTVRAE . SECVRITATIS

CCLXXVII.

AD . TEMPLVM . IN . AGRO . SPOLETINO . EXTRVENDVM
IN . HONOREM . VIRGINIS . MATRIS
CVIVS . PRAESENS . AVXILIVM . SAEPE . MVLTIS . OBLATVM
NOVIS . IN . DIEM . PRODIGIIS . DECLARATVR
CHRISTIANI . EX . VNIVERSA . EVROPA . ITALIQVE . POTISSIMVM
COLLATITIAM . PECVNIAM . MITTVNT
PRECATI . VT . PIVM . IX . PONT . MAX .
INNVMERIS . DIFFICVLTATIBVS . CIRCVMVENTVM
COELESTI . PATROCINIO . TVEATVR

CCLXXVIII.

IESVS . PVER
A . SVIS . NON . RECEPTVS
PASTORVM . OPEM . SENSIT . IN . PRAESEPE . ADORANTIVM
TIBI . BEATISSIME . PATER
QVEM . INTER . TVOS . AGITANTEM
NONNVLLI . DOMO . EXEGISSE . VELLENT
ITALI . PASTORES . IMITATI . SVPPETIAS . MITTERE . FESTINAMVS

CCLXXIX.

QVVM . SATIS . EXPLORATVM . SIT
FACILES . MORTALIBVS . AD . DEVM . PER . TE . ADITVS . PATERE
MARIA . ANTE . SANCTA . QVAM . NATA
NE . MIRERIS
TE . PER . HOS . MAXIME . DIES . ITALORVM . VOTIS . OBTVNDI
PRO . PIO . VIIII . PONT . MAX .
QVI . NIHIL . ANTIQVIVS . HABVIT
QVAM . VT . DIGNITATIS . TVAE . VINDEX . DICERETVR

CCLXXX.

QVAE . ANNO . SVPERIORE . A . TE . PRECATI . SVMVS
VIRGO . MATER . IMMACVLATA
QVVM . DIES . FESTOS . ANNIVERSARIOS
CATHOLICVS . ORBIS . IN . HONOREM . TVVM . AGERET
EADEM . NVNC . ANIMIS . NOVA . SPE . RECREATIS . ITALI . PETIMVS
VTI . PIO . IX . P . M . TVAE . VIRTVTIS . PRAECONI
OTIVM . PACEM . TRANQVILLITATEM . ADFERAS
VNIVERSAE . REIPVBLICAE . CHRISTIANAE . PROFVTVRAM

CCLXXXI.

VIRGINI . SANCTAE . ADIVTRICI
REGINAE . COELESTIVM . AB . ORIGINE . LABIS . NESCIAE
CVI . ITALIA . SVI . OLIM . IVRIS . FLORENTISSIMAS . VRBES
ITALORVM . POETARVM . PRAESTANTISSIMI
INGENIVM . SVVM . CONSECRARVNT
STIPEM . S . PETRI . HODIE . DEDICAMVS
RATI . PERGRATAM . ILLI . PIETATEM . CONTINGERE
SVPPETIAS . FERENTIVM . PIO IX . PONTIFICI . MAXIMO
GRAVES . DIFFICVLTATES
PRAETER . OMNIVM . OPINIONEM . ELVCTANTI
QVI . ADSERTOR . GLORIAE . MARIANAE
RABIDI . SERPENTIS . MORSV . APPETITVS . IACERET
NI . VENENATVM . CAPVT . PROTERERET
MAGNA . DEI . MATER
HOSTES . CHRISTIANORVM . SERIVS . OCIVS . CONTVNDENTIS

CCLXXXII.

ORATORIBVS . A . POPVLO . DELECTIS
LEGIBVS . FERENDIS . ET . ANNVIS . VECTIGALIBVS . DECERNENDIS
DE . ROMA . POTIVNDA . NVNC . MAXIME . DISPVTANTIBVS
VT . APERTE . IPSIS . PATEAT
QVAE . SINT . VOTA . ITALORVM . QVAE . SPES
VTQVE . CIVIVM . SVORVM . VOLVNTATE
QVAM . EXTERNORVM . IMPERIO
MALINT . VRBE . PONTIFICIA . ABSTINERE
HAEC . DONA . PIO . IX . PONTIFICI . MAXIMO . DELATA
ITALI . ITALIS . DEDICAMVS

CCLXXXIII.

PIO . IX . PONT . MAX .

CVI . DEVS . NOMEN . IOANNI . INDITVM . VOLVIT
QVOD . SICVTI . DISCIPVLVM . COGNOMINEM
SIBI . VNICE . DILECTVM
SAPIENTIA . IMBVIT . GLORIA . CVMVLAVIT
VI . CAL . IANVARIAS
FAVSTA . OMNIA . ADPRECAMVR

CCLXXXIV.

PIO . IX . PONT . MAX .

QVI . A . PRIMORDIO . SACRI . PRINCIPATVS
COGITAVIT . DE . VETERE . DISCIPLINA . INSTAVRANDA
VTI . ORDINES . VIRORVM . RELIGIOSORVM
AD . PRISTINAM . SANCTIMONIAM . REVOCARENTVR
ITALI . HANC . PECVNIAM . DEFERVNT
CONSILIA . INDIGNATI . QVAE . IN . DIES . AGITANTVR
DE . DISSOLVENDIS . ORDINIBVS . S . S .
ECCLESIAE . IVRE . CIVIVM . LIBERTATE
REI . PVBLICAE . RATIONIBVS . POSTHABITIS

CCLXXXV.

PIO . IX . PONT . MAX .

DE . SVGGESTV . BASILICAE . VATICANAE
SALVTARI . PRECATIONE . VRBEM . ORBEM . RITE . LVSTRANTI
ITALI . VENERABVNDI . FORTVNAS . NOSTRAS . DEVOVEMVS
AMORIS . FIDEI . PIETATIS . DOCVMENTVM

CCLXXXVI.

FLORALI . MENSE . TIBI . SACRO
PETRIANAM . STIPEM . DEFERENTES . ITALI . TE . PRECAMVR
MARIA . SANCTA
ROSA . IN . SEPTIS . HIERICHVS . EDVCATA . MYSTICAE . LILIVM . VALLIS
VTI . ASPERAE . SPINAE
PATERNVM . PECTVS . IAMDIV . LACERANTES
PII . IX . PONT . MAX .
MOLLES . ALIQVANDO . ROSAS . FVNDANT
QVARVM . SERTIS . ODORATIS
TRIVMPHALE . CAPVT . REDIMIATVR

CCLXXXVII.

NOVENDIALI . SVPPLICATIONE
AD . OPEM . TVAM . CONFVGIMVS
VIRGO . MATER . MORBORVM . POTENS
VT . SOSPITEM . DIV . PRAESTES . PARENTEM . PVBLICVM
POPVLI . CHRISTIANI
PIVM . IX . PONT . MAX .
CVI . LABORANTI . SVPPETIAS . FERRE . NON . DVBITAMVS
SECVRI . QVID . CALVMNIENTVR . ADVERSARII . NOSTRI
GERMANAE . LIBERTATIS . OSORES

CCLXXXVIII.

QVIDQVID . NVMMVLORVM . AD . TE . HODIE . MITTITVR
PIE . IX . PONT . MAX .
IACTATA . SVPERIORIBVS . DIEBVS . IN . TE . CONVICIA
A . NOBIS . EXPRESSERVNT
HOC . FERENTE . VIRGINE . ADIVTRICE . EXORATA
VT . QVOD . FVERAT . AD . PERNICIEM . COMPARATVM
IN . REM . TVAM . NECOPINATO . CONVERTERETVR

CCLXXXIX.

QVO . TEMPORE
ORATORES . A . POPVLO . DELECTI . LEGIBVS . FERENDIS
PRVDENTISSIMI . DIGNITATIS . SVAE . ADSERTORES
VII . VIROS . CREARVNT
QVEIS . CVRAE . FORET . IN . COLLEGAS . INQVIRERE
SI . QVI . FORTE . OFFICII . RELIGIONI . ITALORVM . COMMODIS
RATIONES . SVAS . PRAETVLISSENT
ITALI . FORTVNARVM . SVARVM . NIL . SANE . ANXII
IN . HONOREM . MARIAE . OPIFERAE . SOSPITATRICIS
IN . SVBSIDIVM
PII . IX . PONTIFICIS . MAXIMI
AVRVM . ET . PRETIOSISSIMA . QVAEQVE . LARGIVS . EFFVDERVNT

CCXC.

QVA . TEMPESTATE
GRANDI . FENORE . SE . OBSTRINGVNT . REGES
OPIBVS . VALIDISSIMI

PIVS . IX . PONT . MAX .

PLERAQVE . REGNI . PARTE . ORBATVS . INERMIS
AD . INOPIAM . PVBLICAM . LEVANDAM
EA . CONDITIONE . VERSVRAM . FECIT
VT . AEQVA . SORS . PRO . SORTE . REDDATVR
CVM . VSVRA . QVINCVNCE

CCXCI.

SENATVI . POPVLOQVE . ROMANO
OB . SPECTATAM . FIDEM . SINGVLAREM . VOLVNTATEM
INCREDIBILE . STVDIVM . ERGA . OPTIMVM . REGEM

PIVM . IX . PONT . MAX .

QVEM . FACIENTEM . ET . PATIENTEM . FORTIA
AEQVVM . EST . ROMANIS . IMPERITARE
ITALI . CATHOLICAE . SAPIENTIAE . SECTATORES
COLLATITIAM . S . PETRI . PECVNIAM . DEDICAMVS
PRINCIPI . ET . CIVIBVS . CONCORDISSIMIS . PARITER . GRATVLATI

CCXCII.

DVM . NEFARII . HOMINES . OCCVLTO . SACRAMENTO . INITIATI
TENEBRICOSIS . LATEBRIS . ERVMPENTES
VBI . NVPER . ITALIAE . INSIDIAS . STRVERENT
IN . EVROPAE . LVCE . VERSANTVR
SVMMVM . ORDINIS . MAGISTRVM . PROFITENTVR
ALACRES . ERECTI . PER . FORA . PER . CONCILIABVLA . VOLITANT
CONIVRATI . VETEREM . COMPAGEM . LAXARE
QVA . CIVILIS . HOMINVM . CONSOCIATIO . CONTINETVR
NOS . SVMMO . CATHOLICORVM . MAGISTRO . LAETI
XIX . IAM . SECVLA . ROMAM . OBTINENTE
PIO . IX . PONTIFICI . MAXIMO
CONFERTISSIMI . STIPATI . CIRCVMFVNDIMVR
PETRIANAM . STIPEM
QVA . MAXIMA . POSSVMVS . LARGITATE . DEFERENTES
FIDEI . CONSTANTIAE . PIETATIS . DOCVMENTVM

CCXCIII.

PIO . IX . PONT . MAX .
QVI . POTENTIORVM . MINAS . CONTEMNIT
AFFLICTI . ET . IACENTIS . IVRA . TVETVR
INVICTAM . EXCELSI . ANIMI . FIRMITATEM . REFERENS
QVA . PIVS . VII . P . M .
SVPERBISSIMA . IMPERIA . NAPOLEONIS . I . ASPERNATVS
VICTORIVM . EMMANVELEM . I . SARDINIAE . REGEM . EXSVLANTEM
IN . VRBEM . COMMVNEM . OMNIVM . PATRIAM . RECEPIT
ITALI . DONA . FERENTES . PLAVDIMVS

CCXCIV.

PETRO . ET . PAVLLO . MAGNIS . APOSTOLIS
ROMAE . CHRISTIANAE . CONDITORIBVS
REMI . ROMVLIQVE . GLORIAM . LONGE . SVPERGRESSIS
ITALORVM . DONA . NVPERRIME . IN . SVBSIDIVM . COLLATA
PII . IX . PONTIFICIS . MAXIMI
INVICTA . FIDE . PETRVM
ARDENTI . RELIGIONIS . STVDIO . PAVLLVM . REFERENTIS
SVPPLICES . DEDICAMVS

CCXCV.

QVO . MENSE . VICTRICES . GALLORVM . COPIAE . ABHINC . ANNOS . XV .
ROMAM . EX . IMPIAE . FACTIONIS . FAVCIBVS . EREPTAM
REGIQVE . SVO . REDDITAM
AD . PRISTINAM . DIGNITATEM . REVOCARVNT
PRINCIPIS . TERRARVM . VRBIS
ITALI . ACERBITATIBVS . SVBVENIENTES . PARENTIS . N .
PII . IX . PONT . MAX .
NAPOLEONEM . III . IVBEMVS . RESPICERE . EXEMPLAR
LVDOVICI . NAPOLEONIS
PRAESIDIS . GALLICAE . REIPVBLICAE
VT . IMPERATOREM . VESTIGIA . SVA . RELEGENTEM
DVX . PRAEGREDIATVR . IMPERATORE . DIGNISSIMVS

CCXCVI.

VIRGO . BELLORVM . POTENS

CVIVS . PATROCINIO . PIVS . V . PONT . MAX .
BARBAROS . OLIM . FREGIT
PERNICIEM . NOMINI . CHRISTIANO . MINITANTES
PIVM . IX . PONT . MAX . TIBI . VNICE . CONFISVM
SIQVANDO . HVMANA . DEFICIAT . CAELESTI . OPE . SIC . TVERE
VTI . CONSTET . INTER . OMNES
ECCLESIAE . INCOLVMITATEM
NON . MORTALIVM . VIRIBVS . NON . POTENTIORVM . PRAESIDIO . NITI

CCXCVII.

PIO . IX . PONT . MAX .

QVI . PACTIS . FRETVS
QVIBVS . CHRISTVS . AD . CAESAREAM . PHILIPPENSEM
PETRO . APOSTOLORVM . PRINCIPI
PERPETVAM . SPOPONDIT . DE . INFERIS . VICTORIAM
PACTA . CONVENTA . HOSTIVM . NON . EXPAVESCIT
PROPOSITIQVE . TENAX
IN . TANTA . INGENIORVM . VERSVTIA
IN . TANTA . RERVM . PERTVRBATIONE
REGNVM . ET . VNIVERSAM . REM . CHRISTIANAM
AEQVO . REGIT . IMPERIO
HANC . PECVNIAM . ITALI . DEFERIMVS
DIVINAM . PROPE . SAPIENTIAM . ET . SECVRITATEM . ADMIRATI

CCXCVIII.

ΜΝΗΜΗΣ . ΧΑΡΙΝ

QVVM . ADPETENTE . DIE . FESTO
OB . MEMORIAM . D . N . MARIAE . AB . ORIGINE . IMMACVLATAE
ITALIS . AVCTORES . FVERIMVS
VT . NOVENDIALI . PRECE . EIVS . AVXILIVM . PETERENT
FERRENTQVE . SVPPETIAS . PIO . IX . PONT . MAX .
RES . TAM . FELICITER . CESSIT
VT . ITALIA . VNIVERSA
IN . VOTA . IN . SVPPLICATIONES . PRONA
INCREDIBILEM . AVRI . VIM
ET . PRETIOSISSIMA . QVAEQVE . AD . NOS . MITTERET
HINC . DISCANT . AEQVALES . DISCANT . POSTERI
ITALORVM . PIETATEM . IN . DEVM . IN . VIRGINEM . MATREM
TAM . ALTIS . DEFIXAM . ESSE . RADICIBVS
VT . NON . IMPIORVM . VOCE . NON . SCRIPTIS
NON . IRRISIONE . NON . MINIS . QVEAT . LABEFACTARI

CCXCIX.

PIO . IX . PONT . MAX .

QVI . DIES . SACRI . PRINCIPATVS . BENEFACTIS . COMPVTAT
IN . GENVS . HVMANVM . COLLATIS
HAEC . ITALORVM . MVNERA . MITTIMVS
LARGITIONEM . ADMIRATI . QVA . IN . SVMMA . RERVM . DIFFICVLTATE
MENSE . NOVEMBRI . SVPERIORE
FLORENTINIS . ET . FERRARIENSIBVS . OPITVLATVS . EST
INSOLITA . FLVVIORVM . EXVNDATIONE . AFFLICTATIS
HAS . VICES . FERENTE . MVNIFICENTISSIMI . PRINCIPIS . INGENIO
VT . QVOD . AVRVM . AD . PARENTIS . FORTVNAM . LENIENDAM
FILII . CONTVLERANT
RES . FILIORVM . ADVERSAS . SVBLEVANDO
PATER . VLTRO . REFVNDERET

CCC.

QVO . TEMPORE
SENATVS . ET . POPVLARES . ORATORES . LEGIB . FERENDIS
DE . SEDE . REGNI . FLORENTIAM . TRADVCENDA
VEHEMENTISSIME . DISCEPTARENT
ALIIS . CONSILIVM . IMPROBANTIBVS
QVOD . ADITVM . SIBI . AD . VRBEM . ROMAM . PENITVS . INTERCLVDERET
ALIIS . LAVDANTIBVS . QVOD . DESTINATVM . ITER . MATVRARET
CVNCTIS . LAMENTANTIBVS
QVOD . IN . TENEBRIS . DIGLADIARENTVR
IDQVE . VNVM . PRO . COMPERTO . HABERENT
NECESSARIO . SIBI . EX . TAVRINIS . ESSE . EXCEDENDVM
HAEC . DONA . PRO . INCOLVMITATE . PII . IX . P . M .
AD . NOS . ITALI . DETVLERVNT
QVI . INSTABILES . VVLGI . OPINIONES
OCCIDVVM . RERVM . NOVARVM . LVMEN . ASPERNATI
IMMORTALEM . ROMAE . MAGNITVDINEM . SVSPICIVNT
TERGEMINO . DIADEMATE . REFVLGENTIS

CCCI.

QVI . MENSE . IVNIO . AN . M . DCCC . LVIIII .
PIO . IX . P . M . OBTRECTABANT
OB . PERVSINAM . QVAM . FALSO . VOCABANT . CAEDEM
XI . ET X . CAL . OCTOBRES . AN . M . DCCC . LXIIII .
LACRIMABILES . TAVRINENSIVM . CASVS . EXHORRVERVNT
NON . INSANO . PARTIVM . STVDIO
NON . VVLGI . RVMORIBVS . PERPERAM . EXAGITATOS
NOS . EX . HAC . VRBE
QVAE . CIVIBVS . COMMODIS . SVIS . VIDVATA . INSOLABILITER . DOLET
COLLATITIAM . ITALORVM . PECVNIAM
HAC . PRECE . TIBI . DEFERIMVS
PARENS . ET . MAGISTER . CHRISTIANORVM
VT . TE . SVFFRAGANTE . AEQVVS . ADMISSORVM . VINDEX . DEVS
REQVIEM . CVRARVM . ET . LABORVM
FESSIS . TAVRINENSIBVS . ADFERAT

CCCII.

PIO . IX . PONT . MAX .

PARENTI . OPTIMO . INDVLGENTISSIMO
NOVO . ANNO . EXORIENTE
FAVSTIS . OMINIBVS . ET . DONIS
GRATAM . VOLVNTATEM . SVAM . ITALI . TESTANTVR
TAMDIV . MANSVRAM
QVOAD . BETHLEMITEM . INOPIAM . THABORIS . SPLENDOR . EXCIPIAT

CCCIII.

QVO . DIE . PRIMVM . IESVS . PVER . GENTIBVS . APPARVIT
ITALORVM . MVNERIBVS . AVCTI . AD . PEDES . TIBI . PROCVMBIMVS
SVMME . RELIGIONVM . ANTISTES
TOTO . PECTORE . GRATVLATI . QVOD . IN . LITTERIS . TVIS
DATIS . VI . ID . DECEMBRES . AN . M . DCCC . LXIIII .
ET . LVMEN . VERITATIS . ELVCEAT
ERRORVM . TENEBRAS . DISCVTIENS
ET . INVICTI . PONTIFICIS . CONSILIVM
PRAVA . CIVILIS . PRVDENTIAE . COMMENTA . REFVTANTIS
ET . MAGNVS . PRINCIPIS . ANIMVS
QVI . HERODES . REVIVISCENTES . EXTREMAQVE . OMNIA . MINITANTES
IVBET . STELLAM . INTVERI . PVBLICAE . AVSPICEM . FAVSTITATIS

CCCIV.

QVANDOQVIDEM . VERBA . TVA . SALVTIS . ET . VERITATIS . NVNTIA
IN . ADSPECTVM . ITALICAE . LIBERTATIS
PROFERRE . EPISCOPIS . NON . DATVR
QVIBVS . HANC . LEGEM . CHRISTVS . INIVNXIT
VLTRO . NOSMET . DICTO . TIBI . AVDIENTES
ITALI . PROFITEMVR

PIE . IX . PONT . MAX .

VENIAM . INCONSVLTIS . HOMINIBVS . PRECATI
QVI . BESTIAS . APOCALYPSIS . REFERENTES
CHRISTIANAE . SAPIENTIAE . FVNDAMENTA
CORNIBVS . INCVRSARE . NON . DVBITANT

CCCV.

QVO . DIE SVNT . SOLLEMNIA
OB . MEMORIAM . CATHEDRAE . ROMANAE . PRINCIPIS . APOSTOLORVM
ITALI . OBSEQVIVM . VERITATI . NON . ABNVENTES
QVOD . RATIO . SVADET . CHRISTIANA . SAPIENTIA . REQVIRIT
FLEXIS . GENIBVS . DONA . FERVNT . PIO . IX . PONT . MAX .
QVI . NVPERRIME . EX . PETRI . CATHEDRA
XIX . IAM . SECVLA
INNVMERIS . REGNORVM . NAVFRAGIIS . EXSTANTE
RECENTIORIS . PRAVITATIS . ERRORES . IIS . VERBIS . PERCVLIT
QVAE . NON . POTENTIORVM . LIBIDINE
NON . IMPROBORVM . ODIO . IRRETITA
PER . AEQVAS . PER . INIQVAS . REGIONES
AD . EXTREMOS . TERRARVM . FINES . PERRVMPVNT
AETERNVM . DVRATVRA

CCCVI.

QVI . RES . NOVAS . AVGVSTAE . TAVRINORVM . MOLIVNTVR
CIVILEM . PII . IX . PRINCIPATVM . HACTENVS . INSECTATI
NVNC . IN . PIVM . IX . PONT . MAX . TELA . IACIVNT
LEGEM . ADVERSVS . SACROS . ECCLESIAE . ORDINES
PERVICACIVS . VRGENDO
QVAE . A . PISANELLIO . PRIMVM . PROPOSITA
A . VACCA . MOX . RETRACTATA . NVPERRIME . IN . DETERIVS . VERSA
EO . DEMVM . SPECTAT
VT . ITALOS . COGAT . OBSEQVIVM . RVMPERE
ERGA . SVMMVM . RELIGIONIS . ANTISTITEM
NOS . TANTA . REI . INDIGNITATE . COMMOTI
DELATA . IN . TVI . SVBSIDIVM . PECVNIA
TESTAMVR . NVNQVAM . PASSVROS . VLLA . VI . A . TE . DIVELLIER
PARENS . ET . MAGISTER . CATHOLICI . NOMINIS
QVI . PACEM . QVI . AEQVITATEM . SVADENDO
INITIA . ET . CAVSAS . STRVIS . AETERNAE . HOMINVM . BEATITATI
QVANDO . INIMICORVM . TVORVM . VERBA
DISCORDIAS . PERICVLA . VLTIONES . EXCIDIA . PORTENDVNT

CCCVII.

QVVM . EQVITES . TORQVATI
QVIBVS . VIRGO . NOMEN . FECIT . AB . ANGELO . SALVTATA
LEGIBVS . DICTIS . AB . AMADEO . VI . ALLOBROGICO
SVAM . IVREIVRANDO . FIDEM . OBLIGARE . TENEANTVR
SE . REGNVM . DIGNITATEM . LIBERTATEM . PONTIFICIS . MAX .
ADSERTVROS . VINDICATVROS
NOS . IMPERIO . LAETI . AVGVSTAE . DOMVS . ALLOBROGICAE
IPSO . DIE
QVO . VIRGINEM . PRAECIPVA . RELIGIONE . VENERAMVR
PARENTEM . DEI . DESIGNATAM
PIO . IX . P . M . HAEC . PIORVM . MVNVSCVLA . MITTIMVS
QVI . NON . TITVLO . NON . INSIGNIBVS
AT . RE . ANIMISQVE . TORQVATOS . EQVITES . SE . FERENDO
VNA . ET . CIVILEM . PONTIFICIS . MAX . PRINCIPATVM
ET . CATHOLICI . NOMINIS . DIGNITATEM . LIBERTATEMQVE . TVENTVR

CCCVIII.

PIO . IX . PONT . MAX .

QVI . SOLATOREM . OMNIVM . DEVM . IMITATVS
ITALIAE . BELLIS . INTESTINIS . LABORANTI
ORBI . VNIVERSO . PESSIMIS . MORIBVS . ET . FLAGITIIS . PERDITO
IVBELAEVM . INDICIT . PACIS . MISERICORDIAE . SALVTIS . NVNCIVM
HAEC . DONA . DAMVS . ITALI
AD . LABES . ILLORVM . ABOLENDAS
QVI . PATRIAE . NOMEN . OPES . DIGNITATEM
NEFARIIS . CONSILIIS . PRAETENDVNT

CCCIX.

QVI . SVPERIORIBVS . ANNIS
PRO . PIO . IX . PONT . MAX .
NON . VANAS . AD . TE . PRECES . FVDIMVS
MARIA . ADIVTRIX . CHRISTIANORVM
IIDEM . NVNC . ITALI . NOVENDIALE . SACRVM . LAETI . AGITANTES
PETRIANA . STIPE . DELATA . SVPPLICES . PETIMVS
VTI . RESTITVTA . CONCORDIA
EX . SENTENTIA . SVMMI . ANTISTITIS . CATHOLICI . NOMINIS
VIDVATAE . PER . ITALIAM . ECCLESIAE
PONTIFICES . QVAEQVE . SVOS . TE . SVFFRAGANTE . RECIPIANT

CCCX.

VIGESIMVS . ANNVS . EST
PIE . IX . PONT . MAX .
EX . QVO . TRIGEMINO . DIADEMATE . EXORNATVS
RES . ROMANAS . AEQVO . MODERARIS . IMPERIO
ITALI . ANNIVERSARIO . HOC . DIE . FAVSTO . FELICI
OPERA . INCREDIBILI . AVSV . A . TE . PROFLIGATA
LABORES . CERTAMINA . VICTORIAS . TVAS . ADMIRATI
MAGNAS . DEO . GRATES . AGIMVS
QVOD . TALEM . NOBIS . PARENTEM . DEDERIT
MAIORES . HABITVRI . SI . DIVTIVS . INTERSIS . POPVLO . CHRISTIANO

CCCXI.

PIO . $\overline{\text{IX}}$. PONT . MAX .

QVOD . ABDICATA . OMNI . CONTENTIONE . DE . RE . CIVILI
CONCILIANDAE . CONCORDIAE . SVASOR . FVERIT
VTI . ECCLESIAE . PER . ITALIAM . ORBITATE . LABORANTI
SVA . DIGNITAS . AVCTORITAS
PER . EPISCOPOS . TANDEM . RESTITVERETVR
MAGNAS . ITALI . GRATIAS . AGVNT
ILLORVM . PERVICACIAM . INDIGNATI
QVI . SVAM . A . COMMVNI . PARENTE . ALIENATIONEM
SIBI . APVD . CIVES . COMMENDATIONI . FVTVRAM
FALSO . EXISTIMARVNT

CCCXII.

DVM . BRIXIAE . TVMVLTVS . LABRONE . CLAMORES
ALIBI . LACRIMAS . CIENT
TRIBVTA . AD . SVPPLENDVM . AERARIVM . IRROGATA
INSANIS . SVMPTIBVS . EXHAVSTVM

PIO . $\overline{\text{IX}}$. PONT . MAX .

STIPEM . CHRISTIANA . CARITATE
PIO . GRATOQVE . ANIMO . EXPRESSAM
VLTRO . VOLENTES . ITALI . DE . MORE . PERSOLVVNT

INSCRIPTIONES

OPERVM PVBLICORVM ET PRIVATORVM

INSCRIPTIONES

OPERVM PVBLICORVM ET PRIVATORVM

CCCXIII.

Derthonae in fronte theatri.

An. M. DCCC. XXXXIIII.

PETRO . PERNIGOTTIO
EQVITI . ARCHITECTO
QVOD . VRBIS . NOVO . CVLTV . EXORNANDAE . RATIONEM
DIAGRAMMATE . PROPOSITO . DEMONSTRARIT
THEATRVM . NOVVM . AD . CIVIVM . IVCVNDITATEM
PVBLICE . DECRETVM
STATIONEM . R . COHORTIS
REGIONIS . SECVRITATI . FOVENDAE
MERCEDE . REMISSA
AD . INGENIVM . SVVM . EXCITANDA . CVRAVERIT
ORDO . POPVLVSQVE . DERTHONENSIS
VT . INTELLIGENS . EGREGI . CIVIS . IVDICIVM . ET . HVMANITAS
POSTERIS . ESSENT . TESTATA
AN . M . DCCC . XXXXIIII .
PP .

CCCXIV.

Astae Pompeiae.

AN. M. DCCC. XXXXV.

In fronte antica portae urbanae.

HVMBERTO . RAINERIO
VICTORII . EMMANVELIS . SABAVDIAE . DVCIS . F .
ORDO . ASTENSIS
ADNVENTE . REGE . CAROLO . ALBERTO
DEDICAVIT
AN . M . DCCC . XXXXV .

In fronte postica.

VIA . NOVA . APERTA
PER . VARRONIANI . CASTRI . RVDERA
CIVES . ASTENSES
VRBANAM . PORTAM . EXTRVENDAM . CVRAVERVNT
HVMBERTO . RAINERIO . PRINCIPI . PEDEMONT .
DEDICATAM
AD . MEMORIAM . LAETISSIMI . DIEI
QVO . IN . LVCEM . EDITVM
SPEM . REGII . GENERIS . AVSPICEM . PERPETVAE . FELICITATIS
SALVTARVNT

CCCXV.

In agro Savilianensi.

An. M. DCCC. XXXXV.

ANDREAE . DENINAE
CANONICO . SAVILIANENSI
QVI . AEDEM . ABHINC . ANNOS . CCV . VIRGINI . MATRI
EX . VISV . DEDICATAM
TEMPORVM . NEGLIGENTIA . DILABENTEM
IMPENSA . SVA . ET . VICINIAE . CONLATIONE
NOVO . CVLTV . EXORNATAM . RESTITVIT
ALTARE . MAXIMVM . PRO . CELLA . DEIECTA
INIBI . EXCITAVIT
IMPETRATO . FONTE . SALVTARIS . LAVACRI
IN . SVBSIDIVM . CVRIAE . S . MARIAE . PLEBIS
THOMAS . MACANEVS . ET . IOANNES . VALLAVRIVS
VT . PIENTISSIMI . VIRI . LAVS
ET . GRATAE . SAVILIANENSIVM . VOLVNTATIS . MEMORIA
AD . POSTEROS . PROROGENTVR
POSVERVNT . AN . M . DCCC . XXXXV .

CCCXVI.

Vicoduni (frustra).

BALNEAS
AD . CIVIVM . VALITVDINEM . TVENDAM
CVRATORES . AEDIVM . HOSPITALIVM . S . CRVCIS
PVBLICA . PECVNIA . FECERVNT
AN . M . DCCC . XXXXVII .
AGENTE . CVRAM . ANTONIO . VALLAVRIO
DOCTORE . THEOLOGO . CANONICO
NOSOCOMII . PRAESIDE

CCCXVII.

Lancei, in valetudinario mauritiano

AN. M. DCCC. LII.

REX . VICTORIVS . EMMANVEL . II . REGIS . CAR . ALBERTI . F.
PIVS . FELIX . AVGVSTVS
MAGISTER . ORDINIS . MAVRITIANI . LAZAR .
NOVAS . AEDES . HOSPITALES . AEGRIS . CVRANDIS
A . SOLO . EXCITAVIT
AN . M . DCCC . LII . REGNI . EIVS . IIII .
ALOISIO . CIBRARIO . EQVITE . SENATORE
ANTISTITE . ORD . MAVRIT . LAZAR .
FABRICIO . LAZARIO . COMITE . SENAT . PRAEF . EXERC .
CVRATORE . VALETVDINARIORVM
CAROLO . MOSCA . EQVITE . SENAT . ARCHITECTO

CCCXVIII.

Ibidem.

An. M. DCCC. LIIII.

IOSEPHVS . OCTAVIANVS . CACHERANVS . OSASCVS
A . ROCCA
LANCEI . MARCHIO
EQVES . ORDINIS . SVPREMI
VIRGINIS . GENETRICIS . DEI . DESIGNATAE
EQVES . BENEFICIARIVS . ORDINIS . MAVRITIANI
VALETVDINARIVM . IN . AEGRORVM . SOLATIVM . CONSTITVIT
ARGENTEORVM . SVBALPINOR. V. ET . QVINQVAG . MILLIBVS . ADTRIBVTIS
QVOD . IN . POTESTATE . ET . DITIONE . ORDINIS . MAVRIT .
IN . PERPETVVM . ESSE . VOLVIT
EX . CONSENSV . REGIS . CAROLI . EMMANVELIS . III .
A . QVO . PVBLICIS . PRIVILEGIORVM . LITTERIS
EST . HONESTATVM
VIII . CAL . APRILES . AN . M . DCC . LXVIIII .

CCCXIX.

Pralormi, in praetorio gentis Beraudae.

An. M. DCCC. LIIII.

CAROLVS . BERAVDVS . COMES . PRALORMI
EQVES . O . S . VIRGINIS . DEI . PARENTIS . DESIGNATAE
NOVA . AEDIVM . ACCESSIONE
QVAS . GENS . ROTARIA . ET . FERRERIA
MVLTA . IAM . SAECVLA . OBTINEBAT
SCALIS . MARMOREIS . ET . CONCLAVI . MAXIMO . INAEDIFICATIS
DIAETIS . APTIOREM . IN . ORDINEM . DISPOSITIS
CVLTVQVE . SPLENDIDIORE . EXORNATIS
ADDITA . HORTORVM . AMOENITATE
EX . INGENIO . PRAESCRIPTOQ . ERNESTI . MELANI . EQVIT . ARCHITECTI
OPVS . A . MAIORIBVS . INCHOATVM . A . MATRE . PROFLIGATVM
AN . M . DCCC . XXXXV . PERFICIVNDVM . CVRAVIT

CCCXX.

Vicoduni, in villula suburbana.

An. M. DCCC. LV.

ΜΝΗΜΗΣ . ΧΑΡΙΝ
THOMAS . PETRI . F . VALLAVRIVS
DOMO . CLVSIA . APVD . CVNEENSES
DOCTOR . DECVRIALIS . LAT . ELOQVENTIAE . TRADENDAE
IN . R . ATHENAEO . TAVRINENSI
CVRATOR . STVDIIS . HISTORIAE . PATRIAE . PROVEHENDIS
EQVES . MAVRITIANVS
NE . SIBI . ELISAE . GIBELLINIAE . VXORI
ANTONIO . FRATRI . DOCTORI . THEOLOGO . CANONICO
CVRATORI . VICARIO . REI . BENEFICIARIAE
EQVITI . ORD . MAVRIT .
SVBVRBANVM . SECRETVM . DEESSET
VBI . AVTVMNALE . OTIVM . VSVRPARENT
VILLVLAM . NOVO . CVLTV . EXORNAVIT
AN . M . DCCC . LV .

CCCXXI.

In Vico apud Clarascum, cui vulgo nomen:
Il Bricco dei Faule.

AN. M. DCCC. LV.

VINCENTIO . FERRERO . PONZILIONO
COMITI . BVRGI . ALENSIS . EQVITI . ORD . MAVRITIANI
IVRIS . VTRIVSQVE . CONSVLTO
CVRATORI . STVDIIS . HISTORIAE . PATRIAE . PROVEHENDIS
QVOD . ANNO . M . DCCC . LIII . ARGENTEVM . CALICEM
DONO . DEDERIT . SINGVLARI . ARTIFICIO . PERFECTVM
AN . M . DCCC . LIIII . SACRARIVM . SVA . PECVNIA . AMPLIARIT
SACRAE . TVRRI . EXCITANDAE . TERTIAS . SVMPTVS . SVFFECERIT
ANNO . INSEQVENTI . SOLO . DATO
CVRIONIS . HORTOS . AVXERIT . PARIETE . SEPSERIT
IDEM . DOMICILIO . LVDIMAGISTRO . ADTRIBVTO
SCHOLAM . AD . PVEROS . INSTITVENDOS
AB . INCHOATO . EXTRVXERIT
QVAM . A . VIRGINE . MAGNA . NVNCVPATAM . VOLVIT
AB . ORIGINE . LABIS . EXPERTE
VICANI . AD . MEMORIAM . TANTAE . BENEFICENTIAE
QVAE . PONZILIONIAE . GENTIS . NOMEN . RENOVAVIT
EXIMIIS . IAM . LIBERALITATIBVS . CLARAE
AN . M . DCCC . LV . PP .

CCCXXII.

Clarasci, ad S. Margaritae.

An. M. DCCC. LV.

M . CHRISTINAE . FERRERIAE . PONZILIONIAE
COMITI . BVRGI . ALENSIS
QVOD . AEDEM . SODALITATIS
CVI . A . MISERICORDIA . NOMEN . EST
VETVSTATE . DILABENTEM
PARIETIBVS . REPARATIS . PAVIMENTO . INSTAVRATO
ALTARI . NOVAM . IN . FORMAM . EXORNATO
DE . SVA . IMPENDIA
RESTITVENDAM . CVRAVERIT
SODALES
ANTISTITAE . SVAE
PIENTISSIMO . MVNIFICENTIAE . STVDIO . PRAECLARAE
AN . M . DCCC . LV . PP .

CCCXXIII.

In aede curiali S. Barptolemaei ad Clarascum.

An. m. dccc. lvi.

VINCENTIO . FERRERO . PONZILIONO
COMITI . BVRGI . ALENSIS
EQVITI . ORDINIS . MAVRITIANI . LAZARIANI
CVRATORI . STVDIIS . HISTORIAE . PATRIAE . EXCOLENDIS
ADLECTO . INTER . POPVLARES . ORATORES . QVORVM . EST
DE . LEGIBVS . FERENDIS . ET . ANNVIS . VECTIGALIBVS . DECERNERE
QVOD . ANNO . M . DCCC . LV .
SVMMVM . TEMPLI . SVBSELLIARIVM . S . BARPTOLEMAEO . DICATI
SVA . PECVNIA . EXTRVENDVM . CVRARIT
ITEM
FRANCISCO . ANTONIO . GVERRAE
MARCHIONI . CEBAE . PERLI . MONTISPOSTREMI
ET . HAGNAE . GABRIELLAE . PIOSSASCAE . A . SCALENGIS
VXSORI
QVI . ARGENTEAM . THECAM . DONO . DEDERVNT
AFFABRE . ET . ANTIQVO . ARTIFICIO . FACTAM
QVA . SALVTARIS . HOSTIA . POPVLO . ADORANDA . PROPONITVR
CVRIALES . S . BARPTOLEMAEI
GRATI . ANIMI . CAVSA . PVBLICE . POSVERVNT
ANNO . M . DCCC . LVI .

CCCXXIV.

Clarasci, in aedibus Ponzilioniis.

AN. M. DCCC. LVII.

AN . M . DCCC . LVII .
VINCENTIVS . FERRERVS . PONZILIONVS
COMES . BVRGI . ALENSIS
EQVES . ORDINIS . MAVRITIANI
MAIORVM . SVORVM . TABVLARIO
PLVTEIS . AVCTO . ET . NOVVM . IN . ORDINEM . DIGESTO
BIBLIOTHECA . OPTIMIS . EXEMPLARIBVS
ET . VETERVM . CODICIBVS . MAGNIFICE . ADORNATA
AMPLA . NVMORVM . SERIE . DESCRIPTA
QVIBVS . RES . PATRIAE . ILLVSTRANTVR
TITVLVM . POSVIT
AD . HONESTA . GENTILIBVS . INCITAMENTVM

CCCXXV.

In Vico apud Clarascum, cui titulus:
Il Bricco dei Faule.

AN. M. DCCC. LVII.

VILLAM . SOLI . AMOENITATE
ET . MAIORVM . MONVMENTIS . IVCVNDAM
OPERIBVS . AMPLIATIS . OMNIQ . CVLTV . INSTAVRATAM
VINCENTIVS . FERRERVS . PONZILIONVS
COMES . BVRGI . ALENSIS
I . V . D . EQVES . MAVRITIANVS . LAZARIANVS
CVRATOR . STVDIIS . HISTORIAE . PATRIAE . PROVEHENDIS
DEDICAVIT . VII . ID . SEPTEMBRES . AN . M . DCCC . LIIII .
VT . IN . FVNDO . AVITO
VNA . CVM . CHRISTINA . MARIA . EX . COMITIBVS . CHIABÒ
CONIVGE . SVAVISSIMA
CVRIS . VRBANIS . SOLVTVS
LIBERIORE . COELO . ANIMVM . RENOVARET

CCCXXVI.

Clarasci, in aede Mariae Karmelitidis.

An. M. DCCC. LVII.

VINCENTIO . FERRERO . PONZILIONO
COMITI . BVRGI . ALENSIS
EQVITI . MAVRITIANO . LAZARIANO
CVRATORI . STVDIIS . RERVM . PATRIAE . EXCOLENDIS
ET . CHRISTINAE . MARIAE . EX . COMITIBVS . CHIABÒ . EIVS . VXORI
QVI . SVA . IMPENSA
SVMMVM . TEMPLI . SVBSELLIARIVM . INSTAVRARVNT
SACRARIO . AMPLIATO . EXORNATO
MAGNVM . CONCLAVE . SVPERSTRVXERVNT
COENOBIVM . INSIGNI . LIBERALITATE . CVMVLARVNT
SODALES . KARMELITAE
AD . MEMORIAM . TANTAE . BENEFICENTIAE
GRATI . POSVERVNT
AN . M . DCCC . LVII .

INSCRIPTIONES

NVMORVM, VASORVM ET RERVM PRIVATARVM

INSCRIPTIONES

NVMORVM, VASORVM ET RERVM PRIVATARVM

CCCXXVII.

In basi crucis argenteae.

GREGORIVS . XVI . P . M .
ALOISIVM . DAMIANVM . PAVLETVM
DYNASTAM . MELLI
ADMISSIONE . ET . ALLOQVIO . DIGNATVS
DONAVIT
ROMAE . IV . ID . IANVAR . AN . M . DCCC . XXXIIII .

CCCXXVIII.

In nomismate aureo.

In parte adversa.

CAROLO . BOVCHERONO

In parte aversa.

OB . EGREGIAM . OPERAM
IN . EDITIONEM
SCRIPTORVM . LATINORVM
COLLATAM
IOSEPHVS . POMBA
AN . M . DCCC . XXXVII .

CCCXXIX.

In ora calicis.

ALOISIVS . FRANSONIVS
ARCHIEPISCOPVS . TAVRINENSIVM
QVVM . DIOECESIN . RITE . LVSTRARET
ABBATIAE . AD . STVRIAM
DONO . DEDIT
AN . M . DCCC . XXXXIIII .

CCCXXX.

In parte aversa

Nomismatis.

I . BAPT . SCHIARIO
COMITI . V . EXC .
OB . SACELLVM
VIRGINI . MATRI . EXTRVCTVM
VIVCENSES
AN . M . DCCC . LXIII .

CCCXXXI.

In basi statuae argenteae Petri apostoli.

An. M. DCCC. LXIII.

ALEXANDRO . ANGELONIO . ARCHIEP . VRBINATIVM
BIS . IN . VINCVLA . CONIECTO . BIS . VINCVLIS . EREPTO
PETRO . AP . TVTORE . ET . VINDICE

CCCXXXII.

In basi statuae argenteae Pauli apostoli.

ALEX . ANGELONIO . ARCHIEP . VRBINATIVM
AD . RETINENDA . ECCLESIAE . IVRA
PAVLI . AP . FORTITVDINEM . IMITATO

CCCXXXIII.

Sub imagine.

An. M. DCCC. LXIII.

IMAGINEM . MARCI . ORLANDINI
SACERDOTIS . FERETRIENSIS
DE . ME . DE . COENOBIO . OPTIME . MERITI
SODALIVM . FRANCISCALIVM . CAPVLATORVM
SANCTI . ARCHANGELI
N . CENCIVS . CANONICVS
GRATI . ANIMI . ERGO
LVCE . EXPRIMENDAM . CVRAVI
AN . M . DCCC . LXIII .

CCCXXXIV.

Mutinae, in nomismate aureo.

An. M. DCCC. LXV.

In parte adversa.

PRAEMIVM
DECRETVM . A . VII . VIRIS
PIETATI . FOVENDAE
ERGA . S . IOSEPHVM
VIRVM . MARIAE

In parte aversa.

N . N .
VICTORI
IN . CERTAMINE . POETICO
AN . M . DCCC . LXV .

INSCRIPTIONES

AD FESTOS APPARATVS

INSCRIPTIONES

AD FESTOS APPARATVS

CCCXXXV.

Aug. Taurinorum, in fronte armamentarii.

An. M. DCCC. XXXXII.

Quum urbs nuptiis plauderet Victorii Emmanuelis, regis destinati.

REX . CAROLVS . EMMANVEL . III . EREXIT
REX . VICTORIVS . AMADEVS . III . AVXIT
REX . CAROLVS . ALBERTVS
FERDINANDO . FILIO . SVFFRAGANTE
DE . PERFICIVNDO . EXORNANDO . COGITAT

CCCXXXVI.

Ibidem.

An. M. DCCC. XXXXII.

REGI . CAROLO . ALBERTO
OB . NVPTIAS . AVSPICATISSIMAS
VICTORI . EMMANVELIS . ET . MARIAE . ADELAIDIS . AVSTRIACAE
IMMOBILEM . FIDEM
SI . CASVS . INCIDAT . PROBATVRVS . GRATVLATVR . EXERCITVS

CCCXXXVII.

Aug. Taurinorum, in suburbio ad Duriam.

Prid. Non. Quintil. An. M. DCCC. XXXXV.

In arcu.

ALOISIO . FRANSONIO
ARCHIEPISCOPO . TAVRINENSIVM
V . EXC .
QVI . TEMPLVM . MARIAE . VIRGINIS . NIVALIS
PRO . POTESTATE
PRAESENS . INVISIT
SVBVRBANI . AD . DVRIAM . OBVIAM . EFFVSI
PLAVDIMVS

CCCXXXVIII.

In fronte sacelli subitarii.

AVGVSTINVS . GATTINVS . CVRIO
SACERDOTES . ET . ALVMNI . SACRORVM
CAELITES . SANCTISSIMOS
QVORVM . IN . TVTELA . EST . SVBVRBIVM
PRECAMVR
VT . TIBI . PATER . OPTIME . ADSINT
DIVQ . VOTIS . NOSTRIS . VIVAS

CCCXXXIX.

In fronte templi curialis.

SVCCEDE . PONTIFEX . AMPLISSIME
SODALES . EVCHARISTICI . SODALES . ALOISIANI
QVIQVE . SOLATIA . COELESTIA
MANIBVS . DEFVNCTORVM . IMPLORAMVS
CVM . CVRIONE . NOSTRO
TEMPLVM . SVPELLECTILE . AVCTVM
ADVENTV . ADSPECTVQVE . TVO . LAETI . ALACRES
FESTO . CVLTV . EXORNAVIMVS

CCCXL.

Augustae Praetoriae.

An. M. DCCC. XXXXV.

REGI . CAROLO . ALBERTO
QVEM . EX . ALLOBROGIBVS . CVM . FERDINANDO . F . REDVCEM
LAETITIA . OBSEQVIVM . GLORIA . COMITANTVR
VII . VIRI . IVRI . DICVNDO
VINDICI . LEGVM . ADSERTORI . PVBLICAE . FELICITATIS

CCCXLI.

Laurelliae, apud Palantienses.

Prid. non. maias an. M. DCCC. LV.

Tituli vicatim positi.

HONORI . S . GOTTARDI
OB . MEMORIAM . FAVSTISSIMI . DIEI
IIII . NON . MAIAS . AN . M . DCC . LV .
QVO . EIVS . RELIQVIAE . SOLLEMNI . POMPA
IN . AEDEM . CVRIAE . SVNT . INLATAE
LAVRELLIENSES . PATRONI . COELESTIS . PRAESIDIO . LAETE
SECVLARIA . SACRA . CONCELEBRANT

CCCXLII.

GAVDETE . LAVRELLIENSES . FORTVNATI
SANCTOS . FOCOS . TVRIS . ODORE . SPARGITE
GOTTARDO . EXORANTE
FAVSTA . QVAEQVE . VOBIS . LARGIETVR
DEVS . OMNIPOTENS

CCCXLIII.

HVC . ADESTE . HOSPITES
QVOTQVOT . VALLEM . NOSTRAM . INVISITIS
PRAESTITEM . INVOCANTIBVS . SALVTAREM
SVPPLICES . ADORATE

CCCXLIV.

VOS . QVIBVS . SORDET
VETVS . CHRISTI . SAPIENTIA
FAVETE . LINGVIS . IMPII
CAELITVM . PATROCINIO . LAETANTIS
PARCITE . PROBRIS . LACESSERE

INSCRIPTIONES . XIII .

QVAE . VITIIS . DEFORMATAE

PASSIM . PROSTANT

IN . FRONTE . AEDIVM . SACRARVM . TAVRINENSIVM

THOMAS . VALLAVRIVS

AD . VETERIS . ELEGANTIAE . RATIONEM . EXACTAS

RECONCINNAVIT . AN . M . DCCC . LXIIII .

RIVISTA EPIGRAFICA

I.

In Torino, come in tutte le principali città italiane, durò insino ai giorni nostri il lodevole costume d'incidere sulla facciata delle chiese un' iscrizione latina, che ricordasse il tempo della loro fondazione, le persone, che la promossero ed altre cose notabili, che si volessero tramandare alla memoria dei posteri. Così anco di presente la facciata della Chiesa del Corpus Domini rammenta il celebre miracolo del SS. Sacramento. Così le parole che veggonsi al sommo della porta della chiesa di San Francesco da Paola, fanno fede, ancora dopo due secoli, della munificenza della principessa Cristina di Francia. Così il recente abbellimento della chiesa di S. Dalmazzo non sarà ignorato dai nostri nipoti, che leggeranno la bella epigrafe, la quale accenna le spese sostenute dai Chierici Regolari di San Paolo, e la pietà soccorritrice dei loro popolani.

Ma non tutte le iscrizioni, che adornano l'esterno aspetto dei nostri templi, meritano di essere lodate. Alcune di esse non rispondono bene al fine, per cui vi furono poste; ed altre perchè peccanti contro ai precetti della epigrafia, o contra la sintassi, e la proprietà della lingua latina, si vorrebbero a nostro avviso emendare.

Per la qual cosa noi abbiamo divisato di pubblicare una Rivista epigrafica, nella quale notiamo i vizi più gravi di alcune delle iscrizioni predette; proponendo anche il modo, con cui ci sembra potersi queste correggere. Che se le nostre osservazioni non gioveranno a fare scomparire quelle sconciature, che noi verremo accennando, serviranno almeno di norma ai futuri epigrafisti latini.

E dove questo avvenga, noi saremo lietissimi di esserci in qualche maniera adoperati per conservare nella epigrafia latina il buon gusto, che, a memoria nostra, diffuse in Piemonte l'illustre nostro maestro Carlo Boucheron.

Nè sapremmo come meglio incominciare la nostra Rivista, che recando in mezzo un dialoghetto, a cui ci toccò di assistere questi giorni passati.

Un forestiero il quale scorrendo i portici, che sono allato alla piazza Vittorio Emanuele, era riuscito al fiume Po, volgendo lo sguardo al tempio della Gran Madre di Dio, che sorge dirimpetto al ponte, vi lesse sulla facciata la seguente epigrafe:

ORDO . POPVLVSQVE . TAVRINVS
OB . ADVENTVM . REGIS

E dopo essersi recato in se stesso, come chi cerca di indovinare il senso di qualche parola oscura, non senza mostrare agli atti della faccia la sua maraviglia, voltosi ad un tale, che gli stava di costa:

— Di grazia, domandò, sapreste voi per avventura dirmi, quale sia il Re, a cui accenna quell'epigrafe, o almeno quando seguisse la sua venuta in Torino?

— Signore, rispose l'interrogato, stringendosi nelle spalle, duolmi di non poter appagare il vostro desiderio, perchè anch'io son nuovo in questo paese, come mostra, che siate voi stesso.

— Per chi adunque scrissero i Torinesi questa epigrafe? Certamente per gli stranieri, o per gli avvenire. Ma, se Dio mi aiuti, lo stesso Edipo non riuscirebbe a colpire nel segno.

— Non posso che approvare la vostra savia osservazione. E vo meco stesso pensando, qual fatica non dovranno durare gli archeologi di qui a mille anni, per dichiarare questo indovinello.

Fin qui i due forestieri, le cui parole suonano la più grave censura, che altri possa fare di questa iscrizione. E noi osserveremo alla nostra volta, che l'oscurità, giustamente lamentata, nasce appunto dall'avere l'autore violato una delle regole più notabili della epigrafia intorno alle iscrizioni storiche, da scolpirsi sui pubblici monumenti.

Questa regola prescrive, che si noti l'anno, in cui fu innalzato il monumento; eccettochè nella epigrafe sieno nominate persone, che bastino a designare l'età coll'ufizio che esse esercitarono; ciò che appunto avveniva ai tempi degli antichi romani, i quali segnavano l'anno col nome dei consoli. Ma nel caso nostro fu dimenticata la nota dell'anno, e non fu espresso il nome del Re. Donde vuolsi conchiudere, che l'epigrafe del tempio della Gran Madre dovrebbe essere emendata nel modo seguente:

ORDO . POPVLVSQVE . TAVRINVS
OB . ADVENTVM . REGIS
AN . M . DCCC . XVIII .

ovvero

ORDO . POPVLVSQVE . TAVRINVS
OB . ADVENTVM . REGIS . VICTORII . EMMANVELIS . I .

II.

Coloro, cui non piace l'uniforme aspetto di parecchi rioni della città di Torino, censurano ancora, siccome peccanti di monotonia, le facciate delle due chiese, che fronteggiano da mezzogiorno la bella piazza di San Carlo. Altri all'opposto lodano a cielo la simmetria di quegli edifizi, e li chiamano non ultimo ornamento della piazza.

predetta. Ma nessuno, a nostro parere, vorrà approvare la sgrammaticata e inelegante epigrafe, scolpita, non è gran tempo, sopra la maggior porta della chiesa di San Carlo. Eccola:

D . CAROLI . TEMPLO
REX . CAROLVS . ALBERTVS . P . F . A .
LAPIDEVM . FRONTEM . ADDIDIT
MARIA . CHRISTINA . BORB . AVG .
STATVIS . EXORNAVIT
ORDINE . DECVRIONVM . ET . PIORVM
OPERIS . ADIVTORE

Chi conosce la sintassi latina, vede di colpo la sconvenienza della voce *templo*, che non si può accordare con amendue i verbi *addidit* ed *exornavit;* dacchè l' ultimo di essi non può reggere altro che il quarto caso. Nè varrebbe per avventura il dire, che l' autore dell' epigrafe ha inteso di riferire il verbo *exornavit* all' accusativo *frontem lapideum.* Imperciocchè questa costruzione non è consentita dall' indole della lingua romana, la quale richiede, che i due verbi summentovati si riferiscano al nome principale che è *templo.* Che se l'Autore ebbe veramente (ciò che non crediamo) siffatta intenzione, egli doveva aggiungere qualche pronome, a questo modo:

QVEM . MARIA . CHR . BORB . AVG.
STATVIS . EXORNAVIT

La quale aggiunta, od altra simile, a dirla di passaggio, non si affarebbe punto allo stile epigrafico.

Inoltre l' autore ha espresso poco felicemente il suo concetto nelle ultime parole dell' iscrizione. Ivi *ordo decurionum* sta bene non così *ordo piorum.* Giacchè la voce *ordo* si usa dai Latini a voler significare corpo, consorteria, società d' uomini, che abbiano il medesimo uffizio, la medesima professione, od esercitino la stessa arte, lo stesso mestiere. Così essi dissero *ordo sacerdotum, ordo mercatorum, pecuariorum, publicanorum;* ma non iscrissero mai *ordo ho-*

nestorum, ordo improborum, piorum; nei quali casi adoperarono piuttosto il vocabolo *genus.*

E finalmente la voce *operis* vuolsi intralasciare siccome ridondante.

Per la qual cosa, quando si volesse ben emendare l'iscrizione che abbiamo riferito di sopra, converrebbe, a nostro avviso, modificarla nella forma seguente:

TEMPLVM . CAROLINIANVM
REX . CAROLVS . ALBERTVS . P . F . A .
LAPIDEO . FRONTE . VESTIVIT
MARIA . CHRISTINA . BORBONIA . AVG .
STATVIS . EXORNAVIT
ORDINE . DECVRIONVM . ET . CIVIVM . PIETATE
SVFFRAGANTIBVS

Noi speriamo, che la Commissione, incaricata dei ristauri della Chiesa di S. Carlo, vorrà giovarsi di queste nostre osservazioni, in quel modo che le parrà più conveniente.

III.

Sul crocicchio delle vie della Provvidenza e dell'arcivescovado sorge una Chiesa, che fu già delle Suore Salesiane, ed ora appartiene ai Signori della Missione. Correndo il 1765, pare che le Monache predette, per festeggiare la recente canonizzazione del loro fondatore, abbellissero con qualche ristauro la Chiesa, e probabilmente ne ornassero la facciata, e vi apponessero la seguente epigrafe:

D . O . M .
ET . B . M . V . VISITATIONI
AD . CELEBRITATEM . RELATI . INTER . DIVOS
FRANCISCI . SALESII
DIVINAE . MATRIS . ET . PARENTIS . SANCTISSIMI
HVMILES. . FILIAE . D . D .
AN . MDCCLXV

Dei lavori summenzionati non possiamo parlare se non congetturando, perchè contra ogni buona regola epigrafica la sibillina iscrizione non fornisce intorno a ciò alcun indizio. Anzi chi legge è naturalmente indotto nella falsa credenza, che la Chiesa sia stata costrutta del 1765, ovvero dedicata in quell' anno soltanto alla Visitazione della B. Vergine; laddove si ricava da autentici documenti, che fin dall' anno 1661 era già sotto quel titolo aperta al pubblico e ufficiata dalle Monache. Ora questo errore storico è originato appunto dal verbo D. D. *(dedicarunt)*, usato in questo luogo a sproposito.

Nè è questo il solo vizio dell' epigrafe. Imperciocchè esaminandone le varie parti, osserviamo dapprima, che il costrutto *B. M. Virginis Visitationi dedicarunt* non si può accettare dai Latini; i quali ripudiando la frase astratta, e inelegante, vi sostituerebbero l'equivalente: *Mariae hospitae dedicarunt.*

Inoltre è da notarsi, che la formola *ad celebritatem* non risponde bene al concetto dell' autore. Quanto non sarebbe più esatto e più chiaro il dire: *in honorem!* E neppure le parole *parentis sanctissimi* esprimono accuratamente l' idea di *fondatore*; e si vorrebbero perciò mutare in *patris legiferi*, ad imitazione degli antichi romani, che dissero *patres* i filosofi fondatori di qualche scuola, e chiamarono *legiferi* coloro, che prescrivessero leggi, regole ed un determinato modo di vivere ad un' accolta di persone.

Finalmente l' epiteto *humiles*, aggiunto alle Suore, non si addice alla castigata sobrietà della iscrizione storica, e di più non ha presso i Latini la significazione di virtù che gli attribuiscono gl' Italiani. Laonde volendo ridurre l' iscrizione alla dovuta proprietà, semplicità e chiarezza, si dovrebbe al tutto rifare a questo modo:

AEDEM . MARIAE . HOSPITAE . SACRAM
IN HONOREM
FRANCISCI . SALESII . PATRIS . LEGIFERI
RELATI . INTER . CAELITES
VIRGINES . DEVOTAE . SALESIANAE
NOVO . CVLTV . EXORNARVNT
AN . M . DCC . LXV .

IV.

Quale di noi non ha letto le cento volte questa breve iscrizione, incisa a caratteri cubitali sulla facciata della chiesa di s. Francesco d'Assisi?

DIVO . FRANCISCO . ASSISIATI . SACRVM

Ma pochi per avventura hanno badato, che la voce *Divo* non solo è impropria, in questo luogo, ma è ad un tempo un titolo del tutto pagano. Di fatto a chi attribuivasi dagli antichi Romani il titolo di *Divus?* Agli Iddii soltanto, ovvero agl' Imperatori, che dopo la morte fossero per mezzo dell' apoteosi ascritti al numero degli Dei. Talchè le parole *Divus Augustus, Divus Claudius*, tanto suonavano quanto *il Dio Augusto*, *il Dio Claudio.* Ora ognuno vede apertamente quanto disdica ai cristiani il dare questo titolo a quegli uomini, che famosi per virtù eroiche, furono bensì dalla Chiesa cattolica onorati del nome di *Santi,* ma non mai tenuti per *Dei.* Nè sapremmo davvero per qual ragione in molte epigrafi scolpite sulle nostre chiese cristiane leggasi questo vocabolo dell' antico paganesimo. Forsecchè non abbiamo la voce latinissima *sanctus,* che è al tutto propria e calzante? Lo stesso Cicerone nel libro primo *dell' Oratore,* parlando di Rutilio, che fu uno specchiato modello d' innocenza, dice: *Quum illo nemo integrior esset in civitate neque sanctior*; e nella orazione in difesa del comico Roscio chiama certi senatori *viros sanctos et religiosos.* E Velleio Patercolo disse di Catone il censore che fu *vir sanctissimus.* Che se per amore di varietà vogliasi talvolta mutare il vocabolo, chi ci vieta di chiamare i nostri Santi con dizione latina ad un tempo e cristiana, *coelites beatos,* o *relatos inter coelites?* — Del resto, poichè già da qualche tempo ci andiamo giustamente lagnando

della empietà di taluni, che si sforzano di ricondurre il mondo al paganesimo, non mostriamoci discordi con noi stessi e facciamo scomparire, almeno dai monumenti cristiani, queste reliquie di una ridicola superstizione.

V.

Quando andiamo per nostro sollazzo fuori di Porta Nuova, giunti allo stradone che mette capo al Valentino, vediamo a destra un ampio casamento con una chiesuola attigua, detta *S. Salvario*.

Nella facciata di questa è scolpita la seguente epigrafe, la quale ricorda, come l'anno 1646, Madama Reale Cristina di Francia facesse innalzare questa cappella per ottenere da Gesù Salvatore la prosperità del Regno e della sua famiglia:

SERVATORI . DEO . ET . HOMINI
REDIVIVO . ITERVM . NON . MORITVRO
CHRISTINA . FRANCICA . DVX . SAB . ET . REGENS
REGNI . FELICITATEM . SOBOLIS . INCOLVM .
REGII . EXCITATIONE . SACELLI
COMMENDAVIT . AN . M . DC . XXXVI .

Gl'intelligenti s'accorgono tosto, come nella prima parte dell'iscrizione la semplicità del concetto sia viziata da una ridondanza di parole, che ci richiama alla mente il lussureggiare del seicento. Poscia censurano con ragione tanto l'inutile particella congiuntiva tra i due titoli della Principessa, quanto il vocabolo *Regens*, che non ha la significazione *di Reggente*, cioè di colei, che durante la minorità del figlio governa le cose del regno. In questo caso gli antichi Romani adoperavano le locuzioni: *regnum procurare, procuratio, procurator, procuratrix regni*. Così Cesare (De bell. civ. III, 112): *erat in procuratione regni, propter aetatem pueri, nutricius eius,... nomine Pothinus*. E poco di poi: *Pothinus nutricius pueri, procurator regni*.

Osservano in fine, che *excitare sacellum* è frase latina ed elegante, non però *excitatio sacelli*; dacchè la voce *excitatio* non è usata, se non da uno scrittore dell' infima latinità, nella significazione di *risvegliamento*. Ecco adunque l' epigrafe ridotta alla debita severità e forbitezza latina:

IESV . DEO
SERVATORI . GENERIS . HVMANI
CHRISTINA . FRANCICA
DVX . SABAVDIAE . PROCVRATRIX . REGNI
PVBLICAM . FELICITATEM . SOBOLIS . INCOLVMITATEM
R . SACELLO . EXCITATO
COMMENDAVIT . AN . M . DC . XXXXVI .

VI.

Tutti sanno, che primo e principal pregio di ogni scrittura è la chiarezza, e che ad ottenerla giovano massimamente due cose. Adoperare parole proprie e acconcie a significare pur quello che intendiamo di dire; e ordinarle in modo, che dalla loro disposizione non nasca dubbiezza o anfibologia.

E se queste avvertenze tornano utilissime a chiunque scrive; sono di assoluta necessità per l' epigrafista latino, il quale usa una lingua, i cui vocaboli dalla diversa giacitura pigliano bene spesso un sentimento diverso.

Ma a questa indole della lingua latina pare non abbia posto mente chi dettò la seguente epigrafe per la facciata della Cappella del Ritiro, che la compianta marchesa di Barolo apriva alle fanciulle in via della Consolata:

MATRI . DEIPARAE .

Noi sappiamo di molti, che al leggere questa iscrizione stimarono che la Chiesa fosse dedicata al puerperio della B. Vergine, perchè tenendo la voce *Deiparae* per un dativo

di apposizione, interpretavano a questo modo l'epigrafe: *Chiesa sacra alla Madre che ha partorito Dio*. E persuasi di aver colto nel segno, soggiungevano ancora: Perchè valersi di due voci che significano una medesima cosa? Assai meglio era sfuggire questa tautologia, scrivendo: *Virgini Deiparae*, ovvero *Deiparae Sacrum*.

Che se male si apponevano i lettori nel giudicare del titolo di questa Cappella; l'errore, anzichè a loro, è da attribuirsi all'autore dell'epigrafe, il quale collocò accanto al dativo *Matri* la voce *Deiparae*, che può essere ad un tempo di secondo o di terzo caso. Donde appunto nasce l'ambiguità del costrutto.

Ora quando si voglia annunziare senza ambagi al pubblico, che la Cappella è sacra a sant'Anna; la cosa riuscirà molto agevole, aggiungendo una sola parola:

MATRI . VIRGINIS . DEIPARAE

E così facendo, non solo si provvederà alla perspicuità dell'epigrafe, ma si accennerà eziandio ad un dogma della nostra religione, vale a dire alla verginità di Maria, anche dopo il parto.

VII.

Quanto più ci inoltriamo nell'esame critico di queste iscrizioni torinesi, tanto più ci confermiamo nella nostra opinione, che prima del Vernazza, del Provana, e del Boucheron (vissuti sullo scorcio del secolo passato e nella prima metà del presente) non fossero in Piemonte scrittori di epigrafi latine, meritevoli di qualche lode.

E di questo mal gusto in opera di epigrafia abbiamo una

solenne riprova nella seguente iscrizione, che leggesi sulla chiesa di San Rocco, in via di s. Francesco di Assisi:

QVAM . S . ROCHI . SODALITAS
VRBIS . ET . ADVERSVS . LVEM . PATRONI
EREXERAT . AEDEM
PAROECIAE . IVS . ADEPTA
C . XVII . ABHINC . ANNIS
EIQVE . DOTE . STATVTA
INTVS . ORNARAT
AVGVSTISSIMI . REGIS . VICTORIS . AMEDEI . III .
ACCEDENTE . MVNIFICENTIA
EXTERIVS . DECORAVIT
AN . M . DCC . LXXX

Oltrecchè le parole sono qui avviluppate ed intralciate tanto, che altri dura fatica a cavarne il senso; è da notare, che la formola *adversus luem patronus* non è punto latina. Chi conosce la teogonia e il rituale degli antichi Romani, sa come questi avessero i loro dei *averrunci*, a cui ricorrevano con apposite preghiere, per essere preservati dai mali. E da queste appunto vuolsi derivare la frase da surrogarsi alla formola predetta, che noi disapproviamo.

Seguono le parole *Rochi sodalitas ius paroeciae adepta*, che ci danno un concetto falso, perchè dei diritti parrocchiali non furono investiti i confratelli di S. Rocco. E a tacere dell'*abhinc* non collocato a suo luogo, la locuzione *dotem paroeciae statuere* è al tutto barbara, quando le si voglia attribuire il senso di *assegnare un'annua rendita alla parrocchia*; ciò che pare abbia voluto significare l'autore.

Soggiungiamo ancora, che la voce *Augustus*, come titolo di re e di imperatori, non fu mai nelle epigrafi romane del buon secolo adoperata nel grado superlativo.

Proponiamo adunque la seguente iscrizione, purgata dalle macchie di sopra notate.

AEDEM . S . ROCHO
PATRONO . VRBIS . DEPVLSORI . PESTILITATIS
SODALES . ROCHIANI
A . FVNDAMENTIS . EXCITARVNT
ABHINC . ANN . C . XVII .
IVRE . CVRIAE . DONATAM
ANNVO . PROVENTV . AVXERVNT
INTVS . EXORNARVNT
AN . M . DCC . LXXX .
IMPENSA . SVA . ET . MVNIFICENTIA
REGIS . VICTORII . AMADEI . III .
EXTRINSECVS . DECORANDAM . CVRARVNT

VIII.

Benchè il secolo decimoquinto sia notabile per lo studio posto dagli Italiani nelle lettere latine; tuttavia la seguente iscrizione, collocata nel 1498 sulla maggior porta della nostra Cattedrale, si dilunga assai dal forbito scrivere dei quattrocentisti, e spezialmente dalla elegante semplicità richiesta all' epigrafia.

IOANNI - BAPTISTAE . PRAECVRSORI
DOMINICVS . RVVERE . TAVRIN . PRAESVL
IN . S . ROM . ECCLES . CARDINALES
TITVLO . S . CLEMENTIS
A . SIXTO . IIII . PONT . MAX . ADLECTVS
BASILICAM . SITV . VETVSTATEQ . LABENTEM
A . FVNDAMENTIS . DEMOLITAM
AVGVSTIORE . ORNATV . PIE . RELIGIOSEQ.
AD . PATRIAE . DECVS
ET . REIP . CHRIST . HONESTAMENTVM
ILLVSTRIB. SABAVDIAE . DVCIBVS
I . CAR. AMADEO . ET . BLANCA
EIVS . MATRE . TVTRICEQVE
REM . PVBL . AEQVO . IVRE . ADMINISTRARENT
EREXIT . ET . PHILIB . II . DVCE
IBID . FLORENTISSIMO . IVSTISSIMOQ.
DEDICATAM . ABSOLVIT
AN . M . CCCC . XCVIII .

Di fatto è ridondante l'accennare qui il nome del Sommo Pontefice, da cui monsignor Della Rovere fu ascritto al sacro collegio; bastava l'intitolarlo cardinale. È ridondante il notare, che questi rifece la chiesa per onorare la patria e la repubblica cristiana. Ridondante il dire, che Bianca di Monferrato era madre del duca Carlo Giovanni Amedeo; bastava il dirla Reggente dello Stato. Ridondante ancora il qualificare Filiberto II, come giustissimo e fiorentissimo principe. Tutti questi accessori stanno bene in una storia, in una biografia, non già in una epigrafe storica. È falso poi che Bianca e suo figlio *rempublicam aequo iure administrarent;* giacchè tutti sanno, che questi morì per una caduta da cavallo, quando non aveva che otto anni; nella quale età i principi non sono atti ad amministrare la cosa pubblica. Finalmente il cognome *Della Rovere* è malamente tradotto in latino per *Ruvere*; e impropriamente il *Vescovo* è detto *Praesul.* È noto come questa voce si adoperasse dagli antichi Romani soltanto a significare il capo dei Salii, e come nei tempi meno felici per le lettere latine, si usasse talvolta *Praesul* in vece di *Praeses;* non mai in luogo di *pontifex, antistes sacrorum*, o *episcopus*, che sono le sole voci, le quali servono a designare latinamente il Vescovo.

Dopo queste osservazioni è ovvio il conchiudere, che l'epigrafe, di cui parliamo, può farsi assai più breve e scriversi con formole più chiare, più semplici ed eleganti; pur conservando nella sua integrità il concetto principale dell'autore. Eccola:

BASILICAM . IOANNIANAM
VETVSTATE . SQVALIDAM . ET . DILABENTEM
DOMINICVS . RVVEREVS . CARDINALIS
PONTIFEX . TAVRINENSIVM
BLANCA . MONFERRAT . SABAVDIAE . DVCE
REM . PVBLICAM . PROCVRANTE
IN . ELEGANTIOREM . FORMAM
A . SOLO . RESTITVIT
AN . M . CCCC . XCVIII .
ABSOLVIT . ET . DEDICAVIT

IX.

Di tre ristauri, con cui la pietà dei Torinesi studiossi di abbellire la chiesa di San Tommaso, fa cenno la seguente epigrafe, scolpita sulla facciata.

DIVO . THOMAE . APOSTOLO
SACRAS . AEDES
PRAE . VETVSTATE . SQVALENTES
FVNDITVS . DISTVRBATAS
IN . LATIOREM . ORNATIOREMQ. FORMAM
PROLIXA . TAVRINENSIVM . VENERATIO
REDEGIT . AN . M . Ð . LXXXV .
FACIEM . PARS . LAPIDE . MARMORATAM
PARS . PLASTICO . TECTORIO . OBDVCTAM
PIORVM . VTIQVE . CIV. LIBERALITAS
EXCITAVIT . AN . M . DC . LVII .
FVRENTIVM . AST . ANNORVM
PONDERE . QVASSAM
PLVMBEIS . TEGMINIBVS . TVTAM
VARIISQVE . FULCIMENTIS . SECVRAM
EIVSDEM . S. TEMPLI . CVLTORES
EFFECERVNT . AN . M . DC . XLIII .

Qui è minore ridondanza che in altre lapide già esaminate; e le parole vi sono ancora con migliore avvedimento ordinate. Ma non possiamo gran fatto lodarci della proprietà e della schiettezza delle formole latine. E principalmente è da notarsi una grave improprietà nella voce *aedes*, usata nel numero del più per indicare una chiesa sola. A questo modo si adopera dai Latini allora soltanto che si tratta di un palazzo o di una casa qualunque. Impropria eziandio è la locuzione *faciem lapide marmoratam*, per significare, che la facciata fu adorna di un intonaco marmorato.

In generale l' intonaco si esprime latinamente colla formola *opus tectorium*; a cui si aggiunge la voce richiesta per determinare la spezie. Improprio finalmente è il colorito poetico delle parole *furentium ast annorum pondere quassam*; senza parlare dell' *ast* che ci sta veramente a pigione, non altrimenti che l' *utique* posto di sopra.

Abbiamo detto poc' anzi, che minore è in questa epigrafe la ridondanza, già biasimata in altre iscrizioni; non tanto però, che non sia da censurarsi il concetto, ripetuto inutilmente per ben tre volte colle parole: *Prolixa Taurinens. veneratio, etc. Piorum utique civ. liberal., etc. Eiusdem S. templi cultores, etc.* I tre ristauri della Chiesa essendosi fatti tutti per la liberalità dei Torinesi; ciò era da dirsi una volta sola, come nella seguente, purgata da tutte le improprietà.

AEDEM . S . THOMAE . APOSTOLI
VETVSTATE . CORRVPTAM
PIORVM . CIVIVM . LIBERALITAS
IN . AMPLIOREM . FORMAM
AB . INCHOATO . REFECIT
AN . M . D . LXXXV .
FRONTEM . OPERE . PLAST . EXORNAVIT
OPERE . TECTORIO . MARMORATO . LORICAVIT
AN . M . DC . LVII .
TEMPORIS . INIVRIA . LABEFACTATVM
PLVMBEIS . LAMINIS . CONTEXIT
APTIS . FVLCIMENTIS . COMMVNIVIT
AN . M . DCC . XLIII .

X.

Singolarissimo pregio di una iscrizione è certamente la brevità. Ma questa si trasforma in vizio, quando ingeneri falsa persuasione in chi legge. E di tal vizio appunto vuolsi

tacciare l'ellitica epigrafe che vedesi rilevata a grandi lettere metalliche nella facciata di Santa Teresa.

JOANNES . BAPT . CARDINALIS . ROVERO
AN . M . DCC . LXIV .

Questa induce naturalmente a credere che la Chiesa sorgesse nel 1764 per la liberalità del Cardinale Giambattista Rovero, Arcivescovo di Torino. Ma il vero è, che incominciata nel 1642 da Madama Cristina, essa era già compiuta nel 1684. Di questa falsa credenza vuolsi adunque dar carico all'epigrafista, che si propose per avventura di imitare gli antichi, i quali solevano nelle iscrizioni storiche tacere il nome del monumento, quando appunto questo si presentava agli occhi dei lettori; sicchè nessun dubbio poteva nascere nell'animo dei riguardanti. Ma egli non badò, che allorquando trattavasi non di tutto il monumento, ma solo di una parte di esso, aggiunta od abbellita, usavano ragionevolmente gli antichi designare con molta accuratezza quanto essi avessero fatto o ristorato. E qui appunto era d'uopo accennare che l'Arcivescovo Rovero aveva aggiunto alla Chiesa la bella facciata di pietra.

Inoltre, chiunque conosca i primi elementi della Epigrafia latina, resta offeso dalla spostatura della voce *Cardinalis*. Imperciocchè i titoli delle dignità e degli uffizi tanto sacri, quanto civili e militari voglionsi collocare dopo il nome e il cognome; ove si eccettuino i titoli di *Rex* e *Imperator*, che generalmente si prepongono al nome.

Per la qual cosa volendo che l'iscrizione non pecchi contra la verità storica, e non violi uno dei principali precetti della epigrafia, dovremo emendarla nel modo seguente:

TEMPLVM . S . THERESIAE
IOANNES . BAPT . ROVERVS . CARDINALIS
LAPIDEO . FRONTE . EXORNAVIT
AN . M . DCC . LXIIII .

XI.

Pigliamo oggi ad esaminare una delle più recenti iscrizioni, scolpite sulla faccia delle chiese torinesi, la quale ricorda la riedificazione di S. Maria di Piazza, e il suo abbellimento seguito l'anno 1830.

DEIPARAE . IN . COELVM . ASSVMPTAE
AEDEM . HANC
QVAM . VIII . ANTE . SECVLA . POSVERVNT
VNDIQVE . VETVSTATE . DILABENTEM
AN . M . DCC . LI . FVNDAMENTIS . EXCITATAM
NOVA . FORMA . AN . M . DCCC . XXX .
EXORNANDAM . CVRAVERE

Ma non senza maraviglia vediamo, che essa non ritrae punto del buon gusto dell'età, in cui fu scritta. La qual cosa ci porge l'opportunità di osservare, che anche nei tempi della più fiorente cultura non mancano i malaccorti; che provocano colle loro sconciature il severo giudizio degli intelligenti.

Difatto la locuzione *in coelum assumptae* dinota che l'autore non badò alla differenza grande che passa tra l'*assunta* degl'Italiani, che vale anche *innalzata*, e l'*assumpta* dei Latini, che non può avere mai un tale significato. Nè varrebbe l'allegare l'autorità dei libri sacri, perchè ognun sa che la loro lingua non vuolsi torre a modello del puro e forbito scrivere latino. E che diremo del pronome dimostrativo *hanc*, aggiunto inutilmente all'*aedem?* Qual bisogno di additare con un pronome al lettore dell'epigrafe il monumento che gli sta sugli occhi? Non basta forse il solo nome *aedem?* Vero è che alcuna volta usarono gli antichi quest'aggiunto che noi condanniamo. Ma per lo più, quando adoperavano nell'epigrafe il nome comune in vece del proprio. Così Virgilio (Aen. III, 185)

fa porre ad Enea questa epigrafe sulla porta del tempio di Apolline in Leucade, dove aveva appeso lo scudo del greco Abante:

AENEAS . HAEC . DE . DANAIS
VICTORIBVS . ARMA

Si sostituisca ora alla parola *arma* la voce propria *clipeum*,

AENEAS . ABANTIS . VICTORIS . CLIPEVM
D . D .

e vedrassi tosto, quanto disdirebbe l'aggiunta del vocabolo *hunc*.

A tacere poi dell'avverbio *undique*, del tutto inutile, abbiamo due gravissimi errori nelle parole *fundamentis excitatam*. Imperciocchè nel 1751 la chiesa fu *rifabbricata*, non *fondata;* sicchè era da dirsi *restitutam*, *refectam*, *instauratam*, non già *excitatam*. Oltre di che l'indole della lingua latina vuole, che non si taccia in questo luogo la preposizione *a*.

Da ultimo, il lettore giunto alla fine dell'epigrafe, domanda a se stesso: Chi fondò questa chiesa otto secoli fa? Chi la rifece nel 1751? Chi l'abbelliva nel 1830? E pur troppo a nessuna di queste domande risponde l'epigrafista, che stette contento a scrivere: *posuerunt, exornandam curavere*; omettendo, con imperdonabile dimenticanza, di nominare i parrocchiani, per la cui liberalità fu in antico fondata, e in processo di tempo rifatta e ornata la chiesa.

Dal sin qui detto si vede chiaramente, che questa iscrizione, benchè dettata nel 1830, a giudicarne dal suo valore, si direbbe nata ad un parto con quelle che abbiamo finora censurato, e che perciò vuolsi rifare a questo modo:

AEDEM . MARIAE . SIDERIBVS . RECEPTAE
SECVLO . CHRISTIANO . XI . EXCITATAM
CVRIALES . VETVSTATE . DILABENTEM
A . FVNDAMENTIS . RESTITVERVNT
AN . M . DCC . LI .
NOVO . CVLTV . EXORNANDAM . CVRARVNT
AN . M . DCCC . XXX .

XII.

Correva l'anno 1618, quando colle largizioni dei Torinesi fecesi ristorare ed ampliare la Chiesa delle Orfane, sotto il titolo della SS. Annunziata. E a conservare la memoria di tale abbellimento fu posta nella facciata la seguente iscrizione:

DEIPARAE . VIRGINI . ANNVNTIATAE
TVTELARI
SACRATAM . ECCLESIAM . HANC
PAVPERVM . ORFANARVM . COLLEGIVM
ELEEMOSINIS . RESTAVRAVIT
AMPLIAVIT . EXORNAVIT
REGNANTE . CAROLO . EMMANVELE II .
ARCHIEPISCOPO . MICHAELE . BEYAMO
AN . DOMINI . M . DC . XVIII .

Anche coloro che non sono di gran sentimento nelle lettere latine, censurano qui il non ben considerato accozzamento delle due voci *Deipàrae Annuntiatae*, le quali suonano italianamente: *Alla Madre di Dio*, *designata Madre di Dio*; e ripudiano ad un tempo il participio *annuntiatus*, di cui non si hanno esempi negli scrittori latini. Inoltre osservano, che la parola *Ecclesiam*, nella significazione di *Tempio*, è di rarissimo uso anche presso gli autori della decadenza; che i vocaboli greci *orfanarum* ed *eleemosinis* sono scritti in questo luogo con peccante ortografia, e non ebbero mai la cittadinanza latina; che *Collegium* è adoperato a sproposito per significare *Ricovero* o *Conservatorio* di fanciulle.

Questo notano anche i non valorosi latinisti, riguardo alla improprietà dei termini. Ma ciò che vuolsi massimamente biasimare nella presente epigrafe, è l'anfibologia, che nasce dal seguente costrutto: *Orphanarum collegium eleemosynis restauravit.* Chi mai leggendo queste parole

può intendere, se il Ritiro delle Orfane abbia col suo danaro, ovvero con quello dei cittadini, ristorato la Chiesa?

Finalmente a che giova rammentare, oltre il regno di Carlo Emanuele II, anche l'episcopato del Beggiamo; quando il tempo del ristauro è accuratamente indicato dal millesimo, con cui si chiude l'iscrizione?

I vizi fin qui accennati scompaiono nella seguente epigrafe, che noi vorremmo surrogata all'antica.

TEMPLVM . MAGNAE . VIRGINIS
DEI . PARENTIS . DESIGNATAE
IN . CVIVS . TVTELA
DOMVS . EST . PVELLARVM
ORBITATE . ET . INOPIA . LABORANTIVM
CIVIVM . LARGITIONIBVS
INSTAVRATVM . AMPLIORE . FORMA . EXORNATVM
AN . M . DC . XVIII .

XIII.

Durante l'ultima dominazione francese, essendo diminuito assai il numero degli abitanti di Torino, la Chiesa di S. Martiniano cessò di essere parrocchia, e stette chiusa per alcun tempo. Finalmente l'anno 1818 fu ridonata alla Compagnia del nome di Gesù, da cui era stata ricostrutta nel 1575.

Questo si ricava dalla seguente iscrizione, intagliata nella facciata.

HANC . OLIM . CVRIALEM . AEDEM
TITVLO . BEATOR . PROCESSI . ET . MARTINIANI
EREXERVNT . SODALES . SS . NOMINIS . IESV
AN . M . D . LXXV .
AT . SEMPER . CALAMITATE . SEPT . CLAVSAM
ALIBI . TRANSLATA . PAROECIA
REGIS . VICTORII . EMMANVELIS . MVNIFICENTIA
IIDEM . SODALES . RECVPERARVNT
ATQVE . IESV . DEO . DICARVNT
IN . HONOREM . S . NOMINIS . EIVS
AN . M . DCCC . XVIII .

Se non che dalle parole *erexerunt sodales* altri è naturalmente indotto a credere, che la chiesa fosse primamente fondata solo nel 1575; laddove è noto, come esistesse già fin dal secolo X. E questo è il primo vizio dell'epigrafe; nella quale l'autore significò anche poco felicemente colle parole *semper septennio clausam,* che la Chiesa non fu aperta al pubblico per sette anni non interrotti. Poi viene il madornale errore dell' *alibi* in vece di *alio.* E poi la locuzione barbara: *translata paroecia*; e finalmente *iidem sodales,* che non è maniera epigrafica. Eccola rifatta a modo nostro:

AEDEM . CVRIALEM
BEATOR . CAELITVM . PROCESSI . ET . MARTINIANI
SODALES . SS . NOMINIS . IESV
AB . INCHOATO . RESTITVERVNT . AN . M . D . LXXV .
DIFFICILLIMIS . TEMPORIBVS
TITVLO . ET . IVRE . CVRIAE . SPOLIATAM
SEPTEM . ANNIS . PERPETVIS . CLVSAM
MVNIFICENTIA . REGIS . VICTORII . EMMANVELIS . I .
SODALES . SVPRA . SCRIPTI . RECEPERVNT
NOMINIQVE . IESV . DICARVNT . AN . M . DCCC . XVIII .

ADNOTATIONES

INSCR. II. — pag. 3.

Vicensium frequentia. S. Theobaldus, domo Vico apud Monregalenses, adolescens relicta patria, Albam Pompeiam commigravit, ibique diem obiit supremum. Itaque Vicenses, haud aliter atque Albenses Pompeiani, conterraneum suum praecipua religione colunt, et statis temporibus usque Albam proficiscuntur, illius exuvias adoraturi.

INSCR. III. — pag. 4.

Curatores studiis hist. patr. provehendis, italice: *la R. Deputazione sopra gli studi di storia patria*. Rex Carolus Albertus XII cal. maias an. MDCCCXXXIII Curatores legit, qui Monumenta publicis et privatis tabulariis condita in lucem proferrent. Horum Curatorum opera iam decem Monumentorum volumina sunt edita, aliaque propediem evulgabuntur.

Parafrasi delle iscrizioni XVII - XXVI,
fatta dal chiarissimo cav. abate Francesco Poggi. — *Pag.* 13 *e seg.*

XVII.

A Te, Vergine Augusta Immacolata,
Eccelsa degli apostoli regina,
Del mondo a scampo a tanto onor levata
La nostra in atto umil mente s'inchina:
Serba di Pio la gloria intemerata,
Serba Italia che omai cade e ruina,
Questa preghiera a Te supplice e pia
Tutta de' figli tuoi la schiera invia.

XVIII.

Madre possente il cui puro candore
Lieve non offuscò macchia giammai,
Sebben d'averno il drago in suo furore
Volga in Te di veleno accesi i rai,
Siccome col tuo piè trionfatore
L'altero capo un dì schiacciato n'hai,
Or che alla chiesa e a' figli tuoi s'avventa
Lo calpesta, lo stritola, l'annienta.

XIX.

Del divin Paracleto inclita sposa
Mai sempre pura e a lui sempre fedele,
Tutta la nostra speme in Te riposa
Che fuor di questo mar torbo e crudele,
Salva di Pier la nave e gloriosa
Chiuda in porto sicuro alfin le vele,
E di Pio, Duce invitto, a eterno vanto
Alfin si sciolga del trionfo il canto.

XX.

Donna di cui non fu nè v'ha l'eguale,
Che di macchiar tentò la colpa invano,
Di cui, dal giusto in fuor nulla prevale
Sull'equa lance nell'augusta mano;
Se qual godi chiamarti e Tu sei tale,
Or mostra finalmente al volgo insano,
Che del Roman Pontefice il diritto
Pari all'Eterno in note eterne è scritto.

XXI.

Vergin degna d'amor, la cui purezza
Il candor vince dell'intatta neve,
Se Italia quale un dì più non ti prezza
Volgerle un guardo a Te pur non sia greve,
Degl'itali odi la crescente ebbrezza
A Te di soffocar opra è assai lieve,
Tu raccendi, che il puoi, nel nostro petto
Per Cristo e il suo Vicario il prisco affetto.

XXII.

Vergine inviolata, in cui la pura
Sapïenza locò sua vera sede,
Dileguarsi d'error la nebbia impura
Chi in Te rivolga i rai subito vede;
Dalla via che finor tenea sicura
Deh Tu all'Italia che ne torce il piede
Del Pastor Sommo al santo ovil sii guida;
Ivi col giusto e il ver la pace annida.

XXIII.

Rosa, alla cui beltà sordido insetto
Onta non fe' giammai con sozza bava,
Ma fosti d'ogni cor dolce diletto
Col grato olezzo che da Te spirava;
Deh sempre il suol Ti sia d'Italia accetto,
Come allora che in Te sol si beava,
E sperdi il lezzo co' tuoi divi odori
Che or qui spargon cresciuti immondi fiori.

XXIIII.

Arca novella del riscatto umano,
Cui fan corona i più candidi gigli,
Quale già l'Arca un dì lungo il Giordano
Tenea congiunti d'Israele i figli,
Fa che Italia al Pontefice sovrano
Sia devota nell'opre e nei consigli,
E in lui concorde qual solea Sionne
Onori il successor del divo Aronne.

XXV.

O Tu, cui fece purità celeste
Delle angeliche schiere imperadrice,
Da tante, onde siam colti atre tempeste,
Se un umil prego a Te volger ne lice,
Mira qual turba di Demôni investe
Italia e al mite Pio la guerra indice:
Tu la ricaccia dell'averno in fondo
E a Dio caro, qual fu, ritorni il mondo.

XXVI.

O buona madre, in Te tutta fidanza
Pose il sovran Pastore il nono Pio,
Quando cerca in Gaeta amica stanza,
Dal trono in bando e dal suolo natio,
Di dare al nome tuo nuova onoranza
Più accendersi nel cor sentì il disio;
Nè invan sperò; che accolse il mondo intero
Lieto di tua purezza il gran mistero.
Noi pur figli d'Italia oppressi e stanchi
Da rie sventure in Te lochiam la speme;
Il valido poter tuo ne rinfranchi
In queste d'empietà battaglie estreme.
Ah! sì, se il tuo favor mai non ne manchi,
Dal fiero incalzo che ci stringe e preme
Uscirem vincitori, e alla tua gloria
Tutto il merto sarà della vittoria.

INSCR. XXXI. — pag. 21.

A privatis Larg. Regis. Nos: *Limosiniere del Re.*

INSCR. XXXII. — pag. 22.

VIII. *viri Athen. moderando.* Vulgo: *Il Consiglio universitario.*

INSCR. XXXIV. — pag. 23.

Militi leg. manuball. italice: *Soldato d'artiglieria.*

IBID.

Officina pulv. ignesc. *La Polveriera.*

INSCR. XXXV. — pag. 23.

Haec inscriptio extat etiam, omisso auctoris nomine, et mendis deformata in libro, cui titulus: *Vita e documenti letterarii di Pier Alessandro Paravia. Torino, G. Marietti, 1865, in-4°. Parte I, pag. 276.*

Sodali Florent., linguae ital. conservandae, excolendae: ***Accademico della Crusca.***

INSCR. XXXVIII. — pag. 25.

Vic. Pat. Antist. Mediol. Vicario Generale della Diocesi di Milano.

INSCR. XLVII. — pag. 33.

Ad S. Mariae hospitae. Nella chiesa della Visitazione.
Fabricae. Pago in Salassis, cui vulgo nomen Favria.
Magistr. sacr. cubic. Gran Ciamberlano.
Eq. O. S. Virg. ab Ang. sal. Cavaliere dell'ordine supremo della SS. Annunziata.
Reg. Stab. praep. Scudiere del Re.

INSCR. L. — pag. 35.

Ad S. Mar. syd. rec. Nella chiesa dell'Assunta.
Proleg. prov. Bonon. Prolegato in Bologna.
Praef. Perus. Governatore di Perugia.
Apocris. ap. Lud. Borb. Nunzio a Luigi di Borbone.
Legatus praet. pot. Legato a Latere.
Iud. Ep. prob. Esaminatore dei Vescovi.
Iud. Libr. not. Consultore della Sacra Congregazione dell'Indice.
Adsc. in Sacr. Cons. chr. nom. propag. Membro della Congregazione di Propaganda.
Dom. alumn. sacr. inst. I Seminari de' chierici.

INSCR. LI. — pag. 38.

Nosocom. Diae Char. L'ospedale di Carità.
Praef. R. dom. Matron. vid. Direttore del R. Ritiro delle Vedove nobili.
Gynaec. Paull. puell. inst. Il Ritiro di S. Paolo.
Mensa pign. Il monte di Pietà.
Supr. Coll. rei subsid. admin. La Congregazione generalissima di Carità.
Praet. urb. ideinq. Cur. ann. vic. pot. Vicario di politica e polizia della città di Torino.

INSCR. LII. — pag. 39.

VII. *viri stud. moder.* *L'Eccellentissimo Magistrato della Riforma sopra gli studi.* Laurentius Martinius Archigymnasium Taurinense heredem ex asse reliquit hac lege, ut in perpetuum duo optimae spei adolescentes, domo Cambiano, medicinae aut politiorum litterarum studiosi, publice alantur in Regio Provincialium Ephebeo.

V. *vir publ. val. tut. Membro del Consiglio Superiore di Sanità.*

Summus Curator lui mal. pus. a puer. avert. Presidente della Giunta sul Vaccino.

INSCR. LIII. — pag. 40.

Reg. puer. ad aul. min. del. I paggi Reali.

Ala reg. sub. eq. gr. armat. Il Reggimento di Piemonte Cavalleria.

Decur. Cubic. Gentiluomo di Camera.

Eq. Ord. Sab. ob mer. civ. Cavaliere dell'ordine civile di Savoia.

INSCR. LV. — pag. 42.

Eq. Maur. torq. balt. Cavaliere di gran Croce dell'ordine Mauriziano, decorato del gran Cordone.

Nomism. Maur. exornat. ob mer. mil. Decorato della medaglia Mauriziana al merito militare.

INSCR. LVII. — pag. 44.

Ad Cosseriam. De pugna ad Cosseriam videsis. *Botta, Storia d'Italia dal 1789 al 1814, Lib. VI.*

INSCR. LIX. — pag. 47.

Orator legibus fer. a pop. del. Nominato Deputato.

INSCR. LXIII. — pag. 50.

Praep. tab. et curs. publ. Direttore generale delle regie poste.

INSCR. LXIIII. — pag. 51.

Haec inscriptio cum insequenti evulgata primum fuit ad calcem accuratae et politae laudationis, quam habuit v. cal. maias an. MDCCCLXV *Andreas Ighina* Canonicus, vir ingenio et doctrina clarissimus.

INSCR. LXVI. — pag. 55.

Praef. Sacr. Cons. Princ. exor. Prefetto della Segnatura di Grazia.

INSCR. LXVIII. — pag. 56.

Supr. Mag. univ. milit. Gran Maresciallo.
Summ. praef. urb. et prov. Taurin. Governatore della Divisione di Torino.

INSCR. LXIX. — pag. 57.

Eq. benef. Maur. Commendatore dell'ordine Mauriziano.
Procur. Caesar. Procuratore Imperiale.
In supr. Cur. Taur. adv. fisci. Avvocato Fiscale Generale.

INSCR. LXXI. — pag. 59.

Praep. Commeant. Console.

INSCR. LXXIII. — pag. 60.

Cur. max. vic. pot. Parroco e Vicario foraneo.

INSCR. LXXIIII. — pag. 61.

Eq. Torq. ord. Maur. Cavaliere gran Croce dell'ordine Mauriziano.
Adsc. in cons. regn. adm. Creato Consigliere di Stato.
Praes. Cur. max. Taur. Presidente dell'Eccellentissimo Senato di Torino, (ora Magistrato d'Appello).

INSCR. LXXV. — pag. 62.

Coll. Sod. Arv. Taur. L'Accademia di Agricoltura di Torino.

INSCR. LXXXI. — pag. 66.

In Nosoc. praep. clin. Primo medico dell'Ospedale.

INSCR. XCI. — pag. 72.

Domo Vicod. ap. It. subalp. Nativo di Mondovì in Piemonte.
Lap. ausp. stat. Pose la prima pietra.

INSCR. XCII. — pag. 72.

Aug. insign. exorn. Dama dell'imperiale e reale ordine della Croce Stellata.

INSCR. XCVI. — pag. 75.

Altoduno Rotario in quod gens sua iam pridem vice sacra dominab. lege vectig. sibi rurs. adtrib. Avendo ottenuto una novella investitura della terra di Montaldo Roero, antico feudo della sua famiglia.
Curator ord. Melit. Conservatore dell'ordine Gerosolimitano.

INSCR. XCVII. — pag. 76.

In cons. Prin. exor. et caus. rer. iud. dir. hon. caus. adl. est. Fu creato Referendario onorario della Segnatura di grazia e giustizia.
Ant. dom. pont. Prelato domestico di Sua Santità.

INSCR. XCVIII — pag. 77.

In Taur. Soc. φιλοπάτριδων *coopt.* Aggregato alla Società Filopatria di Torino. De hoc doctissimo coetu vide librum qui inscribitur: *Delle Società letterarie del Piemonte Libri due di* TOMMASO VALLAURI, *Torino, tipogr. Favale,* MDCCCXXXXIV, in-8°.
Proc. Prov. Sal. et Vic. perf. est. Fu intendente delle provincie di Saluzzo e di Mondovì.
Summ. Curat. rei frum. et comm. Commissario generale delle truppe alleate.

INSCR. XCIX. — pag. 79.

Consil. Leg. Pii VIIII. *P. M.* *Uditore del Nunzio pontificio.*

INSCR. CV. — pag. 83.

Ioannes B. Marcuccius. Lucensis sacerdos, cui maximam ingenii et doctrinae famam conciliavit italicum opus *(Origine e cattolicità delle lettere ed arti in Italia)*, nativa illa orationis venustate atque elegantia conscriptum, quam frustra in plerisque recentioribus requiras.

INSCR. CVII. — pag. 84.

Amoen. pict. arg. clar. *Valoroso pittore di paesaggio.*

INSCR. CXII. — pag. 87.

Praef. III *vir. stlit. neg. iud.* *Fu Presidente del Tribunale di Commercio.*

INSCR. CXVII. — pag. 91.

Can. adm. poen. exp. *Canonico penitenziere.*

INSCR. CXIX. — pag. 92.

Mach. op. bell. *Ingegnere militare.*

IBID.

Praep. Leg. manub. *Generale d'artiglieria.*

INSCR. CXLI. — pag. 107.

Deleta lege vectigali. *Coll'estinzione dei feudi.*

Inscr. cxliii. — pag. 108.

Splendidissim. Monferrat. ord. Consilium iudiciis publicis cognoscendis, vulgo: *La Corte d'Appello di Casale.*

Inscr. cxliv. — ibid.

Cum basi anaglypta. Con bassirilievi nella base.

Inscr. clvii. — pag. 112.

Ephebeum quod rex Vict. Amad. II. Prov. ap. Il Reale Collegio delle Province, fondato da Vittorio Amedeo II.

Inscr. clix. — pag. 113.

Magisteriis auctis. Accresciuto il numero delle Cattedre.

Inscr. clx. — ibid.

Aedes Palat. exim. nobilissim. artif. operib. in linteo pictis exornat. Vide in hanc rem librum, cui titulus: *Fasti della Real Casa di Savoia e della Monarchia, descritti da* Tommaso Vallauri, *e corredati d'incisioni, eseguite da valenti artisti sui disegni di* G. Zino. Torino, G. Pomba e Comp., 1845, in-8° gr.

Inscr. clxii. — pag. 114.

Mariam Virg. opiferam. La Madonna delle grazie.

Inscr. clxiv. — pag. 115.

Iacob. Margottius . . . . acerrim. cathol. prof. vindex. Quo studio christianam religionem tueatur apertissime testantur opera, quae in maximis occupationibus nuperrime exaravit: *Le vittorie della Chiesa nel primo decennio del Pontificato di Pio IX. Torino, 1857, in-8° di pag. 518. — Roma e Londra, Confronti. Torino 1858, in-8° di pag. 620.* In his, praeter excellentem doctrinam, intelligentis iudicii viri illud ingenii acumen, eumque sermonis leporem mirantur, quibus factum fuit, ut vixdum evulgata, gallice et germanice verterentur.

DANTE AGLI ITALIANI.

VERSIONE DELL' ISCRIZIONE CLXXII. — *pag.* 121.

Poichè, Italiani,
Voi onorate il dì della mia nascita
Non vi rincresca
Di ascoltare queste parole
Che mi dettava l'amor che vi porto:

Siate, Italiani, a muovervi più gravi;
Non siate come penna ad ogni vento;
Uomini siate e non pecore matte,
Sì che il Giudeo tra voi di voi non rida.
Avete il vecchio e il nuovo Testamento,
E il pastor della Chiesa che vi guida;
Questo vi basti a vostro salvamento.
Non fate come agnel, che lascia il latte
Della sua madre, e semplice e lascivo
Seco medesmo a suo piacer combatte.
Deh! non fia mai, che veggasi in Italia,
Qual già in Alagna, entrar lo Fiordaliso
E nel Vicario suo Cristo esser catto!
Od un nuovo Pilato sì crudele,
Che ciò nol sazia, ma senza decreto
Porta nel tempio le cupide vele.
Oh! temete, Italiani, il giusto Iddio;
Temete la vendetta, che nascosa
Fa dolce l'ira sua nel suo segreto!

INSCR. CCXXVIII. — pag. 149.

Quum anno superioris seculi sexto urbs Augusta Taurinorum a gallicis copiis obsidione premeretur, Victorius Amadeus II Sopergam collem conscendit, hostium castra inspecturus, vovetque, si vicisset, templum se Virgini Matri in summo clivo excitaturum. VII idus septembres, commisso proelio, tam insignem victoriam de Gallis retulit, ut urbem in libertatem vindicaret, et diuturno bello finem imponeret. Carolus Emmanuel III, filius, vix regnum auspicatus, templum dedicavit, quod obsessa urbe, pater voverat.

VERSIONE ITALIANA

DELL'ISCRIZIONE CCXXXVIII. — *pag.* 153.

Quel dì che a Dio bambino
 Curvaronsi i tre Savi reverenti,
Dal mar, da l'apennino,
 Da l'alpe a Te vegnamo itale genti.

Incenso, auro forbito
 Vegnamo a porti, non la mirra ai piè:
Altri la mirra ardito,
 Il sai che a pruova, o Grande Pio, ti diè.

V. L.

INSCR. CCXLI. — pag. 155.

Haec inscriptio postridie fuit evulgata, quum intelleximus, falso a quibusdam in parisiensi senatu fuisse iactatum, Italos civilem Pontificis Maximi principatum aversari.

VERSIONE ITALIANA

DELLE ISCRIZIONI CCXLIIII E CCL.

CCXLIIII. — pag. 156.

Al tempo genïal de' baccanali,
 Quando molti sperdean l'oro superbo
 In giuochi, danze e feste convivali,
 Noi messo, o Pio, ti abbiam l'obolo in serbo;
 Chè anco l'onesta gioia era delitto
 Al nostro cuor, che ti sapeva afflitto.

V. L.

CCL. — pag. 158.

Omai volge il quint'anno, e con orgoglio
 L'Emilia t'accogliea vestita a festa:
 Or che ti mira d'ogni aver dispoglio
 L'obolo accolto a offrirti ella s'appresta,
 Al buon tempo devota e al tempo rio,
 O grand'alma incrollabile di Pio.

V. L.

INSCR. CCLVII. — pag. 164.

Qua fortasse hora hic titulus a nobis scriberetur Augustae Taurinorum, animam agebat Lugduni Archiepiscopus Taurinensium, procul a suis, procul a dioecesi, a qua duodecim ante annos fuerat exactus. Hic quidem quantum sui desiderium reliquerit, cognitum est ex moerore omnium bonorum, qui eius finem, quasi insignem calamitatem luxerunt. Ubi vero aequalium invidia conticuerit, praeclarae Fransonii virtutes, posteris narratae ac traditae, apertissime testabuntur, quantus vir ille fuerit, qui otium, tranquillitatem, vitae commoda, honores officio posthabuit.

INSCR. CCLXI. — pag. 166.

Qua tempestate Cosimus Corsius, Pater Cardinalis, Augustae Taurinorum exularet, regni administer Principi exorando et causis rerum indicatarum dirimendis ad se arcessitum de admissis interrogavit. Vir autem Eminentissimus, qui sibi conscius esset, se in omni vita transversum unguem ab officio non discessisse, ne dignitati suae deesse videretur, verbum non respondit. Haud ita multo post ei potestas facta, si in sedem honoris sui redire vellet.

INSCR. CCLXIII. — pag. 167.

Rumor est, Episcopum Fanestrium hac poena esse multatum ob praescripta quaedam, a sacerdotibus servanda, quum sedent pro tribunali criminibus expiandis.

INSCR. CCXC. — pag. 181.

Ea condit. vers. fec. ut aeq. sors pro sorte redd. cum us. quincunce: Fece un imprestito al pari e coll'interesse del cinque per cento.

VERSIONE ITALIANA

DELL'ISCRIZIONE CCCX. — *pag.* 192.

1.

Dieci fiate e nove a le rinchiuse
Porte si fece il verno tremolante;
E la ventenne primavera effuse
Al piano al clivo il suo nembo fragrante:
E *Tu* con fren paterno i sette colli
Guardi, e tre volte il capo cinto estolli.

2.

Oggi che torna al volgersi de l'anno
Il dì fausto, felice, in che salisti,
O Successor di Piero, a l'alto scanno,
Noi quanti l'Apennin parte, o frammisti
Abbraccia l'alpe e il doppio mar, devoti
Al ciel per Te, *Gran Pio*, leviamo i voti.

3.

Opre compiesti, a che mai non arriva
Nostra possanza nel mortal confine:
Mentre nel bel paese uom parli o scriva,
Fien conte le amarezze Tue divine,
Le lutte, le vittorie, onde al Signore
Grazia rendiam dal ben commosso core.

4.

Che s'Ei l'umil disìo da l'ardue stelle
Del popolo credente ascolti, e infiori
Di nuovi anni Tua vita e d'opre belle;
E affretti de l'amor gli attesi albori,
Sì che al Padre il figliol rieda pentito,
Il carme de le grazie andrà compito.

V. L.

INSCR. CCCXV. — pag. 199.

Aedem Virgini Matri ex visu dedic. *La chiesa dell'apparizione della Beata Vergine.*

INSCR. CCCXVI. — IBID.

Vicoduni. Vicodunum, quod et Monsregalis, urbs est in Subalpinis, olim clarorum virorum proventu insignis, vulgo: *Mondovì*.

INSCR. CCCXX. — pag. 203.

Μνήμης χάριν. Memoriae gratia.

INSCR. CCCXXXVII. — pag. 220.

Qui templum pro potest. praes. invis. *Che fa la visita pastorale.*

INSCR. CCCXL. — pag. 221.

VII. viri iuri dicundo. *Il R. Tribunale di Prefettura (ora Tribunale Provinciale).*

THOMAE VALLAVRII

AD

AMADEVM RONCHINIVM

PARMENSEM

EPISTOLA

DE ARA LAPIDEA

SAVILIANI IN SVBALPINIS REPERTA

THOMAS VALLAVRIVS

AMADEO RONCHINIO SVO S.

Quartus hic annus est, Ronchini mi suavissime, ex quo titulis latinis me donasti, quibus Fastos rerum gestarum a Maria Ludovica Augusta celebrares. Qui autem mecum ipse dolerem, quod tantum fastidium litterarum romanarum aetatis nostrae homines teneret, equidem titulis tuis perlectis, singularem cepi animo voluptatem. Tanto enim sententiarum delectu, tanto sermonis nitore commendantur, ut nihil omnino comtius possit excogitari; praesertim quum res antea indictae perspicua et commoda oratione efferantur. Deinceps vero complura ad me missitando, quae ingenium et doctrinam tuam apertissime testantur, luculentissimis voluntatis tuae significationibus me devinxisti. Quapropter iamdiu exoptabam, ut aliquod tandem extaret testimonium amoris in te mei. Nunc autem quum Carolus Novellius medicus, rerum patriae studiosissimus, vehementer cuperet ut aliquod vetustae cuidam inscriptioni lumen accederet, quae ad Savilianensem historiam pertinet, ab ipso mox evulgandam; huius rogatu libens operi manum admovi, ratus te perbreve hoc meum commentariolum aequi bonique facturum.

NVMINI . DIA
NAE . AVG*ustae*
VALERIA . EPI
THVSA . MAG*istra*

Hic titulus lapide est inscriptus qui assurgit in altitudinem unciis XVII; patet in latitudinem uncias VII; eius autem crassitudo unciarum est IV. Vtrumque latus opere anaglypto est distinctum. Et laevum quidem exhibet *praefericulum*, vas aeneum, quo veteres in sacris faciundis uti

consueverunt; quod autem in dextero latere esset insculptum temporis iniuria pene abolevit. Si tamen oculorum aciem exacuas, *discum* ibi deprehendes, cui victimarum exta imponerentur (1). Litteratus hic lapis anno huius saeculi quarto et vigesimo ruderibus fuit egestus templi S. Petri in urbe Saviliano, qua tempestate rimis fatiscens, novis substructionibus fuit muniendum. Nunc vero cavaedium exornat Regii Athenaei Taurinensis (2).

Iam primum constat, huiusce tituli initium saepe a Romanis fuisse usurpatum in monumentis, quae Diis passim consecrarentur. Ita apud Gruterum legimus Sacrum *numini* Apollinis (3), *numini* domus augustae (4), apud Muratorium vero *numini* Dianae sacrum (5). Illud tamen iuvat animadvertere, hanc inscriptionem ad sequiorem aetatem omnino pertinere, qua videlicet degeneres Romuli nepotes ridenda adsentatione Deorum nominibus Imperatores honestarent (6), et vicissim Graecos imitati, Principum cognomina aut apposita Diis et Deabus tribuerent (7). Cuius quidem rei exemplum occurrit in hoc titulo in quo Diana *Augustae* appellatione donatur; quemadmodum apud Maffeium (8) Papirius quidam Threptus Nymphas *Augustas* appellat. Ceterum sive marmoris formam spectes, sive anaglypha quae supra memoravi, aram agnosces, quam Dianae sacravit Valeria Epithusa, eius magistra seu antistita. Hoc autem graecanicum Valeriae cognomen, a verbo ἐπιθέω profectum, tamquam alteram temporis notam habendum puto. Illud enim est exploratum, sub Imperatoribus plurima cognomina, libertarum praesertim et servarum, invecta fuisse quae graeco fonte manarent, atque ad latinam consuetudinem traducerentur (9).

Ad famam quod spectat, quae plerosque Savilianenses obtinet, fanum Dianae ibi fuisse consecratum, unde hoc marmor erutum fuit, neque affirmare quidpiam nec refellere in animo est. Quum enim hoc alia non testentur monumenta, quumque tot casibus litterati lapides, barbaris praesertim temporibus, huc illucque fuerint iactati, ecquis hac de re aliquid certi audeat venditare? Rursus quum abunde constet, quam late olim Dianae cultus pateret, ne absurdam

quidem illius sententiam dixerim, qui profiteatur, in agro Savilianensi huic Deae aediculam aut templum fuisse excitatum, ibique Valeriam nostram sacris praefuisse. Hoc unum intelligi volo, Valeriam gentem, ex qua haec Dianae sacerdos fuit prognata, agrum Statiellorum ad Tanarum flumen incoluisse, quemadmodum plurimis argumentis confirmavit superiore saeculo vir inter nostrates doctissimus (10).

Haec habui, Ronchini mi, quae de hoc titulo ad te scriberem. Tu interea vale, et scias te mihi in oculis esse.

Scripsi Augustae Taurinorum XI cal. Iunias an. MDCCCXLIII.

ADNOTATIONES

(1) V. Graevii Thesaur. antiq. rom. vol. V, pag. 314, 318. Ibi Festus emendatur, qui *praefericulum* definit vas aeneum sine ansa.

(2) Hunc titulum iam ediderunt romanae ephemerides, quae inscribuntur: *Bollettino della corrispondenza Archeolog. di Roma*, *an.* 1830, *pag.* 211. Occurrit etiam apud Caporalium (*Diplomi di congedo militare*, *pag.* 193, *n.* 365), atque in additamentis, quibus Iosephus Furlanettus lexicon Forcellinianum locupletavit, sed nullo adiecto commentario.

(3) Pag. XXXVIII, n. 9.

(4) Pag. LXXV, n. 1.

(5) Pag. XXXIV, n. 5.

(6) Rem confirmat nomisma graecum, in cuius facie antica Nero conspicitur citharaedico habitu cum hoc epigrammate: ΝΕΡΩΝΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ. Huc faciunt quae habes apud Tacit. Annal. lib. XIV — apud Sveton. Ner. cap. XXIV, XXV.

(7) Spanhem. Diss. VII, pag. 434 — Morcell. De Stil. inscr. vol. I, p. I, cap. I, pag. 14.

(8) Mus. Veron., pag. LXXV, n. 3.

(9) Ita apud Gruterum (105. 10) Claudia Spendusa; (936. 7) Claudia Epitage; (989. 1) Iulia C. L. Sympherusa: apud Maffeium (Mus. Ver. 149. 4) Annia C. L. Pothusa; apud Fabrettium vero (pag. 61. n. 354) Trebellia Theagenis.

(10) V. opellam quae inscribitur: Germani et Marcellae ara sepulcralis a Iosepho Vernazza illustrata. Aug. Taurinorum MDCCXCVI, pag. 29.

THOMAE VALLAVRII

AD

CAELESTINVM CAVEDONIVM

EPISTOLA

DE INSCRIPTIONE APVD GALLOS REPERTA

THOMAS VALLAVRIVS

CAELESTINO CAVEDONIO

VIRO ILLVSTRI

S. P. D.

Exeunte mense februario ad me allatum est, in eo Galliae tractu, quem olim Ambarri incoluerunt, cuique recentiores nomen fecerunt *La Bresse,* lapidem fuisse nuper effossum cum inscriptione ad hunc modum:

DEO MAR
TI SEGOM
ONI DVN
ATI CASSI
A SATVR
NINA EXVO
V ϕ S ϕ L ϕ M ϕ

Ubi primum ad verba singillatim expendenda sum aggressus, illico existimavi, marmorarium, ob lapidis angustias, uti fit, binas litteras unius *G* spatio ad eum finem comprehendisse, ut legeretur SEGSOMONI. Sed quum

nullum mihi aut in vetustioribus monumentis, aut apud latinos cuiuslibet aevi scriptores, huiusce vocis exemplum occurreret, re diligentius inspecta, adductus sum ut crederem, speciem illam minusculae litterae *s*, habendam tamquam ductum litterae *G*, a scalptore putidius et licentius effictae; ideoque legendum SEGOMONI. Omnem vero dubitationem tandem exemit inscriptio quaedam Lugdunensis, quae exstat apud Gruterum (1), MARTI SEGOMONI pariter dicata.

In promptu etiam fuit nexum litterarum EXVO sic enodare, ut sollemnis inde formula existeret EX VOTO. Huius namque generis compendia saepe, premente necessitate, usurparunt veteres lapicidae; quemadmodum allatis exemplis testantur Maffeius (2) et Morcellus (3). Ne: facit, quod eandem plane sententiam exsculpas ex insequentibus litteris singulariis V . S . L . M. Has enim ταυτολογίας litterati passim lapides nobis exhibent apud Gruterum (4), Orellium aliosque. Itaque non repugnaverim legentibus:

DEO · MARTI
SEGOMONI · DVNATI
CASSIA · SATVRNINA · EX · VOTO
VOTVM · SOLVIT · LIBENS · MERITO

Hic si quis ἔτυμον forte requirat vocabuli SEGOMONI, et qua de causa Deus Mars ita fuerit nominatus, ingenue profitebor, in maxima illa appositorum copia, quibus veteres unumquemque deum honestarent, ne probabili quidem coniectura iam nobis licere illorum notationem persequi, quae ex ignota gentium lingua essent conflata, a quibus dii praecipua religione colebantur. Sic constat, Britovium (5) a Gallis, Ciradinum (6) ab Hispanis, Leucetium (7) a Germanis Martem fuisse vocitatum; quin huiusmodi appellationum ratio nobis innotescat. Hoc igitur unum, mea quidem sententia, haud temere quis statuat, appositum Segomoni ceteris cognominibus barbaricis esse adnumerandum, quibus Galli deum belli praesidem donare consueverunt.

Planior e contrario contingit interpretatio nominis DV NATI, deducti a graeca voce δοῦνος, dorice posita pro eo quod est βουνὸς (mons, clivus, collis); uti docte animadvertit Menagius (8), qui Plutarchum (9) carpit, falso scribentem ex Clitophontis auctoritate, τὸ *dunum* (locum eminentem) a gallica dialecto fuisse profectum. Quum igitur a graeco δοῦνος (mons) derivatum sit ethnicum nomen dunas, tis (montanus, ni) (10), iam illud conficitur, Gallos alpinos Martem *Montanum* coluisse; Cassiam vero Saturninam, ream voti, Deo Marti Segomoni, Dunati seu Montano lapidem posuisse.

Perbrevem hanc tituli explanationem ad te, Cavedoni, elegantem in primis harum rerum spectatorem, eundemque magistrum meum humanissimum, mittendam duxi, tibique vehementer cupio approbare. Antonius, frater meus, quem anno superiore Roma redeuntem singulari benignitate excepisti, te plurimum, verbis meis, salvere iubet. Ego autem ut me eadem, qua consuevisti, benevolentia in posterum prosequaris etiam atque etiam rogo. Vir doctissime, vale.

Scripsi Augustae Taurinorum a. d. IIII idus martias, an. M. DCCC. LVIIII.

ADNOTATIONES

(1) Pag. LVIII, 5: Lugduni in turre S. Petri Monialium fragm.

MARTI · SEGOMONI · SACRVM
ANNVA

(2) Mus. Veron. pag. CXLVIII.

(3) De Stil. Inscr. vol. II, lib. II, p. III, cap. 9.

(4) Pag. III, 8: I · O · M · ET · MARTI · AVG · · · · VLP · MARTINVS · · · · EX · VOTO · P · V · S · L · M · — Pag. VIII, 2: I · O · M · ET · FORTVNAE REDVCI · · · · CARANTILLVS · · · EX · VOTO · POSVIT · V · S · L · M ·

(5) Gruter. LVII, 10.

(6) Ib. 13.

(7) Ib. LVIII, 3.

(8) Aegid. Menag. Iur. Civ. Amoenit. cap. III. - Cf. Morcell. De Stil. Inscr. vol. II, lib. II, p. III, cap. 4; vol. IV, p I, cap. I, § 1.

(9) De Fluv. VI, 4: Μώμορος δὲ, οἰωνοσκοπίας ἔμπειρος ὑπάρχων, τὴν πόλιν Δούγρουνον προσηγόρευσεν· λοῦγον γὰρ τῇ σφῶν διαλέκτῳ τὸν κόρακα καλοῦσι· δοῦνον δὲ τόπον ἐξέχοντα· καθὼς ἱστορεῖ Κλειτοφῶν ἐν ιγʹ Κτίσεων.

(10) Aliter sentit Leo Renierus, vir cl., cuius haec sunt verba, ex humanissimis litteris deprompta, quas ad me dedit XIII cal. sextiles an. MDCCCLIX: *Le mot* DVNATI *est un ethnique, dérivé du nom d'un lieu voisin de celui où cette inscription a été trouvée, et qui porte encore aujourdhui le nom de DVN.*

OSVALDI BERRINII

APPENDIX

DE STILO

INSCRIPTIONVM LATINARVM

OSV. BERRINIVS

TH. VALLAVRIO MAGISTRO ET AMICO

S. P. D.

Petiisti a me ut libellum concinnarem de Stilo inscriptionum latinarum, qui libellus titulis tuis uno tandem volumine in lucem mox prodituris, tamquam appendix, adhiberetur.

Id ego quo animo acceperim ipse facile nosti, qui scis quam mihi gratum obvenire consueverit quidquid tuae erga me voluntatis indicium praebeat, quantaeque laudi mihi vertam praeclarissimo huic latinitatis splendori, vel ut umbram, adhaerere. Verum hoc me tamen torquebat, quo pacto exemplorum excellentiam praeceptorum bonitate satis essem exaequaturus; quo timore non ita facile essem liberatus, nisi opportune de Morcellio in mentem venisset, qui, quum hanc ipse materiem optime omnium tractasset, et res mihi et verba esset suppeditaturus morcelliano aemulo sane non indigna. Habes igitur hic ex ditissimo illo penu deprompta et in compendium redacta, quae de illustri hoc argumento ab elegantissimo ingenio diligentissime sunt disputata. Quod tamen ita

praestiti, ut ex tribus libris, in quos ille totam hanc tractationem partitus est, tertio omnino abstinerem, primum vix delibarem.

Etenim in hoc, quem ille ἐπιδεικτικόν appellat, magnam exemplorum segetem proponit ex veterum monumentis selectam, eaque in sua quaeque genera distributa et interpretatione explanata, quasi digito intento, gradatim commonstrat, ut inde et quae sit natura inscriptionum, et quae imitari quisque possit, facile percipiat. Porro haec ad summarium qua ratione compingi queant, vix equidem cerno. Tertius autem, quem idem κατασκευαστικόν vocat, ad laborem tironibus minuendum, in singulis inscriptionum membris versatur ac multa stili huius instrumenta, magnam rerum ac sententiarum silvam subiicit: fontes etiam nonnullos, unde optima sumi possint, indicat. Hic vero liber minus minusque ad compendium coarctari posse videtur, eumque, tamquam lexicon quoddam aut repertorium, integrum adeundum esse opinor.

Restat liber secundus, qui διδακτικός dicitur, ubi quid cuique inscriptionum generi conveniat, et quid ex antiquorum exemplis retinendum, quid repudiandum nobis sit, edocemur. In hoc mihi totum hunc, quantuluscumque est, laborem meum ponendum esse putavi.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ

I. *De veteri artificio inscriptionum.* — Est apud Gallos in more positum, quum opera publica, aut clarorum virorum tumulos inscriptione insignire opus sit, eam ut petant a collegio illo parisiensi hominum doctissimorum, quod ab inscriptionibus et litterarum studiis nomen habet (1). Porro quamquam apud Romanos de collegio eius cognitionis causa instituto vestigia nusquam occurrunt, tamen si animadvertas, quanti apud illos ius ponendae inscriptionis nomenque suum publicis operibus inscribendi honos duceretur, quantamque diligentiam ad inscriptiones ipsas conficiendas viri eruditissimi contulerint; iam non licet dubitare, quin ex eorum studiis atque exemplis ars quaedam exstiterit, quam ceteri deinceps in eadem re laborantes secuti sint. Ac Maffeius quidem ex veterum inscriptionum lectione adeo id animo imbiberat, ut de ea re propemodum sententiam ferre non dubitaverit (2): *Habuerunt*, inquit, *cuiusvis fere generis inscriptiones formulas suas*; *sollemnes modos et statuta verba, quibus ut plurimum conciperentur*. Quae quum ita sint, viderint ii, qui arbitrio suo latinas, ut ipsi vocant, inscriptiones factitare solent, quam bene, quamque latine scribere dicendi sint, iis omnibus neglectis, quae Latini veteres diligentissime servanda ac retinenda esse existimarunt.

(1) Acad. Inscr. t. 1, pag. 324, etc.
(2) Art. cr. L. l. 3, c. 2, p. 180.

II. *De difficultate inscriptionum.* — Nec enim, quamquam in paucorum verborum vel delectu vel coniunctione labor est, exiguam in latinis titulis pangendis difficultatem inesse putandum est. Id enim primum est illud, quod fieri sine summa difficultate non potest, veterum dictionibus ac formulis modice et scienter uti et ut ne dedeceat. Nos quidem iamdiu in magna rerum novitate et peregrina argumentorum insolentia versamur; latini tamen sermonis minime propagati sunt fines, imo angustiores facti. Neque enim omnia usurpare nunc licet, quae olim licuit, sublatis iam, quae vocabulis suberant, rebus, et plurimorum usu verborum cum vestigio imperii ac veteri illa superstitione deleto. Itaque quum haud raro novi generis rebus priscas illas Romanorum dictiones aptare debeamus, sic nobis temperandus quodammodo atque ad tempus et ad res moderandus est sermo, ut nec contra mores nostros, nec contra veterum exempla peccemus: atque ut latine quidem et cum dignitate loquamur, neque tamen Romanos veteres adloqui, sed et civibus nostris et posteris omnibus scribere videamur. Quod sine maxima diligentia acerrimoque iudicio fieri non posse neminem fugit.

Huc pertinet sacerdotiorum, magistratuum, munerum novorum appellatio, cuius causa inscriptionem saepe vel obscuram esse vel barbaram pene necesse sit: obscuram, si latinis plane vocabulis, communi hominum sensu adversante ac repugnante, utamur; barbaram, si peregrina et barbara nomina, quae omnium aures respuant, nec verecunde, nec dubitanter recipiamus.

Accedit eodem inscriptionum a genere ipso recta distinctio, quam qui nesciat, ab antiquorum norma saepe errare necesse sit. Vix enim fieri potest, ut is multa non misceat et formularum discrimen nullum faciat, perinde quasi omnibus omnes generibus convenirent: quod longe secus se habet.

Ipsa etiam collocatio nexusque verborum non caret lege. Alia veteres praeire, alia subsequi voluerunt: quaedam nullo iure dissociari possunt, quaedam contra intermediis vocabulis distinguenda sunt: quorum omnium, quamquam

exigua videri solent, ignoratio, pro latina inscriptione, oratiunculam tibi dabit nec iucundam, nec opportunam.

Verum his atque huiusmodi difficultatibus deterreri nos ab hoc curriculo non patiemur. Ad linguam enim quod spectat, in quo potissimum haereri solet, difficultates eas superari commode posse, multorum iam exempla testantur, nosterque in primis Vallaurius, qui Morcellium artis huius restitutorem secuti nihil adeo novum et insolens latinaque consuetudine alienum offendunt, quod non ab ipsis latinissima, eademque brevi, perspicua et decora dictione reddatur. Quare valere iam illos iubeamus, qui hac de causa a monumentis etiam exulare latinum sermonem vellent, quem mortuum effutiunt. Non mortuus est, o boni, sed immortalis factus, ut hominibus adesset ad rerum virorumque magnorum memoriam perpetuandam. Nec absurdo quidem consilio, ut qua lingua olim iura gentibus sunt data, ea potissimum populos omnes cunctaque secula adloqui liceat.

III. *De distributione inscriptionum.* — Quum hic nobis, non illustrandae vetustatis causa, sed stili normas tradendi, de inscriptionibus sermo sit institutus, alia etiam ab iis, qui consilium illud secuti sunt, inscriptionum distributio erit amplectenda, atque haec ita statuenda videtur, ut quae argumenti genere conveniant, eae, posthabita nominum et personarum differentia omnique prorsus historica ratione, sub eodem titulo cogantur, totidemque inscriptionum capita fiant, quot earum genera deprehendantur. Sex autem si ab usu earum et causa inscriptionum genera constituamus, nulla omnino iam erit, quae vaga aut sede exclusa videatur.

SEX GENERA INSCRIPTIONVM COMMVNIA.

Nam genus primum, quod *sacrarum* appellare licet, et dedicationes, et donaria, et vota, et monumenta omnia sacrorum comprehendet.

Alterum, quod est *honorariarum*, omnes continebit, quae honorem cuiquam habitum demonstrent, sive imperatores hi fuerint, sive consules, aut praesides, aut ordinum ductores, aut ministri sacrorum, sive denique viri, sive feminae, vel gratia illustres, vel liberalitate, vel rebus gestis.

In tertio, quod *epitaphiis* tribuetur, viros item cuiusque ordinis, dignitatis, religionis, tum feminas et pueros puellasque, ipsas etiam familias et sodalitates quascumque numerabis.

In quarto, quod *historicarum* inscriptionum nuncupabitur, fastis locus erit et omnibus fere inscriptionibus consularibus, omnibus operum aut locorum publicorum privatorumque titulis, legatis quoque, donationibus, venditionibus et quae sunt huiusmodi.

Ad quintum genus *ellogia* spectabunt sive magistratuum, sive hominum privatorum, sive etiam feminarum.

In sexto denique, quod *constitutiones publicas* complectetur, leges habebis, et edicta, et senatusconsulta, et decreta municipiorum: tum foedera quoque et hospitia, rescripta etiam et diplomata; mensurarum ac ponderum inscriptiones, collegiorum sive sodalitatum decreta et acta.

Profecto unumquodque ex his generibus plures necessario partes complectitur, quae tamen omnes ob formae similitudinem et quamdam rerum affinitatem ad idem genus merito revocari fatearis. Rursus in plerisque generibus discrimen habetur dictionis, quae *simplex* saepe, non raro *ornata*, aliquando etiam *singularis* est: id autem discrimen in hoc fere est positum, ut quaedam, venustae sane et concinnae, rem propositam exiguo verborum numero significent magis, quam explicent, cuiusmodi haec est:

SECVRITATI . AVG.
SACRVM
DECVRION . POPVLVSQVE
COLONIAE . PRAENESTIN .

alias contra lux aliqua ornatusque distinguat, et monumentorum adiecta causa, adscriptusque annus, vel historiae particula illustriores faciat; ad quod exemplum haec est:

CN . POMPEIVS . CN . F. MAGNVS . IMP.
BELLO . XXX . ANNORVM . CONFECTO
FVSIS . FVGATIS . OCCISIS . IN . DEDITIONEM . ACCEPTIS
HOMINVM . CENTIES . VICIES . SEMEL . CENTENIS . LXXXIII . M .
DEPRESSIS . AVT . CAPTIS . NAVIBVS . DCC . XLVI .
OPPIDIS . CASTELLIS . M . D . XXXVIII . IN . FIDEM . RECEPTIS
TERRIS . A . MOEOTI . LACV . AD . RVBRVM . MARE . SVBACTIS
VOTVM . MERITO . MINERVAE

nonnullae vero, sive breviores, sive longiores, modo tempore aut persona verbi, modo nexu vocabulorum aut casibus, aliquando et sermone ipso a reliquarum structura discrepent, exempli gratia:

ANNAEVS . PLACIDVS
HERCVLI . DONVM . DEDI

QVATVOR CONSECTARIA MIXTI GENERIS.

Quamquam vero sex illa, quae statuimus, genera titulos omnes complectuntur, tamen, quum nonnullae inscriptiones sint, quibus ita in illis locus est, ut a reliquis tamen non inutiliter separari possint, iuvabit eas, quasi consectaria, subsequi potius quam ceteris admisceri. Hae sunt quasi generum quorumdam ampliorum sive mixtorum appendices quatuor, quarum prima inscriptiones quascumque *temporarias* complectitur; altera omnis generis *nummarias*; tertia vero titulos omnes *rerum privarum*; quarta denique *poeticos*, illos scilicet omnes qui carminibus constant. Ut autem singulae appendices plura genera sequuntur, ita nulla in his erit inscriptio, quae ad unum aliquod e sex illis generibus non pertineat. Sed habent hoc proprium, ut, vel oratione, sicut poeticae maxime, vel usu, sicut ceterae omnes, a reliquarum generibus dissociari postulent.

Nam temporariae inscriptiones sequuntur quidem et epitaphiorum, et inscriptionum sacrarum atque historicarum genera; sed, praeterquam quod ab eorum stilo abludere saepe solent, semper ad breve tempus, secus atque aliae omnes, propositae, nullam posteritatis rationem habent. Nummariae quoque aut cum sacris, aut cum honorariis, aut cum historicis plane concordant; verum in aere, argento, auro incisae, sedem cum ipsis nummis neque publicam, neque stabilem nactae sunt. Idem est de titulis rerum privarum, qui etiam nec publica auctoritate inciduntur, nec in publico prostare consueverunt. Accedit praeterea, his omnibus, vel ob singularem usum, vel ob ipsas angustias locorum quibus eas arctari necesse est, regulas quasdam minime ceterarum communes convenire, quae in complexione reliquarum minus commode tradi possent.

IV. *De operis totius partitione.* — Triplex igitur nobis totius operis partitio erit, in quarum prima ea tradémus, quae unumquodque e sex illis generibus spectant, atque ita tradémus, ut nonnulla de ratione generis universa praefati ad singulas deinde partes veniamus, quas genus idem complectitur. In altera autem partitione idem praestabimus de quatuor illis inscriptionum mixti generis consectariis, quae modo statuimus. In tertia denique communes inscriptionum omnium regulas exponemus.

PARTITIO PRIMA.

De sex generibus inscriptionum

CAPVT I.

DE INSCRIPTIONIBVS SACRIS.

§ I. *De ratione generis universa.*

1. Id ipso initio admonendum videtur, veteribus exemplis sic esse utendum, ut ordinem quidem ipsum verborum normamque teneamus; quae vero perversam propudiosamque religionem sapiunt funditus repudiemus. Non igitur Bembum imitabimur, qui hoc nomine multorum sermonibus merito vapulavit: de quo Lipsius ad Janum Dousam (1) « *Quid*, inquit, *quod etiam in divinis rebus haec sibi permittit? Et Fides nostra non nisi* Persuasio *illi est? Excommunicatio* Aqua et igni interdictio? *Peccata mortuo remittere* Deos superos manesque *illi* placare? *Ipse Deus raro in stilo aut animo, sed, prisco ritu,* Dii immortales: *idque in seriis maxime sententiis aut rebus: atque adeo, quod omnem stultitiam superet, prudens ille senatus venetus ad Julium pontificem publice scribit*: Uti fidat Diis immortalibus, quorum vicem gerit in terris. »

Eadem causa nec tibi probabitur, qui summum pontificis maximi concilium appellaturus *Collegium augurum* dixit; aut sacrum demortui causa faciendum dicturus *Diis manibus litandum* pronunciavit; nec qui *Flaminem* appellat uni

(1) Cent. 2, Misc., ep. 57.

addictum templo sacerdotem, aut *Vestales*, quae se Deo virgines devoverunt; aut *aquas lustrales* quod Tertullianus aliique latini scriptores Baptisma appellarunt; nec cetera id genus ex contaminata superstitione ad christianos ritus sanctissimasque caerimonias, nulla maiorum auctoritate, detorta. Inter quae tamen illud praetermittendum non est, ne *Divos* quidem recte nominari, quibus coelestes honores decreti sint, quamquam ea vox in ore omnium esse solet atque in titulis maxime frequentari. Nam quos olim, quaeso, Latini *Divos* dixere, nisi eos qui Dii habebantur? Istam vero nunc de sanctis viris, qui obierunt, opinionem quis nostrum profiteatur? Eo igitur vocabulo qui utatur, aliud animo cogitare, aliud verbo reddere videtur, quod non solum ineruditum est, sed etiam absurdum.

2. Alterum est, de quo quaeri potest, rectene quidam fecisse dicendi sint, qui in religiosis monumentis templa, non Deo, sed sanctis tantum coelitibus sacra aut dedicata esse inscripserunt. De qua re vide quae habeat Augustinus, qui, *Nos*, inquit, ***Martyribus nostris non templa, sicut Diis, sed Memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus: nec illis erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo et Martyrum et nostro sacrificium immolamus*** (1). Templa igitur, quia etiam *Memoriae* sunt et tamquam regalia quaedam magnorum virorum monumenta, recte sanctis quoque coelitibus dedicabimus et in eorum fronte sacra aut dicata esse inscribemus: quamquam, si sacrificium spectes, quod ibidem Deo fit, Dei aedes esse Deoque sacras fatendum est; πᾶς δὲ ναός, Θεοῦ ναός (2). Quod de templis, idem de ipsis etiam templorum cellis valet, quas veteres Christiani *basilicas* aliquando appellavere, atque ante illos Latini *aedes* dixerunt. Ad altaria vero quod pertinet, uni Deo dicari ea certum est, quum ei sacrum ibidem soli fiat eiusque numine omnia compleantur. Quare sive coelitis alicuius ci-

(1) De C. D., l. 22, c. 10

(2) Basil., t. 3, epist. VIII, n. 11.

neres, sive imaginem tantum aut effigiem habeat altare, hoc ab illis in ipsa inscriptione distinguendum est, ita ut altare Deo quidem sacrum pronuncietur, sancti autem illius vel cineribus impositum, vel in memoriam extructum dicatur.

Ut templa dicari, sic vota etiam sanctis coelitibus solvi recte dicemus; votorum siquidem his nuncupandorum antiquum plane morem apud Christianos compertum habemus (1). At vota, inquies, Deo fiunt. Deo utique; sed votum qui facit, sic fidem saepe suam obligat Deo, ut, si compos voti fiat, non aliter liberare fidem possit, quam si donum martyri sistat, cui, teste Deo, promiserat. Itaque tum et Deo idem et martyri verissime votum solvere dicitur, quum utrique praestet quod receperat, promissum martyri, promissi fidem Deo.

4. Quod si quaeratur, eane inscriptionibus sacris conveniant, quae veteres aliena religione in dedicationibus suis usurparunt, epuli, opinor, mentio, et sportularum, et visceratonis, aliaque de genere hoc; repudianda non videntur, si res sententiae subsit latinaeque formulae christianis respondeant ritibus. Itaque Sidonius Apollinaris ad sacri baptisterii dedicationem invitatus scripsit ad Elaphium: *Epulum multiplex et capacissima lectisternia para.* Haec atque huiusmodi tamen in templorum inscriptionibus vix locum habent, quae breves simplicesque sint oportet; at monumentis sacrorum maxime conveniunt, quibus supplicationum ritus, aut dedicationum leges historice describantur. Eadem ratione indicem confecturus lapidis primi, unde aedificii cuiusvis constructio inchoatur, lapidem istum *auspicalem* cum Morcellio appellare haud dubitabis(1): quamquam enim auspicia religio nostra detestatur, hoc saepe vocabulo veteres ipsi ad rerum initia indicanda usi sunt, et se auspicari dixere, quidquid vel sine ullis auspiciis inchoarent.

5. Quod reliquum est, inscriptiones sacrae non modo carere debent his maculis, quae superstitionem veterem

(1) V. Morcel., l. 2, part. 1, c. 1, § 1.
(2) V. eund. ibid.

oleant, sed religionem etiam testentur oportet dedicantium votumve solventium: nam religionis indicia si absint, non sacram, sed historicam tantum inscriptionem confeceris. Indicia autem erunt religionis ipsa primum nomina Dei immortalis sanctorumque coelitum praeposita, nisi forte inscriptiones iis prostent in locis, ubi imagines ipsae notaque simulacra se prodant et quodammodo loquantur: deinde appellationes titulique, quibus eorum sanctitas, virtus, praesentia, beneficentia celebratur. Eminebit etiam religio in illis verbis *Consecravit, Dedicavit, Donum Dedit, Votum solvit, Libens Merito*, et huiusmodi: tum si acceptum beneficium, aut causa quaecumque dedicationis votique adscribatur: item si precatio aliqua et carmen, si vota suscepta, si dies festi, si stata sacrificia, si sollemnes ritus memorentur; quae maxime in monumentis sacrorum locum habent.

Haec fere sunt, quae generatim praemonenda erant: nunc singillatim, quae cuique parti conveniant, quaeque singularum ratio sit et quasi textus, exponendum.

§ II. *De titulis Dei immortalis coelitumque sanctorum.*

1. Titulus sacer una Dei appellatione aut solis coelitum nominibus et appositis constare fortasse potest, ut a Latinis interdum factum est. Exemplo sit titulus iste:

MINERVAE
CVSTODI

Verum simplicitas huiusmodi nimis ieiuna videtur, praesertim de sumptuoso opere si agatur.

Nomina eorum, quibus aliquid dedicamus, patrio etiam casu, veterum auctoritate, efferre licebit, dummodo a dativo casu exordiare: *Numini Mercurii, Sanctitati Jovis Et Augusti*, etc.

Interdum apud veteres nomina Deorum omissa invenies, appositis tantum adhibitis, ubi aut haec, aut nota dei facies eum satis declararet:

DEO . AMABILI
SACER
AELIA . EHORTE
FECIT

Eadem ratione nobis *Virgini Matri*, *Magnae Matri* inscribere licebit.

Ceterum animadvertas hic velim, pleraque appositorum, quae veteres usurparunt, in christianos titulos derivari commode posse ita ut dicas, exempli causa, *Virgini Reduci* (1), *Mariae Sospitae Salutiferae, Virgini Matri Munificae Exoratae, Petro et Paulo Magnis Apostolis Custodibus Propugnatoribus, Theresiae Legiferae Sanctissimae, Stephano Sancto Pollenti Victori* (2).

Ad apposita quod pertinet, omittendum non videtur, ea fere omnia ita inscriptionum initiis propria esse, ut, verborum sedibus rite variatis, iisdem ea nominibus non incommode in media aut extrema oratione adhaereant:

SACRVM . SILVANO
P . AELIVS . PHILETVS
ET . P . AELIVS . PHILETIANVS
CONSERVATORI . LARIVM . PENATIVM
D . D .

in quo titulo aliisque huius similibus illud maxime appositum sub finem collocari animadvertes, quo monumenti, aut donarii causa et praesens deorum auxilium significari videatur.

Inter apposita recensenda sunt eorumque legem sequuntur cognomina quaedam aut externa nomina ad loci discrimen, vel ad monumenti causam, aut eius auctorem de-

(1) *Quae reducit, Quae reditum dat.*

(2) *Victor* appellatus aliquando, qui opem vita periclitanti attulisset; ex. gr. *Hercules Victor.*

signandum: cuiusmodi sunt haec a locis desumpta, quae in deorum tutela esse putabantur: *Diana Tifatina*, *Juno Lanuvina*, *Venus Hortorum Sallustianorum*, *Hercules Conservator Domus Ulpiorum*, atque id genus alia. Quo exemplo nobis etiam a loco, vel urbe denominare sanctos coelites, et ab eorum cultoribus vario nomine distinguere saepe liceat.

Haec demum et cetera apposita consequitur plerumque dedicatio illa SACRVM, quae etiam aliquando praecedit; atque ab hoc fere verbo oratio reliqua non pendet:

SACRVM
POMPEIA . SEX . FIL .
ELEVTHERIS . ET
SEX . POMPEIVS . SEX . F .
QVIR . IVSTVS
SOROR . ET . FRATER
DONVM . DEDER .

ubi sententia esse videtur: *Hoc* (quodcumque sit) *sacrum est*, vel *sacrum esto*; deinde narratio incipit, qua saepe vota et dedicationum causae exponuntur, auctores monumentorum indicantur, tota, si libet, rei historia praetexitur.

2. Hactenus ea tantum, quae ad communia fere titulorum initia pertinent. Alia praeterea sunt, unde illustrium praesertim inscriptionum exordium recte ducas. Ac primum veteres, si principis nomen usurpare initio possent, vel quum ex eius auctoritate illud factum esset cui titulus apponeretur, vel quum ex ipsius nomine temporis notam peterent, haud temere omisere: eademque ratione sacerdotium aut magisterium eorum notabant, qui sacris praeerant. Ad quorum hodie exemplum non modo annus christianus, sed etiam principum atque antistitum nomina apposite inscribentur: quamquam sic initiis olim haec convenire visa, ut post nomina quoque deorum atque ad calcem inscriptionis probata esse videas.

Ceterum ipsa etiam vota aliaque dedicationum additamenta initio saepe indicata sunt: interdum et qui locum monumento attribuissent, ut in hoc exemplo Maffeiano (1).

LOCO . PVBLIC . DAT . D . D . (2)
PARCIS . AVG . SACR .
L . CASSIVS . VERVICI . F .
NIGRINVS . VI . VIR . AVG . V . S . L . M . (3)

Sed insignium inscriptionum, quas in magnorum operum frontibus veteres incidebant, ea maxime ratio valuit, ut ab auctorum nominibus eorumque rebus gestis inchoarentur. Pompeii hoc inscriptio demonstrat Minervae posita, quam supra attulimus (4). Neque vero id arrogantius elatiusve ab iis factum dixeris, quam ut imitari nos deceat: sic enim res gestae recensentur, ut eae diis acceptae referri videantur.

Ceteri autem, qui res gestas enumerare vel nollent, vel non possent, curationes fere magistratusque et quos gesserant, et quos gerebant proferre soliti, ne iis quidem neglectis, quae parvi fierent: ignorabant enim veteres praeclaram illam *ἀποσιώπησιν et cetera, et cetera*, quam recentiores plerique librorum titulis praesertim inscribere amant, quum vel iam nil superest, quod addant, vel minutulas res, quas tacent, gloriosa omissione lectoribus magnificare conantur.

At patria, quae nunc fere semper adscribitur, nomini subiungere veteres non solebant, nisi quum is, qui dedicabat, ex ea urbe non esset, in qua dedicatio celebraretur. Itaque hanc in militum titulis, quod procul a patria mererent, saepe legas, qui etiam centuriam suam fere adnotabant, et stipendia, quae fecissent, adscribebant.

In sacris inscriptionibus locus aliquando datus patronis, propinquis, amicis, ut qui aliquid dedicassent, id se, vel

(1) Mus. Ver. p. 87, n. 1.
(2) *Decreto Decurionum.*
(3) *Votum Solvit Libens Merito.*
(4) V. Προλεγόμενα, c. III.

eorum etiam nomine, vel in eorundem honorem aut memoriam diis tribuisse profiterentur. Huiusmodi exempla plura in hoc ipso volumine apud Vallaurium offendes.

Quum vero plures nominandi essent, primo loco, qui dignitate praestarent, veteres scribere solebant, ac laudem etiam addere aliquam iis, quos honoris causa nominarent, minime absurdum existimarunt.

Ceterum ne illud quidem apud ipsos novum, ut non modo affinium omnium, sed etiam auctorum ipsorum nomina omitterent; sic tamen, ut eos generatim, senatus, puta, aut populi, aut collegii sodalitatisve, aut collectiva alia appellatione comprehenderent.

Quod si omni prorsus appellatione abstinendum sit, formulae non deerunt (v. Morcelliani operis lib. III), ut id commode fiat; illud autem expeditissimum, ut verbo, quo res indicatur, passiva voce utaris: *Aedes A Solo Inchoata, Absoluta Et Rite Expiata,* atque ad hunc modum alia.

3. Sequitur ut ipsa dedicationis causa atque ratio declaretur (1), cuius expositio, quum simplex est ac dilucida, inscriptionis auget dignitatem. Ea autem quando attingenda videatur, nolim id ante facias, quam nomen protuleris vel eius, qui causam dederit, vel eius, qui causam habuerit; id est vel Dei immortalis coelitumve a quibus beneficium collatum sit; vel dedicantium qui beneficium acceperint, id enim ad perspicuitatem oppido confert; vel etiam utrorumque, quemadmodum in hoc titulo factum:

BONAE . DEAE . SANCTISSIMAE
COELESTI . L. PAQVEDIVS . FESTVS
REDEMPTOR . OPERVM . CAESAR .
ET PVBLICORVM . AEDEM . DIRVTAM
REFECIT . QVOD . ADIVTORIO . EIVS
RIVOM . AQVAE . CLAVDIAE . AVGVS .
SVB . MONTE . AEFLIANO . CONSVMMAVIT
IMP . DOMIT . CAES . AVG . XIII . COS .
V . NON . IVL .

(1) Quibus formulis dedicationis causa efferri possit, v. ap. Morc. l. 3.

Nonnullas interdum attributiones antiqui nobis tituli exhibent, quas item novi haud respuant. Adiectum, exempli causa, est, unde diis donum missum esset, quod nempe religionem eius, qui misisset, maxime testaretur.

Nec praetermissum, si quis ab ipso numine, ut sibi videbatur, admonitus, aram illi signumve dedicasset.

Illud praesertim vix unquam in titulis omissum, si quid diis ex voto datum dedicatumque esset, quod ea formula V. S. (*Voto suscepto*) potissimum indicabatur.

Addidere etiam, ubi votum susceptum et ubi persolutum esset: . . . . . *Quod in urbe Donum Vov. Aquileiam Perlatum Libens Posuit; Votum In Siculo Freto Susceptum Solvit.*

Indicabant etiam si quis vota solveret ab aliis suscepta: . . . . *Q. Munatius Trichorus Ex Voto Munatiorum*; et si quis per alium fidem suam liberaret: . . . . *Fl. Verus Metrobalanus* . . . . *Per Asclepiadem.* . . . *V. S. L. M.*

Raro etiam omissum est, unde sumptus operi faciundo suppeditati, nec, si quis aliena pecunia aut opera usus esset, id laudis praeripiendae causa siluerunt.

Quod si non de opere ab inchoato extructo, sed de restituto agatur, eius nomen, qui primus fecisset, perraro antiquis in titulis legitur; sed legitur tamen, praesertim quum is conditor fuisset, cuius nomen et operi et restitutori famam facere ipsamque operis originem et vetustatem cuique prodere videretur.

Quae res diis datae, dicatae essent, eas fere in titulo, qui rebus ipsis inhaerebat, vix indicatas reperio: eminebant enim prodebantque se intuentibus. At si quod ex illis latere nec plane, a quolibet agnosci poterat, tum vero diserte explicabant. Sic I. Caesar thoracem, quem Veneri Genitrici in templo eius dicavit, *britannicis margaritis factum voluit intelligi* (1), quod nimirum genus illud margaritarum dispici oculis non poterat.

Designabant autem res singulas propriis vocabulis, nisi quod statuas deorum ipsa numinum appellatione interdum

(1) Plin. H. N. l. 9, cap. 35, n. 57.

indicare maluerunt: *P. Cornelius Faustus Silvanum Cum Base D. D.*

Si rerum dedicatarum nomina praetermissa sint, dedicationis etiam verbum plerumque desideratur, praesertim quum deorum nomina extremo versu leguntur. Sed bina etiam tibi ac plura eodem in titulo occurrunt verba, ubi res diversae requirere videantur: quo loco animadvertendum est, male aliquando consociari verba, quae diversis vel rebus respondent vel casibus; haeremus enim, quum legimus, nec sententiam statim arripimus. Quare minus mihi probatur inscriptio haec, Romae quae prostat:

SANCTO . ELIGIO . TEMPLVM
PICTVRIS . SIGNIS . VALVIS . MARMORE
ATQVE . OMNI . ORNAMENTO
CORPVS . AVRIFICVM . FECIT . ET . EXORNAVIT

4. Denique et illae nobis formulae considerandae sunt, quas saepe inscriptionibus subiectas, aut ad latera incisas videmus (1). Huiusmodi sunt precationes opem a diis implorantium:

	IN . H . D . D . (2)	
SALVOS	T . ALBANIVS	SALVOS
IRE	PRINCIPIA	VENIRE
	NVS . EVOK .	
	AVG . N .	

Subnotatum aliquando, quo die sacrum numini faciendum esset: . . . . *Dies Sacrificii* XIII *K. Mai.*

Saepe autem dies dedicationis adscriptus, item epuli eodem die dati mentio interdum facta est: *Silvano Sacrum* . . . . *Posuit Ti. Claudius* . . . *Idemque Dedicavit Et Epulum Dedit* . . . *K. Augustis*. . . .

Fuere etiam qui et inchoati et absoluti operis tempora designarent, quam consuetudinem tum maxime imitemur, quum inscriptio magno in opere et plane regio eminere

(1) Earum exempla v. ap. Morc. l. 3.
(2) *In Honorem Domus Divinae.*

debeat, quod, urgente propositum pietate, annorum paucorum spatio perfectum sit: inde enim et operi et auctori maior commendatio ex ipsa celeritate accedet.

Datum quoque aliquid municipalibus magistratibus, et, praeter romanos consules, duumviri etiam aliquando subiecti sunt, quem quidem morem si revoces, periucundum, opinor, iis accidet, qui nunc quoque in municipiis magisterio aut praefectura funguntur, raro tamen nomina sua in monumentis inscripta legunt.

Imo, praeter magistratus, separatim adscripti interdum, qui monumentum fieri et collocari curaverant, et qui opus a redemptoribus absolutum probarant, aut locum operi extruendo concesserant: nec omissa nomina clarorum virorum, quibus forte, honoris causa, aedis sacrae dedicatio data esset.

Quidam etiam, quum signum deo alicui in delubro eius ita dicarent, ut id ad sodales dei eiusdem pertinere vellent, a quibus potissimum coleretur, adscripsere infra cui donum darent.

§ III. *De monumentis sacrorum.*

Partis huius tres articulos fecimus, quorum unus est de legibus dedicationum, alter de indicibus ludorum votorumque publicorum, tertius vero de Kalendariis.

1. Porro ad dedicationum leges quod pertinet, vix aliud praecipiendum est, quam ut rem propositam latine dilucideque exponas; simplici autem utaris dictione, quae imitatrix sit eius, qua plebiscita olim et leges populi romani scribebantur.

Harum enim usus hic erit, ut templorum parietibus affixae non modo de locorum religione commoneant et sacrum a profano secernant, sed stata etiam sacra sollemnesque ritus recenseant, et alia fieri vetent, alia singulis diebus, aut mensibus, aut annis praestari iubeant. Initium autem unde libet sumito: notam itidem temporis vel primo, vel extremo versu perscribito, vel omitte etiam, quo-

tiescumque in ipso initio ad numen sermo convertitur; praesertim si tempus ab ipsa dicantis persona satis significetur. Exemplo sit hoc, quod apud Livium legitur (1):

IVPITER . FERETRI
HAEC . TIBI
VICTOR . ROMVLVS . REX
REGIA . ARMA . GERO
TEMPLVMQVE . IIS . REGIONIBVS
QVAS . MODO . ANIMO . METATVS . SVM
DEDICO
SEDEM . OPIMIS . SPOLIIS
QVAE . REGIBVS
DVCIBVSQVE . HOSTIVM . CAESIS
ME . AVCTOREM . SEQENTES
POSTERI . FERENT

Adde particulam hanc ex Actis Fratrum Arvalium (2):

QVOD . BONVM . FAVSTVM . FELIX . FORTVNATVM . SALVTAREQVE . SIT . IMP . CAESARI . DOMITIANO . AVG . GERMANICO . PONTIF . MAXIMO . ET . DOMITIAE . AVGVSTAE . CONIVGI . EIVS . TOTIQVE DOMVI . EORVM . POPVLO . ROMANO . QVIRITIBVS . FRATRIBVSQ . ARVALIBVS . MIHIQVE . SACRIFICIVM . DEAE . DIAE . HOC . ANNO ERIT . A . D . XVI . K . IVN . DOMO . A . D . XIIII . K . IVN . IN . LVCO . ET . DOMO . A . D . XIII . K . IVN . DOMO

Adde etiam inscriptionem hanc, quae in sacrario deae Opeconsivae fuisse dicitur (3):

HOC . PRAETER . VIRGINES . VESTALES
ET . SACERDOTEM . PVBLICVM
INTROIRE . NEFAS . EST
IS . CVM . INTROIERIT . SVFFIBVLVM . HABETO

et quae ad Silvani in introitu fuisse videtur (4):

EXTRA . HOC . LIMEN . ALIQVID . DE . SACRO
SILVANI . EFFERRE . FAS . NON . EST

(1) L. 1, c. v, n. 10.
(2) Fabret. p. 675, n. 1, v. — Gell. N. A. l. 10, c. 24.
(3) Fabr. de Col. Trai. p. 108.
(4) Inscr. Capit., t. 1, n. 35.

Hanc porro veterum rationem imitatus Morcellius inscriptionem confecit huiusmodi, quae in porticu aedis S. Nicolai Magni figeretur:

EX . AVCTORITATE
PII . VI . PONT . MAX .
A . D . P . R . IDVS . APRILES
ANNO . M . DCC . LXXVIII .

SODALIBVS . BONAE . MORTI . APPETENDAE . QVORVM SEDES . AD . S . IGNATII . AEDEM . PERDIV . FVIT TEMPLVM . S . NICOLAI . MAGNI . DATVM . ADSIGNATVM EST . IN . QVOD . STATIS . DIEBVS . IPSI . LIBERI POSTERIQVE . EORVM . AD . SACRA . AD . CONCIONEM AD . SOLLEMNES . PRECATIONES . VETERI . IVRE . CONVENIANT.

ITEM . CETERIS . CIVIBVS . INCOLISQVE . QVICVMQVE TEMPLVM . RELIGIONIS . PIETATISQVE . CAVSA . CVM SODALIBVS . ISDEM . ADIERINT . CELEBRARINT . TRIBVTVM VTI . EODEM . IVRE . DE . ADMISSIS . SVIS . PACEM A . DEO . VENIAMQVE . AD . PONTIFICALIS . INDVLGENTIAE MODVM . SINGVLI . IMPETRENT . VTIQVE . DEFVNCTORVM ERRATA . ETIAM . ET . POENAS . EXPIARE . IDEM SVPPLICANDO . POSSINT.

Exempla, formulas, praecepta plura si voles, apud Morcellium invenies.

2. Iam ad alterum quod spectat articulum, qui veteribus indices erant ludorum votorumque publicorum, nobis erunt supplicationum votorumque sollemnium. Neque enim ludos nunc veterum more facimus, qui religionis causa atque ad deos placandos edere solebant. At supplicationes, vel ad opem implorandam, vel ad gratias agendas saepe constituuntur, quarum monumentum exstare aliquod maxime convenit; nec minus votorum publicorum, ut, periculis divinitus amotis, et accepti beneficii et liberatae fidei memoria posteritati prodatur.

Indices autem huiusmodi, aut anaglyphis tabulisve pictis subiiciuntur, aut soli prostare solent. Veteres imitari qui

cupiat, indices picturis ac signis breves admodum simplicesque subscribat, effigies enim ipsae multa loquuntur. Itaque si sculptor, exempli causa, populum fecisset vota nuncupantem Virgini matri Dei pro Clemente XIV. P. M. morbo laborante, non aliud plane indicis loco adscribendum videretur, quam haec, aut similia:

PRO . SALVTE . CLEMENTIS . XIV . P . M .
OPTIMI . PRINCIPIS .

At si monumenta unis constare litteris debeant, nec rerum series nisi oratione in marmore exponenda sit, tum vero ex veterum penu multa promere et totos, si velis, columnarum scaphos implere licet, praesertim si res magnae agantur. Exemplum autem petendum maxime ex Ara Narbonensi, in cuius fronte haec scripta legimus (1):

T . STATILIO . TAVRO
L . CASSIO . LONGINO
COS . X . K . OCTOBR .
NVMINI . AVGVSTI . VOTVM
SVSCEPTVM . A . PLEBE . NARBONENSIVM
IN . PERPETVOM

QVOD . BONVM . FAVSTVM . FELIXQVE . SIT . IMP .
CAESARI . DIVI . F . AVGVSTO . P . P . (2) PONTIF .
MAXIMO . TRIB . POTEST . XXXIIII . CONIVGI . LIBER .
GENTIQVE . EIVS . SENATVI . POPVLOQVE . ROMANO
ET . COLONIS . INCOLISQVE . C . I . P . N . M . (3)
QVI . SE . NVMINI . EIVS . IN . PERPETVVM . COLENDO
OBLIGAVÈRVNT . PLEBS . NARBONENS . ARAM . NARBONE
IN . FORO . POSVIT . AD . QVAM . QVOTANNIS . VIIII
K . OCTOBR . QVA . DIE . EVM . SAECVLI . FELICITAS
ORBI . TERRAR . RECTOREM . EDIDIT . TRES . EQVITES
ROMANI . A . PLEBE . ET . TRES . LIBERTINI . HOSTIAS
SINGVLAS . IMMOLENT . ET . COLONIS . ET . INCOLIS

(1) Grut. p. 229.
(2) *Patri Patriae.*
(3) *Coloniae Juliae Paternae Narbonis Martii.*

AD . SVPPLICANDVM . NVMINI . EIVS . THVS . ET
VINVM . DE . SVO . EA . DIE . PRAESTENT . ET VIII .
K . OCTOBR . THVS . VINVM . COLONIS . ET . INCOLIS
ITEM . PRAESTENT . K . QVOQVE . IANVVAR . THVS .
ET . VINVM . COLONIS . ET . INCOLIS . PRAESTENT
VII . QVOQ . IDVS . IANVAR . QVA . DIE . PRIMVM
IMPERIVM . ORBIS . TERRARVM . AVSPICATVS . EST .
THVRE . VINO . SVPPLICENT . ET HOSTIAS SINGVL .
IMMOLENT . ET . COLONIS . INCOLISQ . THVS . VINVM
EA . DIE . PRAESTENT
ET . PRIDIE . K . IVNIAS . QVOD . EA . DIE . T .
STATILIO . TAVRO . M . AEMILIO . LEPIDO . COS .
IVDICIA . PLEBIS . DECVRIONIB . CONIVNXIT . HOSTIAS
SINGVL . IMMOLENT . ET . THVS . ET . VINVM . AD
SVPPLICANDVM . NVMINI . EIVS . COLON . ET . INCOLIS
PRAESTENT
EXQVE . IIS . TRIBVS . EQVITIBVS . ROM . LIBERTINIS . VNVS...

verba hic aliquot deleta videntur, quibus significaretur, quid praeterea eo die ab uno e libertinis equitibus praestandum esset, exempli causa MVLSVM . ET CRVSTVLA . PLEBI . DET . aut similia.

Ad arae autem latus adiecta est dedicationis formula sollemnis, quam operae pretium feceris, si apud Morcellium quaeras (1).

Quia vero contingit interdum, ut templa simul aut altaria excitentur et religionis causa multi fiant sumptus, haec etiam litteris consignanda sunt describendaeque aedificii partes, et quae in unumquodque opus erogata pecunia, quamque stipem sacerdotum collegia, aut sodalitates, aut populus contulerint: quo etiam anno inchoata, quo absoluta opera sint.

3. Nunc ut ad kalendaria tandem veniamus, nullum ornatum, nullum verborum ambitum eorum forma et distributio requirunt: res quaeque ipsis tantummodo, quae necessaria sint, vocabulis expediuntur: omnia vero distincta notis litterisve atque eodem semper ordine et ratione digesta.

(1) L. II, part I, c. I, § III, n. II.

Quomodo autem per kalendas, nonas et idus dies indicandi sint, quisque te grammaticus facile docebit: quomodo etiam dierum notis perpetuas litteras septem usque recurrentes praeponas ad dierum hebdomades significandas, nihil haerebis. Rursus quae a veteribus kalendariis imitari minime liceat, ut comitiales atque endotercisos dies nobis inauditos, quaeque contra recipere fas sit, ut dies astos nefastosque, ubi ius praetores dicunt, ipse facile vides.

Vides etiam si kalendarium in lyceo prostare debeat, qua nota indicari dies queant, quibus in ludum sit conveniendum: haec autem nota huiusmodi esse potest, L. P. id est *Ludi Patent*; vel L. P. A. MERIDIE ubi mane ferias esse indicandum fuerit, aut, si contra sit, L. P. FERIAE A MERIDIE.

Nullius item negotii addere diebus suis, praeter ferias, annua etiam coelitum sanctorum festa, expressis dativo casu nominibus singulorum, quibus hic aut ille dies sacer est. Quae tamen de stativis festis dicta sint: nam quae conceptiva sunt, aut coelestes conversiones sequuntur, ea locum non habent, nisi in his kalendariis, quae nova quotannis proponantur. Quidni vero et ieiunia instituenda, ac si quae fuerint statae supplicationes pompaeque sollemnes, recte adiungantur? Quod si et cardinem temporum atque ortum occasumque siderum interponenda putaveris, omnia haec a mathematicis facile petes.

CAPVT II.

DE INSCRIPTIONIBVS HONORARIIS.

§ I. *De ratione generis universa.*

1. Quamquam in hoc genere inscriptionum plana omnia et certa esse videntur, raro tamen honoraria occurret inscriptio, quae mendo careat antiquisque exemplis respondeat. Vidi olim, narrat Morcellius, et risi initium honorariae inscriptionis factum ab illis litteris D. O. M; in alia subscriptam formulam *Libentes Merito*; item in alia

S. P. R. Vota Nuncupat: quae singula inscriptionum sacrarum formulae sunt. Nulla vero in honorariis inscriptionibus frequentior hac aetate clausula, quam tria illa D. D. D., sive *Dant, Donant, Dedicant,* quae unde petita sint, nescio. Nam tria quidem D. D. D. saepe vidi in antiquis monumentis; sed ea sic legebam *Datum Decreto Decurionum;* nec, si duo tantum incisa essent, aliud significari audieram, quam in sacris *Donum Dedit,* in ceteris *Decreto Decurionum.*

Rursus inscriptionis initium quidam ducunt ab apposito aliquo atque laude *Maximo*, *Invicto*, *Nobilissimo*, vel id genus aliis, qui tamen qua se veterum auctoritate tueantur vix reperies; antiqua enim exempla non facile offendes, ubi, ante nomina et quae cum his congruunt cohaerentque, praepropera laude communes tituli et apposita illa γενικὰ usurpentur.

Antiquae contra eae formulae *Divi Filio, Divi Filiae*, at nobis quidem profanae, ita ut probari omnino non possint, qui rege aut imperatore natos eo titulo honestari posse putaverunt, aut principes ipsos pontificesque maximos *Divos* appellarunt.

Quid iam dicendum de numerosa illa conclusione, quam nonnulli in deliciis habent *Devoti Nomini Maiestatique Eius?* Quamquam ea formula circa Severi tempora aut sub extremum Commodi principatum inducta est, concedenda tamen, sed ita ut *Nomini* illud expungatur, pro quo *Numini* veteres habebant. Vix enim grammatici laturi sunt ut voti sponsio cuiusquam nomini fiat. Nobis autem quum *Numen* illud hominibus appositum profanum sit, aliis plane vocabulis utendum, dicendumque, prout persona feret, *Devoti Maiestati*, vel *Pietati*, vel *Sanctitati*, et quae sunt huiusmodi.

Sacerdotia quidam et honores post nomen designant, deinde cognomen addunt, hoc pacto: *Petro Cardinali Bembo, Aloysio Ferdinando Comiti Marsilio;* sed insulse. Nec minus inepte faciunt, qui sacerdotiorum et dignitatum vocabula, quae composita sunt, dividunt, ut appositum interiiciant, hoc modo: *Pontificem Optimum Maximum*; *Magno Et invicto Etruriae Duci.* Hac nimirum ratione iis, quos decorare volunt, titulos suos eripiunt; quippe *Maximus* et

Magnus, quae tituli ipsius pars sunt, ob illam τμῆσιν nihil iam fiunt quam apposita mera, dignitatisque nomina *Pontifex* et *Dux* sola remanent.

Inepte etiam facere opinor, qui sub ipsum inscriptionis initium magistratus efferre nullos solent sine illustri apposito, quum nemo tamen apud veteres, aut *Consul Amplissimus*, aut *Censor Aequissimus*, aut *Aedilis Diligentissimus* dictus sit; quod illi servabant, non tam ne, quod uni darent, ceteris quodammodo detrahere viderentur, quam quod eo loco non virtutes cuiusque, sed honores tantum recenserent. Quod vero imperatores caesaresque *Optimos*, *Pios*, *Germanicos*, *Dacicos*, *Parthicos*, *Britannicos*, *Nobilissimos*, *Beatissimos*, *Praestantissimos* appellatos legas, haec omnia principum caesarumque agnomina erant titulique honoris causa in perpetuum attributi.

2. Verum quae hactenus improbata sunt facile quisque vitaverit; at plusculum est negotii in vocabulis eligendis, quum magistratus aut munera Latinis fere ignota latine tamen efferenda sunt. Quid nimirum consilii capiendum putemus, quotiescumque aptam Latini formulam non suppeditabunt? Bembumne imitabimur, qui, quos *Duces* nunc appellamus, *Regem Urbini*, *Regem Mantuae*, *Regem Camertium* dicit? Aut *Toparchas* a Graecia arcessemus, qui pro Marchionibus sint? Minime sane; nihil enim profecerimus, nisi quod propositum sit, non modo proprie vereque, sed clare etiam et perspicue dixerimus. Quare Romanos potius sequemur, qui, quum gentium barbararum magistratus nominare oporteret, nomina eorum latino more terminata nil quidquam horruerunt, atque *Suffetem* a Poenis, *Vergobretum* ab Aeduis, *Satrapen* a Persis, a Graecis vero *Archontem* et *Prytanin* adhibere non dubitarunt. Scilicet nimis delicati esset fastidii nimisque difficilis et morosi animi latinitatis nos quam Latinos magis studiosos praebere. Heineccius ipse, qui fere latinam linguam contra peregrinitatem tam acriter tuetur, non dubitat tamen, *ubi magna nos urgeat necessitas*, vel iis vocibus locum dare, quas grammatici *hybridas* nominant, cuiusmodi quaedam antiquitus receptae sunt, ut *Biclinium* et *Epitogium*; eosque

probat, qui Austriae principes malint *Archiduces* appellare, quam *Magnos* aut *Supremos Duces,* quod neutro scilicet titulo satis vel designentur, vel distinguantur.

Quaerendum et illud, rectene his temporibus inscriptiones, quae claris viris publice ponuntur, eas litteras ubique praeferant S. P. Q. Negant nonnulli, quibus haec verba romanam illam magnitudinem maiestatemque nimio magis referre videntur, quam ut parvitati nostrae concedenda sint. Verum ubi populare imperium sit, ubi seniores de rebus publicis deliberent, cur tandem ibi ea formula interdictum erit? Ceterum quotiescumque ea abstinendum esse videatur in rebus publice factis referendis, haec altera in promptu erit, ut *Ordo* et *Plebs* res illas fecisse dicantur.

§ II. *De inscriptionibus honorariis clarorum virorum.*

1. Inscriptiones, quas veteres imperatorum, caesarum, ceterorumque illustrium virorum statuis subdiderunt, initium habent, modo ab eius nomine cui statua posita est, praemissis fere, quum de Augustis ageretur, praenominibus *Imp. Caesari*; modo ab eorum, qui posuerunt. Placuit etiam interdum, ut honoratorum nomina patrio casu efferrentur, hoc illis praeposito vocabulo *Honori*, vel aliis etiam virtutem aliquam significantibus, cuiusmodi sunt *Providentiae, Pietati, Clementiae.* Verum prima ratio omnino frequentior occurrit.

Iamvero post eorum nomina, quibus summa imperii tradita esset, varia adscripta agnomina, vel quae a virtutibus peterentur, puta *Iustus, Bonus, Magnus,* vel illud praesertim, *Augustus,* quod post Caesarem Octavianum ita invaluit, ut non imperatoribus modo, sed uxoribus etiam, sororibus filiisque eorum sit persaepe attributum. Quare apud nos quoque cognomen istud ad eos etiam, qui regio nomine non utantur, patere commode poterit.

At ceterae inscriptiones claris viris, sed privatis, positae, post eorum nomina curationes protinus, sacerdotia,

magistratus referebant, in quibus recensendis vel dignitatis, vel temporis rationem indiscriminatim sequebantur. Ceterum tituli non desunt, in quibus, hisce omnibus omissis, laudati tantum virtutes et res gestae referuntur.

2. Quum Romani illi veteres virorum nobilitatem magistratuum enunciatione potissimum indicarent, quippe apud eos ii *Nobiles* habiti, qui ius imaginum haberent quod utique honorum administratione adipiscebantur; quaeri potest, qua tandem ratione nobilitatem nobis indicare liceat, quam nulli magistratuum tituli prodant. Porro quamquam hae formulae, quibus quidam utuntur, *Viro Nobili*, *Viro Patricio* vix probandae videntur, quum haec vocabula in antiquis marmoribus alio sensu usurpata sint (1), non deerunt tamen aliae, quibus commode uti licet, si vel, prolatis illustrium maiorum nominibus, nobilitatem viri demonstres; vel iis, quorum maiores Equites Melitenses fuerint aut Mauritiani, aut alio eiusmodi in ordine decuriave censi, formulam hanc *Equestri Nobilitate* adscribas; vel aliis demum formulis utaris, quas tibi multas Morcellius lib. II et III suppeditabit.

3. His iam post clarorum virorum nomina censis, quae non modo ad honores et munera, sed etiam ad ordinem ac genus cuiusque pertinent, laus subinde addi potest, quae viri praecipua sit: quamquam veteres apposita huiusmodi saepe ad extremum versum reservarunt, credo, ut et numero orationis et dignitati servirent:

IMP . CAES . DIVI
TRAIANI . PARTHICI . F .
DIVI . NERVAE . NEP .
TRAIANO . HADRIANO
AVG . PONT . MAX.
TRIB . POST . III . COS. III .
IMP . II . P . P .
RHODANICI (2)
INDVLGENTISSIMO . PRINCIPI

(1) V. Morc. l. II, part. I c. II.
(2) *Nautae Rhodani.*

Quin et eos aliquando, quos patronos habebant, extremo item versu eo nomine appellabant hoc modo *Patrono*, vel *Patrono Merenti*. Sic aliis adscriptum *Optime De Republica Merito*, vel *Optimo Civi* et similia.

Quod si pueris statua posita esset, quum de his nihil proferre possent illustre atque magnificum, post patris avique appellationem aetatis annos adscripsere. Sub adolescentium autem simulacris, si maturius, quam alii solerent, honores adepti essent, non id praetermittendum videbatur.

Notandum praeterea, non raro apud veteres duorum simulacra aut etiam plura uno in monumento prostitisse, ubi, si una honoris habendi causa erat, titulis cuique suis adscriptis, communi aliquando appellatione laudem eorum, quos honorarent, in fine subtexebant:

C . CAESARI . AVG . F . COS . L . CAESARI . AVG . F .
COS . DESIGNATO
PRINCIPIBVS . IVVENTVTIS

At verbum, quo honorem a civitate aut collegio delatum enunciarent, ipsiusque nomen monumenti, sive statua esset sive aliud, nisi singularis interdum causa requireret, plerumque desideratur; quod et brevitati simul et dignitati servire putabant. Hoc nomine peccat titulus iste beneventanus:

CLAVDIO . IVLIO
PACATO . V . C . CONS .
CAMP . OB . AEQVITA
TEM . IVDICIS . ET
PATROCINIA . IAM
PRIVATI . ORDO
B E N E V E N T A N V S
PATRONO . POST
FASCES . DEPOSITOS
CENSVIT . CONLOCANDAM

quo enim pertinet illud *Censuit Conlocandam*, quum iam statua eius in basi, decreto ordinis, staret? Quod si haec atque itidem illa *Post Fasces Depositos* inutilia prorsus ob

praecedentem *Privati* mentionem, omnia demantur, nemo non videt, quam repente pulcherrimum existat exemplum, in quo nihil redundet, nihil necessarium desideretur.

Causa contra monumenti saepe expressa est vel generatim, ut quum adscribebant *Ob Merita*, aut *Optime De Republica Merito* et similia; vel singillatim, ut quum bene factorum narrationem addebant, quae narratio haud raro extremum occupat locum:

C . VESIDIENO . CN . F .
BASSO . AED .
IIII . VIR . IVR . DIC .
IIII . VIR . QVINQ .
PVBLICE
D . D .
QVOD . AQVAM . NOVAM
CONQVIRENDAM . ET
IN . MVNICIP . PERDVCEND .
ET . NYMPHAEVM . FACIEND .
PEC . PVB . C .

4. Ad eos quod pertinet, quorum vel impensa, vel decreto honorarium monumentum constituitur, horum quidem mentio in titulo semper facienda est, ita tamen, ut, si quid cuiquam ex privati voluntate post huius mortem dedicatum sit, non ipse posuisse dicatur, sed id ex ipsius testamento positum fuisse. Ceteri, a quibus honor habitus sit, sive nominatim, sive generatim exprimendi fuerint, recto omnes casu efferentur: tum, de civitate si agatur, singuli ordines indicandi, quorum maxime intersit (1):

Q . GAVIO . Q . FIL .
. . . .
DECVRIONES . ET
AVGVSTAL . ET . POPVL .
CALATINVS . PATRON .
MVNIFICENTISSIMO

(1) Maff. M. V. p. 354, n. 5.

Illud interdum explicatum si populus claro viro honorem statuae ab ordine postulasset (1):

SEX . VENCIO . IVVENTIANO

. . . .

ORDO . VOCONTIOR . EX . CONSENSV
ET . POSTVLATIONE . POPVLI . . .

Hic vero non abs re erit monere, quum vel civitas, vel ordo civium nominandus sit, non esse praetermittenda apposita ea, quibus compellari solent: *Ordo Splendidissimus Segunorum, Ordo Populusque Splendidissimus Col. Aug. Himeraeorum. . . . .*

Quod si plures fuerint urbes, plures sodales, sacerdotes, curatores, magistratus una nominandi, poteris, ad urbes quidem quod spectat, si aequo illae iure de principatu certent, eam sequi rationem, quam veteres interdum tenuere, ut priorem locum ei tribuas, cuius nominis prima littera priorem in litterarum ordine locum teneat: ad ceteros vero quod attinet, vel aetatem, vel dignitatem, vel aliam huiusmodi rationem respicere fas erit, hoc insuper servato, ut nominibus eorum, qui eodem e collegio sint, communis appellatio praeponatur (2):

T . CAISARI . DIVI . AVG . F .

. . . .

PONTIFICES . ALBANI
Q . IVLIVS . Q . F . FAB . RVFVS
C . IVLIVS . C . F . . . .

Huc etiam pertinet, si qua principi statua a ducibus exercituque omni dicata fuerit, eo pacto, veterum exemplo, auctores monumenti esse describendos, ut primum nominatim praescribantur, qui omnibus praesunt, deinde ductores ordinum, cohortes, milites generatim appellentur.

(1) Grut. p. 484, n. 2.
(2) Grut. p. 235, n. 8.

Illud praeterea non tacendum, quae statuae sumptu publico statuebantur, in earum basi modo additum, modo omissum, *Publice* eas, vel *Pecunia Publica* esse constitutas; verum si pecuniam decuriones singuli et ipsa plebs in eam rem contulissent, diserte explicatum esse, hac, puta, formula: *Ex Aere Conlato Decuriones Et Plebs.*

Notatum etiam, laudis gratia, si quis, honore accepto, pecunia sua opus perficiendum curasset: *Honore Decreto Usus Impendium Remisit Et Statuam De Suo Posuit;* vel si statua sibi decreta auctor fuisset ut alteri poneretur: *Oblatum Sibi Honorem Statuae In Patris Sui Nomen Memoriamque Transmisit.*

5. Quod superest, honorariis inscriptionibus, quae privati honoris indicia sint, si loco publico prostare debeant, subscribendum est, a quibus locus datus, sive quorum permissu statua posita sit: notae autem, quae id designent, formulae, nec varia tibi in morcelliani operis libro tertio exempla deerunt. Contra si solo id factum privato fuerit et iure proprio, recte illud quoque indicaveris: exemplum egregium esto, quod subiiciam (1):

IMP . CAESARI . DIVI . NERVAE . F . NERVAE . TRAIANO
AVG . GERM . DACICO . PONTIF . MAX .
TRIB . POT . XII . IMP . VI . COS . V . P . P. PROPAGATORI
ORBIS . TERRARVM . LOCVPLETATORI
CIVIVM . CVLTORES . LARVM . ET . IMAGINVM
DOMVS . AVGUSTAE . SOLO . PRIVATO
SVA . PECVNIA . FECERVNT

Temporis, quo veteres statuas suas honoris causa statuerint, nulla plerumque in titulis facta significatio; saepe enim iis monumenta constituebant, qui tempora ipsi significabant. Ceterum dedicationis et annus et dies haud raro

(1) Fabr. p. 447, n. 57.

vel infra, vel ad latera adscriptus est, adiectis aliquando nominibus curatorum (1):

	Q . HORTENSIO	
	Q . F . COL .	CVRANTIBVS
	FAUSTINO	C . ALLIANO . TIBVRTINO
CVRANTIBVS	ADVOCATO . FIS	M . HELVIO EXPECTATO
M . HELVIO EXPECTATO	CI . PRAEF . FABR .	DEDIC .
C . ALLIANO . TIBVRTINO	PATR . MVNIC .	III . ID . MAI . MAXIMO
	COLLEG . FABR .	ET . OFRITO . COS .
	TIBVRT . OB	
	MERITA	
	L . D . S . C .	

ubi animadvertere te iubeo curatorum nomina in utroque latere inverso ordine incisa, unde scilicet discas, quo pacto de principe loco litem, si quando opus sit, dirimere queas.

§ III. *De inscriptionibus honorariis primariarum feminarum.*

1. Quae articulo superiore de ordine textuque inscriptionis tradita sunt, ad hunc quoque sic pertinent, ut iisdem prope legibus atque ratione uti liceat.

Primum igitur de inscriptionum initio nihil hic dicendum, quum antiquis in exemplis unum omnium sit, a nomine scilicet ductum earum, quibus statua posita sit: cui fere adnexum est patris praenomen et *Filiae* appellatio, deinde cognomen: interdum vero, his omissis, ea tantum addita, quae dignitati earum apposita putabantur.

Iamvero matronis, quae etiamtum in coniugio essent, viri nomen protinus subiectum legimus, post quod ipsae perraro *Uxores* appellantur, ut *Livia Augusti*, *Agrippina Germanici*.

Verum, si post viri nomen huius honores recensendi essent, tunc appellatio uxoris praescribebatur, ne turba illa

(1) Grut. p. 419, n. 5. — Fabr. p. 487.

verborum sequentium dictionis perspicuitati officeret. Servatum hoc quoque, ad matronas quod est, ut primo vir, deinde pater cieretur.

Non modo autem et viri et parentis commemoratione ad feminarum dignitatem ac decus prodendum usi sunt, sed filiorum etiam iniecta mentio, eorum maxime, qui rerum potiti essent: imo ne alii quidem cognationis gradus interdum omissi (1):

ACILIAE . M . F .
MANILIOLAE . C . F . (2)
M' . ACILII . GLABRION .
SEN . COS . (3) PRONEPTI
M' . ACILII . GLABRIONIS
COS . II . NEPTI
M' . ACILII . FAVSTINI
COS . F .
ORDO . DECVRION .

2. Praeter haec a viris, parentibus, filiis, maioribus ducta, fuere sua et feminis aliquando dignitatis apposita, quibus illae praesertim ornarentur, quae minus claris parentibus ortae, nec magnis nuptae viris, decus tamen sibi aliquod virtute peperissent.

Primum enim quaedam ex his sacerdotia inibant feminis propria, quod minime in earum inscriptionibus praetermissum. Tum aliae, quum bene nummatae essent, municipia etiam et colonias largitionibus demerebant; quare his aliquando urbium earum patrocinia deferebantur, unde nova sibi dignitatis et laudis apposita inveniebant. In quarum similitudinem matronae etiam nostrae sua munera habent suosque honoris et dignitatis titulos. Aliae quippe sodalitatum magistrae sunt; aliae scholarum puellis instituendis curationem administrant; quaedam insignibus ornatae nobilium ordinum, aut certe virorum titulis hone-

(1) Grut. p. 344, n. 4.
(2) *Clarissimae Feminae.*
(3) *Senioris Consulis.*

statae; quaedam etiam in regum aulis interdum cum imperio aliquo versantur: quae omnia atque his similia in earum insciptionibus commemoranda sunt, nec tacendum quum earumdem munificentia collegia, vici, oppida restituta saepe, vel aucta sunt ita ut eorum *Matres* atque *Patronae* merito dici possint.

Ceterum in honorariis feminarum titulis decora illa veterum breviloquentia est imitanda, neque adsentandi studio longius procurrendum: tum quae virtutis appellationes sunt et vitae laudes pie ac puriter actae, earum plerasque in epitaphiis aptius usurpabimus.

3. Quod in causa etiam proferenda, quare honor haberetur, veteres obtinuere ita ut raro beneficia et merita diligenti oratione explicarent, plerumque generatim tantum attingerent, sive quod singula persequi, praesertim si nec nova, nec magna essent, minus decorum ducerent, sive quod, quae generatim prolata, nec rei demonstratione, sed significatione indicata essent, crescere quodammodo et magnum quiddam planeque romanum sonare viderentur. Quod reliquum est, causa honoris, vel externa et a propinquorum meritis petita: *Magiae Q. F. Severinae Ob Merita Q. Magii Severini Patris Eius . . . . .*; vel etiam a matronae ipsius, quae honoraretur, gratia et beneficiis (1):

ADRIANO SABINAE
AVGVSTO . COS . III . P . P . AVGVSTAE
LOCVPLETATORIBVS . MVNICIPII
EX . D . D . PVBLICE

Haec tamen non ita sunt accipienda, quasi matronarum decora aeque ac virorum non liceat interdum fusius et grandiori verborum ambitu proferre, quotiescumque illae cum his clarorum factorum gloria et egregiae virtutis laude certare videantur: iniuria enim esset eundem hono-

(1) Morc. *De St. inscr.*, l. II, par. I, c. II.

rem, qui viris datur, iisdem in femina virtutibus invidere. Probandus igitur titulus iste morcellianus, quem subiicio (1):

CLARAE . MARIAE . SPINVCCIAE
COMITI . LVSATIAE .
QVAE . ANNO . M . DCC . LXIIII
SERENISS . XAVERI . AVGVSTI . SAXONICI
REGALI . CONIVGIO . DIGNATA
VIRTVTE . PROMERVIT
VT . TERTIO . DECIMO . POST . ANNO
PRIDIE . EID . AVG.
OMNIA . IVSTAE . VXORIS . IVRA . ATQVE . INSIGNIA
SIBI . AB . REGIO . CONIVGE . IMPERTIRENTVR
IOSEPHVS . SPINVCCIVS . COMES
FILIAE . KARISSIMAE
QVOD
SPINVCCIAM . GENTEM . TANTAE . STIRPI
INSERVERIT

CAPVT III.

DE EPITAPHIIS.

§ I. *De ratione generis universa.*

1. Veterum epitaphiorum unum plerisque initium est: *Diis Manibus*, aut *Diis Manibus Sacrum*; interdum et *Manibus* tantum. Porro, quamquam defunctorum animas, veterum exemplo, manes appellare nunc quoque fas est, non tamen ab eo vocabulo nobis epithaphium recte inchoabitur; sepulcra enim corporibus tumulandis statuimus, non mortuorum animis ritu aliquo, ad veterum morem, dicamus. Simili de causa neque eo uteris exordio D. O. M., quamquam et hoc multis bellissimum videtur; Deo enim sepulcra dicari quis dixerit? Potius nexum illum litterarum

(1) Morc. *De St. inscr.*, l. II, par. I, c. II.

graecarum ☧ (X P) quo Christus significatur, vel solum, vel cum A et Ω, vel in ipso initio, vel ad latera, vel in fine appositum, non dedicationis quidem, sed invocationis causa, veterum christianorum exemplo, in epitaphiis nunc adhibebis.

Reiicienda quoque et *Fatorum* mentio, et formulae illae *Quieti Aeternae*, *Somno Aeterno*, *Vale Aeternum*, *Sit Tibi Terra Levis*, aliaeque id genus, quas scilicet religio doctrinaque nostra non probat, aut etiam plane recusat et deprecatur.

2. Quaedam contra apud veteres multis in epitaphiis usurpata reperies, quae nostris in monumentis nusquam fere apparent, quum iis tamen neque religione vetemur uti, et brevitatis saepe aut elegantiae causa si utamur, inscriptio iam quodam maiestatis colore ornari videatur. Huiusmodi mos est ille veterum, quum sepulcrum pluribus posuissent, et ex his quidam iam compositi, quidam superstites essent, ut littera apposita vivi a mortuis secernerentur: vivi enim littera V, mortui Graecorum Θ dedesignabantur; ac, ne quis legendo haereret, utramque litteram forma fere maiore aut minore, quam reliquas, effingi curabant (1):

V TI . LATINVS . TI . L . DORI . . .
Θ AGRASIA . T . L . RVFA
HOC (2) . MANSVM . VENI . IIII . K . . . .

vel etiam iis, qui obiissent, nihil praeficiebatur, ceteris V: aut contra nihil iis, qui viverent, ceteris Θ.

Alterum etiam est, quod a veteribus imitari possimus, ut nempe quantum pateat sepulcrum adscribamus. Quamquam enim tumulos, veterum more, propter militares vias non excitamus, ut iam ea formula, tot *In Fronte* tot *In Agro Pedes*, religiosi loci terminos indicare non liceat; at aliae formulae sunt, quibus locum sepulcri causa emptum datumve designemus, cuiusmodi eae sunt: *Sepulc. Long.*

(1) Maff. M. V. p. 108, n. 2.
(2) *Hoc* pro *huc*.

Ped. XXX Lat. Ped. XXX; vel Q. Q. P. L., idest *Quaquaversus Pedes Quinquaginta*; vel etiam L. Q. P. XVI., aut P. Q. XVII., idest *Latus Quaquaversus Pedes sexdecim, Pedes quaquaversus septemdecim.* Adde hanc quoque IN. F. P. VI. IN. R. P. XV. *In Fronte Pedes Sex In Recessu Pedes Quindecim,* atque multas itidem alias in harum exemplar confictas.

3. Quia vero sepulcra nunc quoque, modo uni tantum fiunt, modo familiae etiam et haeredibus aut toti genti parantur, quidni, ubi opus est, formulam veterum more subscribemus, unde iura sepulcrorum quae sint facile posteri ediscant? Itaque sepulcri conditor *Hoc Sibi Posterisque Suis* posuisse notabit, si ad posteros omnes successoresque suos pertinere voluerit: sin familiare tantum esse ac de nomine suo non exire placuerit, hisce formulis uti licet *Hoc Monumentum Haeredem,* vel etiam apertius *Haeraedem Externum Non Sequetur, Hoc Monumentum* Ad *Haeredem Non Pertinet, Externae Familiae Aditus Non Datur*; quae formulae singulariis etiam litteris scribi possunt.

4. At enim si pleraeqne veterum formulae epitaphiis nostris conveniunt, num etiam probandae quaedam ex iis, quae nusquam, nisi in tumulis Christianorum, existunt? Cuiusmodi eae sunt *Dormit in Pace*, In *Somno Pacis*, *Requiescit In Pace, Vale in Pace, In Pace Dei,* aliaeque ad hoc exemplum complures. Probandae sane, mea quidem sententia, quippe et ab indole latinae linguae et ab usu optimorum minime discrepant. Nonne habet Virgilius de Antenore (1): *Et Placida Compostus Pace Quiescit?*

Abstineam potius ab ea Christianorum veterum formula, qua ipsi mortuum sepultumque *Depositum* esse dicebant, siquidem hanc illi non tam ad ipsam mortem, quam ad ductum funus piosque sepulturae ritus referebant: quo sensu minus latina ac legitima esse videtur; proque ea rectius scribam *Compositus est, Elatus est, Decessit.* Adiiciam praeterea diem ipsum sive funeris, sive mortis, quem morem christiana pietas studiose celebravit, quo anniver-

(1) Aen. l. 1, v. 253,

sarii mortis dies, ac statae preces et sacra instaurari quotannis rite possent.

5. Ad compositionem autem structuramque epitaphii quod pertinet, veterum illa simplicitas, breviloquentia, verique similitudo semper ante oculos habenda est, cavendumque ne profuso quodam orationis genere, alienisque laudibus, aut poëtarum pigmentis abutamur; nullum enim scriptionis genus ab hisce illecebris magis abhorret. Quare longe illos errare dicemus, qui in inscriptionibus suis fucandis comendisque toti sunt, atque inania fere verba, quasi complementa numerorum, conglomerantes, phalerata tibi atque adeo longa epitaphia effingunt, ut qui minime morosus est vix ad dimidium legat, ceteri, ubi nomen primum oculis usurpaverint, addant gradum. Sic verba et ornamenta consectando hoc tandem nacti videntur, ut res etiam et facta ignorentur.

Quidam etiam sunt, quos non epitaphium scribere, sed vitam plane et historiam voluisse dixeris: adeo minuta quaeque persecuti sunt, indictumque nihil, nihil illaudatum esse voluerunt. Qui tamen, si res postulasset, sine ulla reprehensione, ea, quae in epitaphia absurde congesserunt, proferre omnia separatim potuissent, fastos scilicet imitati, quos Augustus in Mausoleo suo prostare voluit, omnia his complexus, quae ab anno undevicesimo domi militiaeque gesserat.

§ II. *De epitaphiis virorum.*

1. Quum omnes, docti indoctique, tum sibi, tum suis, epitaphia lapicidis dictare veteres consueverint, tam multi, vel optimarum aetatum, huius generis tituli ad nos pervenere mendis deformati et compositione inter se discrepantes, ut diligenter omnino illi sint secernendi, unde regulas nobis et praecepta hauriamus.

Iamvero quum horum etiam non exiguus sit numerus magnamque nobis exemplorum varietatem offerant, aliquam in epitaphii structura, non tamen dissolutam neque impudentem, licentiam permissam esse dicemus.

Quaedam primum optimae notae epitaphia offendimus, quae nullum de monumenti auctore verbum habent (1):

C . VEDIVS PHILOMVSVS CVM . AVTRONIA SVA . FELICE HIC . EST	OSSA C . IVLI . LICINI L . TIRENI ET . DONATAE LIBERTAE

cuiusmodi tamen epitaphia tunc praesertim probaveris, quum introrsus in familiae monumento legantur, cuius in fronte communis emineat inscriptio. Quod si iis destinentur, qui ipsi sibi sepulcrum vivi paraverint, tum veterum formula optime uteris V. F., *Vivus Fecit.* Ceterum si sepulcra non ii, qui conditi sint, sed filii, fratres, haeredes, aut amici excitarunt, vel ipsa eorum nomina adscribenda, vel certe communi aliqua appellatione designandi sunt. Video autem id quoque obtinuisse, ut si monumentorum auctores dignitate praestarent, eorum nomina non raro prima scriberentur; quin et plerosque infimorum, si sepulcrum sua impensa sibi et aliis fecerint, primo item versu scriptos invenies: *Q. Clodius Q. L. Niger* *Sibi et Q. Clodio* . . . .

Communem tamen epitaphii formam exprimes, si cuius gratia sepulcrum extructum apertumque fuerit, nomen eius primum inscribes: quod sane ne iis quidem, qui epithaphium legent, incommode accidet, id fere primum scire cupientibus, quis in sepulcro conditus fuerit.

Nomen autem vel recto casu, vel patrio, vel dativo efferre veteres consueverunt, ita tamen ut cum dativo casu nomen illius apponeretur, qui monumentum defuncto posuisset, cum patrio vero *Sepulcrum* subaudiatur, vel aliud vocabulum praeponatur, exempli causa, *Corpus T. Baebii, Ossa Ti. Clodii*, vel etiam *Dis Manibus*, *Diis Propitiis*, *Quieti, Memoriae, Cineribus* et similia. Saepius autem da-

(1) Maff. M. V. p. 202, n. 12.

tivo usi sunt nominum casu, et dedicationem illam suam D. M. aut D. M. S. ab ipsis nominibus seiunxerunt (1):

DIS . MANIBVS
T . VALERIO . T . F .
. . . .
PATVLCIA . EXOCHE
CONIVX
FECIT

2. Post nomina, non secus atque in honorariis inscriptionibus fiebat, honores, sacerdotia, munera adscripta esse videas; idque eodem plane ordine atque ratione, nisi quod in epitaphiis huic rei paulo largius indulgebant, eaque saepe munera memorabant, quae in honorariis titulis vix leges.

Ad patriam quod est, iis semper adscribenda est, qui solo peregrino defuncti humatique sint.

3. Defunctorum laudes, quae hodie epitaphia implent, olim uno fere aut altero apposito constabant.

D . M .
P . AELIO . PIO
CVRTIANO
MEDICO . AMICO
BENE . MERITO
A . CVRTIVS . CRISPINVS
ARRVNTIANVS

ubi animadvertas velim, medicum hic tantum appellari, cui nunc *Praestantissimi, Celeberrimi*, aliorumve id genus superlativorum pompam recusare invidiosum videretur.

(1) Manut. Orth. p. 267.

Neque his tamen omnino abstinebant ad animi affectus praesertim significandos (1):

L . FADIO . L . F .
CAEDIANO . EQVITI
ROMANO . PIETATIS
RARISSIMAE . FILIO
CAEDIA . FESTA
MATER . INFELICISS .
MONVM . ET . ARAM
FECIT . VIX . ANNIS
XXV . MENS . V .
DIEB . IIII

verum modum adhibebant, et veritati simul decorique, quam adsentationi servire malebant.

Idem de narrationibus dicas, quibus defunctorum vita aut res gestae describantur, quae non modo breves omnino in epitaphiis sunt, sed etiam rarae: neque enim quod quisque gessisset, sed si quid pie a quoquam, vel liberaliter, vel fortiter gestum esset, quod et magnum videretur, nec fere de aliis praedicari posset, id veteres commemoratione et praeconio dignum putabant. Nisi forte vulgarium sepulcrorum titulis insignes quasdam mausoleorum inscriptiones adnumerare libeat, cuiusmodi sunt et ancyranum Augusti monumentum et tiburtinum Plautii Silvani (2), quos annales potius vel fastos, quam epitaphia appellaveris. Porro, si quid eiusmodi aliquando in regum aut pontificum maximorum mausoleis inscribendum sit, exempla illa imitatus hanc rationem sequaris auctor sum: nempe in ipsa molis fronte epitaphium incidatur brevissimum, ad latera autem fasti inscribantur quamvis longi, et defunctum, si libet, ipsum facta sua narrantem inducas, quemadmodum Augustus in monumento suo ipse loquitur:

ANNOS . VNDEVIGINTI . NATVS . EXERCITVM PRIVATO
CONSILIO . ET PRIVATA . IMPENSA . COMPARAVI

. . . .

(1) Grut. p. 409, n. 1.
(2) V. Morc. l. II, part. I, c. III, de epit.

sed cave tamen ne, quem narrantem induxeris, eum ita sibi indulgentem facies, ut idem et praeco laudum suarum esse videatur.

4. Vitae annos multis modis veteres subscribebant. Nam primum aetatem aliquando indicabant, annos ipsos non addebant: *In primo aetatis Flore Praerept.*; vel annos adscribebant, sed minus certe, formula illa *Vixit annos Plus Minus XXX.* Plerumque tamen aut nihil de vitae tempore adiectum est, aut anni simul, menses et dies numeris designati, nisi quod menses interdum sic omissi, ut dierum numero comprehenderentur: *Vix annos XXVII, Diebus L;* ubi etiam alterna casuum mutatio notanda est, quae apud veteres frequens, nobis non item probabilis videtur. In verbo etiam varietate usi sunt ita ut scriberent vel *Vixit annos XXX*, vel, omisso verbo, *Annorum XXX*, vel *Natus* Ann. *XXX*, aut *Agens*, sive *Quum Ageret* Ann. *XXX*.

In maritorum epitaphiis uxores saepe et annos matrimonii subiici voluerunt, adiecta non raro formula, quae posteros de convictus sui concordia doceret: *Cum quo Vixit* Annis *XV. Menses Sex Dulciter Sine Querela.*

At consules, ad annum quo quisque decessit indicandum, perraro inscripti leguntur.

Christiani tamen veteres mortis tempus multo diligentius in suorum sepulcris consignarunt, in quibus saepe non modo consules, sed mensem etiam ac diem et alias praeterea notas deprehendimus, quorum exemplum nobis est imitandum, praesertim quum nobilibus clarisque viris epitaphia ponimus.

5. Sub epitaphii finem auctores monumentorum veteres plerumque indicabant, adiecto cuiusque cum defuncto consanguinitatis, aut proximitatis gradu, sive pluribus unus, sive uni plures titulum posuissent: *C. Terentio C. F. . . . Et C. Terentio C. L. . . . Terentia Fecit* Filio *Et Coniugi Carissimo Et Sibi — Justin. Menand. F. . . . Sabina Marito Optimo Et Merentissimo Et Menander Filius Cum Sororibus Suis Receria Et Sabina Patri Piissimo F.*

Saepe uxor prima omnium inscripta, adiectumque quot aucta liberis esset.

Haeredes quoque, quos defunctus constituisset, id in titulo profitebantur.

Praeterea monumentorum auctores munera atque honores quisque suos adscribenda curabant; quod nos itidem praestare fas est, praesertim quum monumenti auctores egregiis titulis ornari possunt; quippe id etiam honoris defunctis tribuetur, quod suprema illis officia a praestantibus viris persoluta sint.

Sepulcrum item si eius arbitratu extructum esset, quem defunctus in testamento nominasset, ne id quidem omittebant veteres: quin etiam, si monumentum operosum sumptuosumque fuisset, non aliter ac in operibus publicis, eos adscribebant, qui illud iam perfectum probassent: *Lucius Ampius . . . Sibi Et . . . Testamento Fieri Iussit Arbitratu Erotis L.*; vel . . . *Testamento Fieri Iussit Probavere Diomedes Et Anthus Liberti.*

Ceterum de verbo illo praecipuo, quo sepulcrum factum significari solet, non est cur valde labores; illud insuper non raro in epithaphiis omissum est, ut in honorariis inscriptionibus fere semper.

6. Ad clausulas denique epitaphiorum quod spectat, aliis alia distinguebantur: modo enim pedes referunt, quot locus monumenti pateat; modo sepulcrum testamento factum indicant, aut locum sepulcro acceptum ab aliis aut emptum esse; modo salutationes exprimunt, quae initio etiam leguntur, de quibus tiro admonendus est, ne, veterum more, defunctos inducat cum viatore colloquentes, non enim nos, ut illi, propter vias sepulcra facimus; modo etiam precationes referunt et sententias e philosophia petitas.

Ceterum clausularum honorificentissima fuit et insignibus inscripta tumulis, quae de sepultura publica admoneret: *Hunc Primum Omnis Ordo Municipum In Locum Publicum Intulit Et Sepeliendum Curavit. — Huic Decuriones Funus Publicum Statuam Equestrem Clypeum Argenteum, Locum Sepulturae Decreverunt Et Urbani Statuam Pedestrem.*

Verum si sepulcra honoraria fuerint, idest *cenotaphia*, formulis illis abstinendum, quae vacuum tumulum non deceant, cuiusmodi eae sunt *Hic Situs Est, Quieti et Cineri-*

bus, atque huiusmodi; propriis contra utendum, exempli gratia: *In Honorem*, *Memoriae Causa* (Μνήμης Χάριν), vel *Memoriae* tantum, vel aliis idem exprimentibus (1):

D . M .
LOCI . IN . QVO
CORPVS . T . LV . . .
SABINIANI . LVCIANI
CREMATVM . EST

quo titulo non sepulcrum, sed cenotaphium in ustrino excitatum manifeste significatur. Nobis vero, ubi res ferat, imitari hanc formulam licet ita ut scribamus: *In Honorem Petri Merulae Cuius Funus Hic Celebratum Est.*

§ III. *De epitaphiis feminarum.*

1. Quae de virorum epitaphiis notata sunt, eorum pleraque feminarum etiam epitaphiis conveniunt, ut vel e paucis exemplis videre est (2):

CORNELIAE . FAVSTAE
OSSA . HIC . SITA . SVNT
M . CORNELIVS . M . F . MATRI . FECIT

D . M .
CLAVDIAE . PONTICES
CL . EVSTROPHVS
PATRONAE . ET . CONIVGI . OPTIMAE
ITEM . FLAVIA . THREPTE
CL . APHRODISIVS
ET . TIMOTHEVS . MATRI . PIISSIMAE

(1) Oder. Syll. Inscr. p. 224, n. 65.
(2) Murat. p. 2065, n. 4. — Fabr. p. 289, n. 218 — p. 294, n. 241.

CINERIBVS
GEMELLAE . TORQVATAE
ORNATRICIS . AVGVST .
SEX . SERVILIVS . TORQVATVS
DISPENSATOR
H . M . F . (1) . ET . SIBI
DEDIC . K . IVNIIS
SEX . GLABRIONE . ET . C . HOMOLLO
VERIANO . COS .

2. Verum, ad nomina quod pertinet, quum ea nunc quoque in appellandis feminis diminuta saepe usurpemus, praetermittendum non videtur, haud raro veteribus et nomina earum et cognomina in epitaphiis etiam diminutive usurpata placuisse. Et cognomina quidem, ea maxime quae a numero desumpta, non una illi ratione molliebant; fiebat enim a *Prima Primilla* et *Primina,* a *Secunda Secundilla* et *Secundina,* a *Tertia Tertulla* et *Tertullina,* a *Quarta Quartina* et *Quartilla* et sic deinceps usque ad *Octavillam;* et a *Decima* vel *Decuma Decimina* et *Decumina, Decimilla* et *Decumilla;* quin et *Undecimilla* legitur, quae socia fuit Ursulae martyris. Sunt et cognomina quaedam a parentum cognominibus orta, ut ab *Agrippa Agrippina,* ab *Attico Atticilla,* a *Basso Bassilla*, a *Gallo Gallitta*, a *Prisco Priscilla*, et alia huiusmodi. A nominibus autem illa sunt *Claudilla, Livilla, Sosiola* et similia. Haec feminis, quum puellae essent, imposita, postquam illae in matrimonium ierant manebant etiamtum: itaque in ipsis epitaphiis sic appellabantur, quum iam compositae essent (2):

IVLIAE . PROCILLAE . Θ . ANN .
XLVIII . L . COCCEIVS . CVPITVS
MARITVS . ET . IVLIA . IVNIANA
ET . COCCEI . PROCVLVS . FLORENT
CVPITVS . FILI . FEC .

(1) *Hoc monumentum fecit.*
(2) Grut. p. 795, n. 3.

Haec porro imitari si libeat, quis vetet? tum nempe, quum feminae epitaphium scribendum sit, quam omnes, quum in vita esset, diminuto nomine appellarint. Latina haec consuetudo fuit, quae in latino epitaphio reprehendi non debet.

3. Post nomina, feminis quoque, non secus ac viris, curationes et munera, artes et ministeria, vel quum infima erant, veteres adnotare consueverunt: vidimus nuper *Augustae Ornatricem:* en nunc *Ostetricem* tibi atque *Vestificam* (1):

AGRIAE . TRIPHOSAE . VESTIFICAE
LIVIVS . THEONA . AB
EPISTVLIS . GRAEC . SCRIBA
A . LIB . PONTIFICALIBVS
CONIVGI . SANCTISSIMAE
B . D . S . M .

DEIS . MANIBVS
IVLIAE . Q . L .
SABINAE
MEDICAE
Q . IVLIVS . ATIMETVS
CONIVGI
BENEMERENTI

Quod si haec, quae leviora sunt, mentione digna putaverunt, multo magis ea, quae ornamenti decorisque plus haberent, non omittenda censuere. Itaque *Flaminicas Sacerdotesque* non paucas legas, et *Patronas* etiam, quae hoc scilicet titulo a collegiis donatae essent. Nonnullis, quibus nihil fortasse aliud suppeteret, a patris et viri muneribus, vel etiam a numero filiorum decus aliquod quaesitum.

4. Haec omnia laudes sequebantur, in quibus feminis saepius quam viris veteres indulsisse videntur: idque mariti praesertim cum uxoribus factitabant, ut quas fortasse vivas minus coluissent, easdem mortuas hac saltem amoris significatione prosequerentur.

Itaque maritos passim offendas uxores laudantes *Sanctissimas, Integrae Fidei, Frugi, Modestas, Verae Innocentiae, Plus De se Meritas Quam titulo Scribi Potuit*, et similia. Aliis commendatio petitur a filiis, quos ipsae lactaverunt; aliis a forma simul et moribus; aliis quod in viduitate

(1) Grut. p. 578, n. 6 — p. 636, n. 1.

relictae nemini iam, post viri sui mortem, iugali vinculo sociari voluerunt. Has *Univiras*, vel *Univirias* appellabant, quo deinde vocabulo Christiani etiam usi sunt.

Verum ut haec et alia huiusmodi omittam, quae exigua sunt prae iis, quae saepe hodie de virtutibus clarissimarum matronarum praedicari iure possunt, hoc animadvertendum hic etiam puto, praecipua potius quam omnia in epitaphio proferenda esse, ne aut historiam pro titulo confecisse, aut etiam vero maiora iactasse videamur. Quippe ubi laudandi studium eminet, facile dubium parit; contra unius facti significatio omnia saepe in reliqua vita magnifica portendit.

5. Ad vitae annos monumentorumque auctores indicandos eadem valet ratio, quam in virorum epitaphiis animadvertimus.

Id tantum monendum, ne, praeter annos ac menses, horas etiam vel vitae vel matrimonii, inepta fortasse diligentia nimiaque veterum imitatione, persequamur.

6. Ad clausulas denique quod spectat, iis, quae de virorum titulis monuimus, hoc addendum, quod utrisque commune est, epitaphiis nempe interdum particulas e testamento appositas esse, quae sepulturae ius explicarent (1):

P . HERENNIVS . P . L .
CHRESTVS . PRAECO
TRIBVNICIVS . SIBI . ET
CASSIAE . L . ET . VXORI . ET . SI
QVIBVS . CASSIA . VOLET
IN . HOC . MONVMENTVM
HEREDI . MEO . IVS . INFERENDI
PRAETER . ME . NON . DO
CASSIAE . VXORI . MEAE . DO

Ceterum salutationes, precationes, omina et alia huius-

(1) Don. Cl. 8, n. 26.

modi, ut virorum, sic etiam feminarum inscriptionibus adhibita (1):

PAMPHILVS
ANIMA . SANCTA . SALVE

AVFIDIAE . C . L . VENVSTAE
VIATORES . SALVETE
ET . BENE . VALETE

Additum etiam, si cui funus publice decretum (2):

LIGVRIAE . Q . FIL .
FRONTINAE
Q . HORTENSI . KATVLLI
HVIC . ORDO . NARBONENSIS
PVBLICE . FVNVS . ET . OMNES
VECTIGALES . (3) . DECREVIT

Nec plura de hac re: id tantum animadvertas velim, quantum leporis, quantum amoris et desiderii accedat brevissimo epitaphio ex una vocula *tantum* annorum haud multorum numero apposita (4):

DONATILLA . VIXIT . ANNOS
XXXII . TANTVM

§ IIII. *De epitaphiis puerorum puellarumque.*

1. Epitaphiis etiam puerorum puellarumque pauca sunt quae propria et peculiaria memorentur.

Quum eorum saepe cineres in familiae olim sepulcra a parentibus inferrentur arculaeque a conspectu abditae in hypogeis laterent, idcirco multa eorum epitaphia brevia

(1) Maff. M. V. p. 281, n. 2. — Fabr. p. 705, n. 262.
(2) Grut. p. 430, n. 7.
(3) *Vectigales* funeris, opinor, sumptus scilicet, quod alibi *Funeraticum* appellatur, hoc est vectigal libitinariorum.
(4) Fabr. p. 428, n. 3.

admodum invenies, quaedam etiam ne solitaria quidem, sed uno in cippo gemina inscripta (1):

D .	M .
NICONI . FILIO	EVTYCHETI
DVLCISSIMO	VERNAE
QVI . V . MENS . XI .	QVI . VIX . AN . I
DIEBVS . VIII .	MENS . V . DIEBVS . X .

PVBLICIA . GLYPTE . FECIT

Filiorum epitaphia parentes, ut animi affectus proderent, a salutatione interdum inchoarunt, quam in fine etiam iterarunt, ita ut *Have* initio *Vale* in fine legatur (2):

HAVE . HAVE	HAVE . EVPHROSYNE
HEROTION	C . STATIVS , PHORIMVS . ET SENTIA
ET . VALE	SATVRNINA . PARENTES
AETERNVM	FILIAE . PIENTISS .
C . CESTIVS . FILIAE	VIX . ANN . XII . D . XXVI
F . C .	VALE

Diminuta vero nomina et blandientium voces in huiusmodi epitaphia proprie cadebant: *Victorillae Fil. Pientissimae*, *L. Aponio Delicio Suo,* et similia.

2. In vitae tempore significando, si non modo menses et dies, verum et horas addideris, id concinne factum videri possit, ubi de vita brevissima agatur; inepta tamen si vel semihoram et scrupulos adscribas, quamquam exempla apud veteres non desunt. Ceterum et in puerorum epitaphiis tempus generatim indicare licebit: *Aetatula Prima Heic Requiescit.*

In annis enumerandis accusativo aeque casu atque ablativo veteres usi sunt: ubi vero puer unum tantum vixisset annum, scribebant fere *Vixit Annum,* aut *Anno*: *Unum* aut *Uno* perraro addebant. Itaque et *Mensem* et *Diem* elegantius scripseris, quam *Mensem Unum, Diem Unum,* nisi si *Dies XXX* pro *Mense* scribere malis.

(1) Fabr. p. 6, n. 27.
(2) Grut. p. 1122, 1123.

3. Nec suam laudem pueris etiam puellisque non dabant, quae tum a forma peteretur, tum a moribus, ingenio, studiis, doctrina, aut etiam a parentum dignitate et si quae alia eodem pertinere putarent.

Praecipua vero parentum cura in dolore significando, haec enim saepe subscripta legimus: *Relictis Parentibus suis Infelicissimis*; *Relictis Parentibus Miserrimis*; *Patrem Et Matrem In Luctu Reliquit.*

Nec ea rursus omnia praetermissa, quae ad luctum doloremque augendum acerbiora viderentur, cuiusmodi illud est, quod Cato apud Tullium (1) de filio suo dicit, *cuius*, inquit, *a me corpus crematum est, quod contra decuit ab illo meum* (2):

NONIA . M . F . MAXSIMA
VIXIT . AN . X . D. XV .
ET . QVOD . MISERRIMVM . EST
MATER . FECIT . FILIAE
CANTRIA . C . F . POLLA

Ceterum, inquam, pleraque, quae de virorum feminarumque epitaphiis tradita sunt, ea puerorum etiam puellarumque tumulis conveniunt.

§ V. *De epitaphiis sepulcrorum communium.*

1. Haec bifariam dividi possunt. Alia enim monumentum familiae et haeredibus sic attributum esse declarant, ut unius maxime aut paucorum gratia extructum indicent: haec autem a ceteris, de quibus supra actum est, parum discrepant, quum aliud proprium vix habeant, quam for-

(1) De senect. c. 2 n. 84.
(2) Grut. p. 697, n. 8.

mulam eam, qua ius sepulturae consanguineis, libertis, posteris tribuitur (1):

PITVANIA . L . L . DELPHIS
FECIT . SIBI . ET
P . MVCIO . NEDIMO . VIRO . SVO
REDEMPTORI . OPER . CAESARVM
L . PITVANIO . ELEGANTI . PATRI
VI . VIR . AVG . REATE
PITVANIAE . SECVNDAE . MATRI
FRONTIDI . SORORI
PITVANIAE . MARCELLAE . FILIAE
L . PITVANIO . AMANDO
L . PITVANIO . LATINO
L . PITVANIO . REATINO . L . SVO . ET
LIBERTIS . LIBERTABVS . POSTERISQVE . EORVM

Quae omnia, si libertos demas, imitari etiam nobis plane licebit.

2. Alterum genus est eorum, quae, nemine nominatim appellato, ad unam familiam, aut gentem, aut quemcumque demum hominum numerum pertinere sepulcrum ostendunt. Horum autem varia plane structura ac dissolutior paulo, quam in ceteris, esse solet. Diversa in primis initia sunt; exempli causa: *Arriorum Monumentum In Fr. Ped. XXX. In Agr. P. XXX....* (sequuntur nomina auctorum); — *Libertorum Et Familiae L. Arruntii L. F. Ter.* (Terentina tribu); — *D. M. S. Cultoribus Saturni In Agr. P. IIII. In Fr. P. IIII.*; — *Locus Sepulturae Cultorum Herculis...*; — *Memoriae Aeternae Liber. Et Serv. Fam. Claud....*

Deinde quaedam brevissima sunt, ut hoc (2):

DIS . MANIBVS
MEVIORVM

(1) Grut. p. 451, n. 8.
(2) Maff. M. V. p. 363, n. 2.

Alia vero satis longa sunt et adiunctis distincta non paucis: primum enim enunciatur ad quos monumentum pertineat; deinde quis illud vel fecerit, vel restituerit, vel donarit: tum quo die et quo sit anno dedicatum: post haec, quot idem pedes religiosi habeat loci. Porro in his, quia et nemo cietur nominatim, nec de simul inlatis agitur, sed de iis qui alii post alios conditi aut condendi essent, nulla communis addita laus: neque addi sane debebat, vel quod sua cuique scriberetur, in ollae nempe aut sarcophagi fronte; vel quod nulla omnibus convenire posset.

Attamen non hanc omittebant in militaribus tumulis, quum celebrari virtus eorum poterat, qui pro patria pugnantes occubuissent. Factum id a Nursinis, qui tumulo civibus in mutinensi acie interemptis publice extructo adscripsere, ut est apud Dionem (1), ὅτι ὑπέρ τῆς ἐλευθερίας ἀγωνιζόμενοι ἐτελεύτησαν.

Praeclaras huiusmodi epitaphiis reliquit formulas Tullius, ubi de honore legionariorum agit, qui contra Antonium in acie pugnantes occubuerant; quibus ille censuit, ut moles opere magnifico extrueretur, et ut litterae inciderentur *divinae virtutis testes sempiternae*. Huius sententiae verba est operae pretium quaerere apud illum. (Philip. 4, c. 12, n. 31.)

Quorum exemplo iam nobis, nec militari tantum virtuti, epitaphium inscribere licet. Si monumentum, ex. gr., publice exaedificatum sit sacerdotum inlatis cineribus, quos aegrorum saluti intentos pestilentia sustulisset, hoc illos, vel simili epitaphio ornandos iure censebimus:

☧ SACERDOTIBVS . MAGNAE . ANIMAE . PRODIGIS ☧
QVOS . AEGRORVM . CORPORIBVS . ET . ANIMIS
OPITVLANTES . VIS . PESTIS . ABSVMPSIT
D . D. PVBLICE
Q . Q . V . P . LX . (2)

(1) L. 48, p. 536. A. *Quod pro libertate depugnantes vitam profudissent.*
(2) *Quaquaversus pedes sexaginta.*

Sodalibus vero, qui ubique sunt, coelitum sanctorum cultoribus ita epitaphium communi sepulcro inscribendum fiat, ut opportuno apposito a ceteris distinguatur. Hoc autem appositum, vel coelitis nomen sit, quem ipsi colunt, vel locus quo conveniunt, vel praecipuum munus, quo funguntur, vel amictus etiam, quo induti supplicationes habere, atque in funus prodire solent. Sint tibi exemplo duo, quae sequuntur, epitaphia (1):

LOCVS . SEPVLTVRAE
SODALIVM . MARIALIVM
QVORVM . SVMPTV . ET . CVRA
PEREGRINI . OMNES
IN . VRBE . IN . AGRO . MORTVI
EFFERVNTVR
IN . FRONTE . P . LXX .
IN . RECESSV . P . XXXX .

PVLLATI . SODALES . CRVCIFIXI . CHRISTI . PIENTISSIMI
HOC . SIBI . CONDITORIVM . HABENTO
IOSEPHVS . AVRIFEX . FLAMINIVS . PADVANVS
MAGISTRI . SODALITATIS
FECERVNT
ET . SIBI . M . D . C . V .

Quod si inscriptio in communi miserae plebis sepulcro incidenda sit, nemo, opinor, reprehendat, si quis titulum inscribat huiusmodi:

A ☧ Ω
DOMVS . MORTALITATIS
CINERIBVS . ATQVE . OSSIBVS
REVICTVRIS

(1) V. Morc. l. II, p. I, c. III.

3. Sepulcrorum communium epitaphia proprias interdum habent clausulas: eae fere sunt testamentorum particulae, mandata, exceptiones, atque huiusmodi ad ius locumque sepulturae spectantia, et tamquam appendices epitaphiis apposita. Adde senatus decurionumque decreta, per quae interdum, honoris causa, locus monumenti publice adsignaretur, ad ipsius monumenti latus incisa. Adde denique comminationes et multas in sepulcrorum violatores non raro adiectas, quicumque locum monumentumque donare, vendere, abalienare ausi essent.

Ad sepulcri locum quod pertinet, illud hic proprium, ut si monumentum a pluribus communi sumptu aedificatum ac loca deinde singulis sua adsignata essent, id quoque adscriberetur, quantum scilicet spatii cuique pro portionibus debebatur (1):

D . M .
T . FLAVIVS . HERVETVS
FECIT . SIBI . ET
FLAVIAE . AELIANAE
FILIAE . KARISSIMAE
ET . CONLIBERTIS . SVIS
POSTERISQVE . EORVM
P . P . ≍ ≍ ET . T . FL . PHILETVS . C . S . P . P . ≍ ≍
ET . T . FL . EPITYMETVS . C . S . P . P . ≍ ≍

Ad Hervetum nempe et quos nominarat monumentum pertinebat *Pro Parte Tertia* sive unciis quatuor, quae trientem faciebant. Quia vero cum Herveto Philetus et Epitymetus *Communi Sumptu* illud extruxerant, pars item tertia utrique sive unciae quatuor tribuuntur: veteres enim ut haereditatem, quasi assem, sic res plerasque in duodecim partes dividebant. Ceterum qui sepulcra haeredibus communia fecerant, hoc solum aliquando inscribendum curarunt *Sepulcri Ius Ad Haeredes Pertinere Pro Portionibus Qua Quisque Testamento Scriptus Esset.*

(1) Anecd. Litt. Rom., vol. I, p. 473, n. 33.

CAPVT IIII.

DE INSCRIPTIONIBVS HISTORICIS.

§ I. *De ratione generis universa.*

1. Genus hoc inscriptionum non rebus celebrandis, sed memoriae publicae retinendae inventum est. Sive enim clarorum virorum magistratus aut res gestae recensentur, sive operum publicorum auctores produntur, sive dominorum iura privataeque conventiones indicantur, ita semper narratio institui solet, ut exornationem quidem non respuat, sine ulla tamen virorum aut rerum commendatione absolvatur.

Porro eandem ob causam nullum hic initiales dedicationum formulae locum habent, faciuntque inepte, qui sacrarum inscriptionum initio illo D. O. M. tamquam omnium titulorum communi temere utuntur: ineptius qui ad poetarum figmenta abeuntes *Tiberinum Patrem* pro Tiberi scribunt, nec historicam inscriptionem ita inchoare verentur *Loci Genio Et Nymphis Sacrum*, vel *Loci Genio Amoenique Littoris Hospitibus Nymphis.*

2. Neque vero poeticas tantum locutiones, sed eas etiam recte vitaveris, quae, quum nullam necessitatem res afferat, novae omnino sint, nec propriae huius generis censeri possint. Habet enim hoc maxime genus formulas suas plane multas ac varias, in quarum locum ut ut latinas dictiones atque optima verba substituas, ineruditus videare, quod proprias sollemnesque ignoraveris. Profecto in hoc genere non alia fere hodieque tractantur, quam quae veteres suis in titulis exposuere, ut, quum magistratuum quorumdam appellationes exceperis, vix aliud iam reliquum sit, quod priscis tantummodo formulis efferri non possit.

Nimirum, quae ad rempublicam et ad felices bellorum exitus pertinent, quid fere ab his discrepant, quae nunc etiam monumentis mandanda esse ducimus? Opera autem publica nonne in eos nunc quoque usus fiunt, in quos olim excitabantur? Veterum item ritu fines describimus, loca adsignamus: multa eodem modo alienantur, multa emuntur (1).

3. Ad temporum notas quod attinet, quamquam, ut consulatibus veteres, sic regnis vel pontificatibus nos etiam indicare tempus interdum fas erit, iuvabit tamen plerumque vulgarem rationem christianamque ἐποχήν secutos, vel annorum numerum solitarium sine apposito notare, vel, ut aliis placet, *Anno Dionysiano* aut *Anno Christiano* scribere. Ceterum minus vere, qui hisce formulis *A Partu Virginis*, *A Die Natali Christi*; inscite autem nec latine qui *Anno Aerae Vulgaris* utuntur.

§ II. *De fastis.*

1. *Annales Maximi* antea dicti videntur, qui deinde *Fasti* appellati sunt, primaque populi romani historia fuerunt. *Erat enim historia*, inquit Tullius (2), *nihil aliud nisi Annalium confectio: cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa, ab initio rerum romanarum usque ad P. Mucium pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus, efferebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi: ii, qui etiam nunc Annales Maximi nominantur.* Quo autem stilo confecti essent, paucis idem subinde declarat; *Hanc*, inquit, *similitudinem scribendi multi sequuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt.* Quibus in verbis

(1) In formulis autem quaerendis eligendisque haud multum erit adlaborandum; magnam enim earum suppellectilem tibi Morcellius parat lib. III, atque ita parat, ut, quae singulis prope rebus conveniant, totidem fere in articulos tribuantur.

(2) De Orat. l. 2, c. 12, n. 52.

fastorum veluti definitio proponitur; nisi quod veteres haec ipsa diviserunt ita ut et magistratuum fasti essent, in quibus horum nomina annorumque mentio, quo quisque creatus, quo mortuus esset, resque reipublicae causa ab iis domi maxime gestae recenserentur; et fasti triumphales, quibus duces bellorum, populique et nationes ab iisdem devictae, et anni diesque actorum triumphorum, et si quid aliud egregie et praeclare gestum commemorarentur.

2. Hanc divisionem nos, vel retinere fas erit, vel, ubi materia non satis suppetere videatur, res domi militiaeque gestas coniungere, quo fastos nostros urbanos sive municipales ipso rerum numero pleniores instructioresque efficiamus: in quos ea nempe liceat referre, quae ad civitatem aut ad principem pertinent, cui illa paret; postea magistratibus municipalibus locus tribuatur suus; cetera etiam signentur, quaecumque memoriae prodenda videantur: quae tamen omnia sic distributa sint, ut cuique appareat, quem ad annum singula spectent. Id certe antiquis tantae fuit curae, ut geminis aliquando notis usi sint.

Iam sacros quoque fastos probarim, in quibus pontifices unius ecclesiae describantur omnes, rebus, quas quisque gesserit, adiectis, et quum templorum conditoribus ac restitutoribus, tum rituum etiam municipalium dierumque festorum originibus indicatis: quae sane in aedium sacrarum atriis prostare haud parum referat, quamquam eadem in monumentis sacrorum separatim describi possint.

Neque vero fastos tantummodo scribes, in quibus multorum annorum magistratus, reique publicae vicissitudines aut bella a multis confecta recenseas; sed etiam in quibus non longi temporis res, vel ab uno tantum principe aut duce gestas describas. Exemplo esse tibi apud veteres Ancyranum monumentum potest, quod supra memoravimus, praeclara unius Augusti facta complectens: exemplo item fasti elegantissimi, quibus recentiores nonnulli veterem elegantiam, brevitatem dignitatemque feliciter sunt aemulati, inter quos commemorandi in primis illi mihi videntur, quibus Ferrarius noster regis Karoli Emmanuelis res

gestas descripsit, atque illi rursus quibus bellum peloponnesiacum a Venetis, Mauraceno duce, susceptum et profligatum idem complexus est (1). Aetate vero nostra, imo in hoc ipso volumine quot et quam luculenta ad fastos condendos exemplaria tibi proponuntur! Vide sis illos praesertim, quos ad Pii IX pontificis maximi munificentiam posteris testandam Vallaurius conscripsit.

3. Inter fastos referri etiam possunt *Acta Senatus et Populi*, quae ut diurna conficerentur et publicarentur C. J. Caesar imperator, teste Svetonio (2), primus omnium instituit. Quo exemplo acta civitatis suae scribere cuivis licebit eo pacto, ut, si res in codicem referat, largius pro libitu exspatietur; si marmori committat, parcius inscribenda eligat.

Fastis etiam adnumeres, licet, indices decurionum atque sodalium, ea tamen conditione, ut non sola ibi et nuda nomina legantur, sed quo quisque die cooptatus, cuius in locum lectus sit, quoties magistratum gesserit, aut magisterio sit functus: interdum quid hic reipublicae, ille sodalitati legaverit donaveritque, cuius publici operis aut cuius instituti auctor fuerit (3).

§ III. *De inscriptionibus operum publicorum.*

1. Etsi operum publicorum multa sunt genera, inscriptionum tamen una plerumque forma esse solet: quumque exemplorum vel optimorum non exiguus sit numerus, ita dictionis varia est ratio, idem ut fere in omnibus verborum ordo reperiatur.

Ac primum ab auctore operis exordium esse sumendum exempla prope omnia clamant: nisi quod, non modo senatus aut princeps, sed ipsi saepe magistratus, quorum cura opus absolutum esset, pro auctoribus habebantur, ut ut sumptus respublica ex aerario suppeditasset; hac tamen

(1) Ferr. inscr. p. 103. prim. edit.

(2) In Jul. c. 20, n. 1.

(3) Hisce omnibus quoque, tertio operi sui lib., formulas Morcellius largiter suppeditabit.

ubique lege, ut, quibus inscriptio publico decreto data esset, ii se opus tantummodo faciendum aut restituendum curasse, vel certe publica se pecunia fecisse, restituisse significarent (1):

L . STATIVS . CN . F . CHILO
L . PETTIVS . C . F . PANSA
. . . .
MVRVM . CAEMENTICIVM
PORTAM . PORTICVM
TEMPLVM . BONAE . DEAE
PAGI . DECRETO . FACIENDVM
CVRAVERVNT . PROBAVERVNTQVE

2. Sunt et inscriptiones quaedam optimae notae, quae, ante ipsos operum publicorum auctores, nomen principis referant, vel ad indicium temporis, quemadmodum hic habet titulus, quem ad ripam Danubii ultra Orsovam legit Marsilius (2), in ipsa rupe, quam legiones duae exciderant, viae muniendae causa:

TI . CAESARE . AVG . F .
AVGVSTO . IMPERATORE
PONT . MAX . TR . POST . XXX
LEG . IIII . SCHYTIC . V . MACED .

vel ut *Ex Auctoritate* principis opera extructa refectave significarent; vel denique ut opus suum illi se dedicare auctores profiterentur, illis formulis praemissis *Honori*, aut *In Honorem*, aut etiam principis nomine dativo casu praescripto (3):

IMP . CAESARI . DIVI
TRAIANI . PARTHICI
FIL . DIVI . NERVAE . NEP .
TRAIANO . HADRIANO
. . . .
Q . TAMVDIVS . Q . F . . . . .
FAC . CVR .

(1) Anecd. Litt. Rom., t. 2, p. 466, n. 15.
(2) Danub. t. 2, p. 127, n. 3.
(3) Grut. p. 248, n. 6.

Iamvero quae opera alius fecerat, alius restituerat, sive etiam alius incohaverat, alius absolverat, in eorum inscriptionibus utriusque facta mentio est.

In titulis, magistratibus, muneribusque omnibus operum auctoribus adscribendis eundem ordinem veteres, quem in honorariis inscriptionibus, sequuti sunt, nisi quod nullam laudem his, nullum appositum addidere, praeter ea, quae dignitatis munerisque propria et perpetua viderentur. Quippe inscriptionis non alius auctor putabatur, quam qui et operis erat, quem sane plaudere sibi et res suas laudibus praedicare non decebat. Nam quod operis auctor non primae, sed tertiae personae figura loquens inducatur, latinae id consuetudinis erat, quam etiam in epistolarum titulis servatum esse videmus. Nec tamen tituli desunt, in quibus auctori persona prima tribuatur: *Viam Fecei Ab Regio Ad Capuam Et In Ea Via Ponteis Omneis Meiliarios Tabelariosque Poseivei.*

Quod vero *Pater Patriae, Pius, Frugi, Maximus* in huiusmodi titulis interdum invenias, non laudis ea apposita, sed cognomina sunt.

Nec tamen ita in historica inscriptione laudibus interdicitur, ut operis auctor alium commendare nequeat, cuius opera aut consilio usus sit.

3. In honorariis inscriptionibus verbum, quo honorem deferrent, veteres plerumque omisere; in historicis contra ad susceptam curam, aut opus perfectum, aut sumptus factos indicandos addidere fere semper: res potius ipsa nomenque operis praetermissum, quum incurreret in oculos nec quisquam legendo haereret. Quod si legenti non omnia coram obversarentur, tunc singula nominibus suis designabant (1):

M . M . LARTIENI . SABINI . PATER
ET . FILIVS . QVINQVENNALES . AQVAM
IN . FANVM . SVA . IMPENSA PER-
DVXERVNT . SALIENTES . QVADRI-
FARIAM . SVO . LOCO . RESTITVERVNT

(1) Don. Cl 2, n. 31.

CANALES . VETVSTATE . CORRVPTOS
ET . DISSIPATOS . RESTITVERVNT
FISTVLAS . OMNES . ET . SIGILLA
AHENEA . POSVERVNT . TECTA . RE-
FECERVNT . OMNIA . SVA . IMPENSA
FECERVNT

Ad verbum quod attinet, eo interdum suspenso usi videntur veteres, quum ante titulus affigeretur, quam opus esse perfectum (1):

C . CAESAR
AVGVST . F .
COS .
VIAS . OMNES
ARIMINI . STERN . (2)

Praeterea ad operis ipsius commendationem id quoque interdum significatum est, quam brevi temporis spatio absolutum esset. Summa etiam pecuniae non raro subscripta, si quid sumptuosius a privatis factum esset. Alias, si minus pecuniae summa, genus certe explicatum: unde ea nempe obvenisset, aut quomodo parata esset. Hinc illae formulae *Ex manubiis*, *Ex Aere Multatico* aut *Multatitio*, *Ex Aere Collato*, *Pecunia Publica*, *Sua Pecunia*, atque id genus aliae.

Inscriptionibus operum publicorum, ad quae sumptus ex aerario datus esset, adiectum saepe a quibus opera essent probata, sive ii magistratus essent senatus sententia ad id designati, sive ipsi operum curatores (3):

L . FABRICIVS . C . F . CVR . VIAR .
FACIVNDVM . COERAVIT
IDEMQVE . PROBAVIT
Q . LEPIDVS . M . F . M . LOLLIVS . M . F . COS .
EX . S . C . PROBAVERVNT

(1) Murat. p. 2006, n, 3.
(2) *Sternebat.*
(3) Grut. p. 160, n. 3.

Tempora consulibus adscriptis vix unquam designari solebant, quum opera publica vel princeps, vel primarii magistratus facienda curassent, quippe ea ipsorum honoribus satis indicarentur: nobis vero, quibus magistratuum fasti nulli sint, aut certe ex horum nominibus anni non numerantur, temporis nota accurate est designanda.

4. Inscriptionum, de quibus hic agimus, nullae plerumque sunt clausulae: ut narrationem ab auctoris nomine inchoatam, insertis, quae conveniant, appositis, enunciatoque operis argumento, unum fere verbum numerose concludat.

In iis tamen, quae opera in solo publico a privatis aut a magistratu, sed privato sumptu, constituta declarant, formula subscripta est, quae locum decurionum decreto datum admoneat. Tum in publicis municipiorum operibus, infra titulum, vel dividuis litteris ad latera, legimus EX. S. C. Iis vero titulis, qui operibus inscripti sunt ex testamento factis, subiectum aliquando leges, cuius arbitratu opus confectum sit. Sententiam item aliquam ad latera monumentorum inscriptam nonnunquam invenias, ut in Donii et Maffei exemplis (1) graecum illud adagium ʽὯρα Καὶ Τύχη.

Quia vero nova opera quum primum aperiebantur, sive, ut Latini aiebant, dedicabantur, sportulae decurionibus et populo dividi solebant, idcirco hoc etiam in fine operis aliquando adnotatum est, nedum dedicationis annus et dies: quae tamen omnia raro in operis fronte inscribebant. Quo exemplo, cur non et nobis liceat epuli, ex. gr., mentionem addere, quo primam ferratarum viarum apertionem auspicari sollemne est?

Nec illud tandem omittendum, titulos operum publicorum extare quosdam, qui non alia de causa positi olim fuisse videntur, nisi ut sciret posteritas vel quo illa anno, vel quorum impensa condita essent (2):

TI . CLAVDIO . NERONE	BALINEVM . REFECTVM
P . QVINTILIO . VARO . COS .	DEC . DECR . PECVN . PVBLIC.
CONSTITVTVM . EST	PARTIS . PELTVINATIVM

(1) Don. Cl. n. 11. Maff. M. V.
(2) Murat. p. 297, n. 1. — Fabr. p. 703, n. 240.

§ IIII. *De indicibus locorum publicorum privatorumque.*

1. Harum inscriptionum gemina videtur forma: aliae longiusculae sunt atque ad normam earum confectae, quae operibus publicis praefigebantur (1):

IMP . CAESAR
VESPASIANVS . AVG .
PONTIF . MAX . TRIBVN .
POTEST VI . IMP . XIIII . P . P .
COS . VI . DESIG . VII . CENSOR
LOCVM . VINEAE . PVBLICAE
OCCVPATVM . A . PRIVATIS
PER . COLLEGIVM . PONTIFICVM
RESTITVIT

aliae contra breves admodum et ad finium tantum locorumque discrimina cippis terminisque insculptae. Huius-modi est, quae milliario XVII ab urbe Pisis in veteri columna legitur (2):

VIA . AEMILIA
A . ROM . M . P . C .
LXXXVIII . (3)

atque haec, quae fines Aquenses ab Arelatensibus separabat; lapides enim terminales, ut agrorum, sic regionum erant atque ditionum; quae inscriptio suos utraque fines spectabat (4):

FIN . | FIN .
AQ . | AREL .

(1) Fabr. p. 684, n. 84.
(2) Gor. *Inscr.* t. 3, p. 368, n. 18.
(3) *Millia Passuum* 188.
(4) Spons. *Misc.* p. 165, n. 2.

atque haec itidem alia, qua ager publicus a privato distinguebatur (1):

FINIS
INTER . PVBLICVM
ET . PRIVATVM

Interdum, quum res posceret, pedes inscripti, quot quisque terminus a loco definito distaret: *Cippus Primus Defixus Erat Contra Angulum Dexteriorem Monumenti Rusticeli Et Aberat Ab Trunco Monumenti P. V. Et Ab Structura Aquae Clusaris P. VS.* (2).

Hic non abs re erit aliquid etiam de iis titulis subnotare, qui nostra aetate plurimi ponuntur ad ea loca designanda, quae princeps, aut vir aliquis praeclarissimus inviserit, aut quibus delectatus sit. Cuius quidem rei causa veteres, aut nihil, opinor, aut non aliud, quam carmen inscribere solebant: quos quidem imitari satius sit, quam eos, qui multis verbis, vel nihil dicunt, vel illud quod non debent. Verum quia non semper repugnare licet, si quando indulgendum amicis erit, hoc maxime conemur, ut inscriptio factum aliquod, aut adiuncta commemoratione digna, fastorum more, comprehendat (3):

ANNO . M . DCC . LXXX .
XVII . KAL . MAIAS
PIVS . VI . PONT . MAX .
FINIBVS . RENASCENTIS . SOLI
QVA . PALVS . POMPTINA . FVIT . PERAGRATIS
ET . MEMORANDI . OPERIS . MOLITIONE . PROBATA
HIS . AEDIBVS . HOSPES . SVCCESSIT
VICANOS . OMNES
ADMISSIONE . ADLOQVIO . LIBERALITATE
BEAVIT

(1) Murat. p. 495, n. 2.
(2) *Pedes quinque semis.*
(3) Morc. l. II, part. I, c. III.

§ V. *De indicibus eorum, quae donata, legata, vendita aut empta sunt.*

1. Ne hic quidem longo sermone utendum: pauca enim indices huiusmodi habent propria, nec fere a forma abeunt, qua inscriptiones operum publicorum perscriptae sunt.

Primi ut plurimum inducuntur, a quibus res aut pecunia profecta est, iisque sui magistratus, sua cuique munera plerumque adscribuntur. Post haec ea fere recenseri solent, quae legata aut donata sint, praesertim quum non res una, sed plures relictae, atque ab his procul abest titulus, vel uni tantum affixus est. Causa etiam saepe additur, ob quam quid donatum vel legatum velimus. Exemplo sit titulus iste a Ferrario confectus (1):

IOANNES . DEVICO . NEGOTIATOR . VESTIARIVS
SODALITATI . VINCENTIANAE
SVA . OMNIA . A . TESTAMENTO . LEGAVIT
HAEREDITATIS . HAEC . SVMMA
AVLAEA . AVRO . ET . ARGENTO . TEXTA . IIII .
ACV . PICTA . VIII . PERISTROMATIS . PVRPVRATI
CONCLAVIA . II . CITRINI . TOTIDEM . CVM . LECTVLIS
ET . OMNI . INSTRVMENTO . ET . SEDIVM . CONCOLORVM
PARIBVS . XII . SEDECVLIS . IIII . SEDILIBVS
GEMINIS . SPECVLA . PRAEGRANDIA . CVM . ABACIS
AVRATIS . IIII . LYCHNI . CVM . LVCIBVS . XVIII
RADIATI . EX . CRYSTALLO . IIII . BRACTEATVS
ARGENTO . VNVS . MENSAE . BRASILICAE . GEMINAE
EX . MARMORE . IIII . SCRINIA . EX EBORE . III
PICTAE . TABVLAE . MELIORIS . NOTAE . XX .
PRAETEREA . INSTRVMENTI . COQVINARII . ESCARI

(1) *Inscr.* secund. edit., p. 269.

ET . SVPPELLECTILIS . ET . VOLVMINVM . MAGNVS
NVMERVS . CVM . HAEREDITATE . NOMINVM . ET
PECVNIAE . IDEM . VILLAM . SVBVRBANAM . CVM
HORTO . INSTRVCTO . ET . SALTV . AESTIVO . AD
DIVERSANDVM . FERIATIS . DIEBVS . POST . SCHOLAS
MYSTERIORVM . ET . SACRAS . PRECES . SODALIBVS
DEDIT . AN . M . DCC . LXI .

2. Ad indices quod spectat, qui res venditas aut emptas declarant, varie ii quidem contexti sunt, at saepius tamen ea verborum dispositione, ut emptor primus recenseatur, venditor secundo loco memoretur: de ipsa autem stipulatione ac de pecunia soluta vix quidquam adiectum. Ceterum antiquae quot extant privatorum inscriptiones, in quibus de venditione aut emptione agatur, totidem fere circa monumenta et sepulcra maceriamque eorum versantur: quare inscriptiones illae saepe epitaphia eaedem sunt (1):

M . INSTEIVS . M . L . EVTYCHVS
MONIMENTVM . SIVE . ID . SEPVLCRVM . EST
FECIT . SIBI . ET . INSTEIAE . ARESCVSAE
L . ARISTIVS . L . L . LVCRIO
EMIT . EX . PARTE . DIMIDIA
SIBI . ET . SVIS
ARISTIAE . L . L . DAPHE
L . ARISTIVS . L . L . TYRANNVS . V . A . XXIIII .

CAPVT V.

DE ELLOGIIS

§ 1. *De ratione generis universa.*

1. Inter ellogia et honorarias inscriptiones, si veterum exempla videas, hoc praesertim interest, quod hae vivis omnes, vel certe recens mortuis ponebantur, eaeque, ut

(1) Maff. M. V. p. 285, n. 8.

vidimus, senatus aut decurionum, aut collegiorum decreto: nullum enim usquam exemplum est sine nomine et indicio aliquo eorum, qui honorem habuerint; ponebantur autem una cum statua non ad fori aut basilicarum ornatum, sed ut gratiam benemeritis referrent, et quam ipsi experti essent virtutem honore afficerent. Quae sane plerisque in ellogiis spectari non possunt, quum fere de iis agatur, qui minime ad nos pertinuerint, vel quod aliis temporibus, vel quod aliis in urbibus floruere. Nec vero, si statuae aliquando sanctis coelitibus, civitate periculis liberata, ponuntur, honorariae tunc inscriptioni locus est, quum sacra omnino, sive votiva requiratur.

Ellogium ad id inventum esse constat, ut posteri ad virtutem legendo excitentur. Unde etiam patet qua ratione sit conscribendum. Non minutas quasque res persequemur, non pueritiae studia aut adolescentiae communes laudes attingemus, neque, ut vitarum scriptores, omnia complectemur virtutes simul et vitia et varios casus acceptasque calamitates in unum librum conferentes; verum ex ipsis virtutibus praeclarisque factis ea solum, quae eximia putantur, deligentes, non ad veritatem tantum, sed ad exemplum atque admirationem posteris trademus: stilo autem presso et circumscripto, nec tamen exili atque rudi utemur.

Finis ellogio idem, qui rerum enumerationi, nec clausula ulla subiicienda est: totum enim ellogium ad personam pertinet unam, cuius simulacro subiectum est: quare nusquam in eo de monumenti auctore, nusquam de imaginis dedicatione mentionem factam esse reperies.

3. Quid tamen, si monumenti auctor nomen suum adscribi velit? Indulgendum, censeo, sed ita ut a veterum consuetudine minime recedamus: ellogium scilicet in basis fronte legatur; tum, alius si locus deerit, ad basis latera auctor et dedicatio inscribantur. Itaque si Arpinates, exempli gratia, statuam cum ellogio M. Tullio, municipi suo, ea conditione ponendam decreverint, id ita facile praestari posse opinor (1):

(1) Morc. l. II, part. I, c. V.

M . TVLLIVS . M . F .
CICERO . COS . PROCOS .
PRAET . AED . QVAEST .
TRIB . MIL . AVGVR . IN
CONSVLATV . CONIVRATIONEM
L . CATILINAE . DEPREHENDIT
ET . RE . PVBLICA
E . PERICVLIS . EREPTA
PRIMVS . OMNIVM . A
SENATV . PARENS . PATRIAE
APPELLATVS . EST . IN
PROCONSVLATV . CILICIA
PROVINCIA . SANCTE
ADMINISTRATA . IVSTI
ETIAM . TRIVMPHI . RES
GESSIT . IMPERATOR . AB
EXERCITV . DICTVS . PRIVATVS
QVOQVE . MAGNO . VSVI
REI . PVBLICAE . SEMPER
FVIT . IN . CVRIA . IN
ROSTRIS . IN . FORO
DEFENSOR . SENATVS
VINDEX . LIBERTATIS . ARTES
IDEM . ET . STVDIA . VNVS
EX . OMNIBVS . MAXIME
COLVIT . ORATOR . OPTIMVS . ET
PHILOSOPHVS . PRAESTANTISSIMVS
DISCIPLINAS . GRAECORVM
LATIO . INTVLIT

CIVI
MAXIMO
DECR . DEC .
PVBLICE

DEDIC .
KAL . APRIL .
AN . . . . .

§ II. *De ellogiis coelitum sanctorum.*

1. Initium a nomine erit: sacerdotia deinde sanctis coelitibus muneraque adscribenda, quaecumque in vita obiere: et si quis constitutor collegiorum fuerit, aut familiae religiosae parens atque auctor, ne id quidem omittendum

est. Praecipue autem ea subiicienda cognomina, quae quisque a rebus gestis invenerit, efferendique tituli, quos sibi quisque laboribus et virtute pepererit, cuiusmodi illa habentur *Apostolus*, *Martyr*, *Thaumaturgos*, et qui doctrinam atque eloquentiam designant, *Evangelistes*, *Doctor*, *Theologus*, *Chrysologos*, *Chrysostomos*, quorum plerique, quamquam Latinis veteribus ignoti sunt, legitimi tamen habendi, quum apud priscos Christianos in honore fuisse constet, quorum et in lingua latina, siquidem de appellationibus tantum agatur, utique aliquid valere debet auctoritas.

2. Post haec narratio incipiet, quae res gestas dilucide et breviter tamen, eoque, de quo superius diximus, delectu complectatur. In formulis vero, quamquam non omnes e veterum exemplis discere fas est, nullum tamen negotium habiturus est, qui et latine sciat, et ellogii leges noverit. Res autem sic exponendae, ut aut ordinem sequaris, quo gestae sunt, aut a minoribus ad maiora progrediare: quod ipsum simplici tamen dictione faciendum est, neque sententiarum adhibendae figurae, quae fusiori tantum orationi aut historiae conveniunt. Ita certe veteribus visum est, ut vel particula haec ex Furii Camilli ellogio docere potest (1):

VEIOS . POST . VRBEM
CAPTAM . COMMIGRARI
PASSVS . NON . EST
ETRVSCIS . AD . SVTRIVM
DEVICTIS . AEQVIS . ET
VOLSCIS . SVBACTIS
TERTIVM . TRIVMPHAVIT
. . . .

Ubi facta exposueris, virtutes etiam, si libeat, commemorato, quae praeclarissimae fuerint, iisque utitor appositis, quae virtutis praestantiam extollant; verum argutiis omnino fucatisque ornamentis abstineto.

(1) Grut. p. 298, n. 4. — Fabr. p. 751, n. 584.

Extremis potissimum ellogii versibus de extraordinario honore mentionem fieri convenit, si cui quis habitus sit. Porro magnis viris, qui ex hominum vita ad coelitum religionem sanctimoniamque demigrarunt, raro ante ipsum excessum vel studia urbium vel populorum praeconia defuerunt. Hi saepe legationum principes fuerunt, hisque auctoribus foedera aliquando composita et pax constituta: amplissima iisdem sacerdotia ultro delata, aut ornatissima facta decreta, in quibus municipiorum parentes et conservatores appellati, gratiae publicae actae aut publice ad honores invitati. Adde quae ad honores eorum postumos spectant, cuiusmodi est luctus publice factus, vel benefica ipsorum voluntas, quum coelo potiti mortalium vota audierint et calamitates praesenti auxilio propulsarint. Haec omnia sub ellogii finem locum optime invenient, quippe sanctitatis indicium sit vel maximum, publico eam esse iudicio comprobatam. Exemplo sit ellogium, quod in magni Chrysostomi honorem adolescentem se composuisse Morcellius narrat (1):

IOANNES . SANCTVS
DOCTOR . CHRYSOSTOMOS
PATER . ECCLESIAE
PONTIFEX . MAIOR . CONSTANTINOP .
PRIMVS . SACERDOTVM . MINORVM . CONCIONES
ANTIOCHIAE . AD . POPVLVM . HABVIT . CIVESQVE
SVOS . AD . RELIGIONEM . ET . VIRTVTEM
INSTITVENS . AB . AVREA . ELOQVENTIA . COGNOMEN
INVENIT . IDEM . DEDVCTVS . AB . IMP . ARCADIO
AVG . ECCLESIAE . CONSTANTINOP . SANCTISSIME
PRAEFVIT . VITIORVM . OMNIVM . INSECTATOR
ET . HAERETICARVM . FACTIONVM . HOSTIS . PRO
MAIESTATE . SACERDOTII . TVENDA . PRO .
ECCLESIAE . LEGIBVS . CONSERVANDIS . SAEPE
IN . DISCRIMEN . CAPITIS . VOCATVS . PERICVLA
IMMOBILI . PIETATE . CONTEMPSIT . ODIA

(1) Lib. II, part. I, c. V.

IMPROBORVM . EXPLEVIT . BIS . OMNIVM
BONORVM . MOERORE . IN . EXILIVM . ACTVS
MORTE . IN . EXILIO . FORTISSIME . OPPETITA
QVEM . ORBIS . TERRARVM . VT . PARENTEM . LVXIT
NOMEN . EIVS . IVSSV . INNOCENTII . I . PONT . MAX .
FASTIS . EST . SACRIS . ADSCRIPTVM
CORPVS . AB . IMP . CAES . THEODOSIO . AVG . F . AVG .
TRIVMPHALI . POMPA . CONSTANTINOPOLIM . AD . TEMPLVM
MAXIMVM . EFFVSA . OBVIAM . CIVITATE . RELATVM . EST

§ III. *De ellogiis virorum et feminarum illustrium.*

1. Horum quoque structura et stilus idem erit, quem de coelitum ellogiis memoravimus: rursus inter virorum feminarumque ellogia nullum prope discrimen, nisi in appositis titulisque. Scilicet hic quoque laudati nomen initium faciet, quod magistratus et propria cuiusque munera sequentur, atque haec omnia decora, brevis et dilucida narratio excipiet.

Ad feminarum quidem ellogia quod spectat, breviora ea apud veteres invenies, qui, privatae vitae laudibus fere posthabitis, vix aliud plerumque, quam indicium generis et munera, quibus functae essent, notare consueverunt. Verum nos, praesertim si in domorum atriis privatisque pinacothecis, aliisve huiusmodi locis ellogia ponenda sint, cur ab omni rerum narratione omnique ornatu abstinebimus et generosarum mulierum egregias virtutes et praeclare facta laude sua et memoria fraudabimus? Immo, quae reipublicae utiles et patriae salutares fuerint, cur non eas publico et nobilissimo ellogio praedicabimus?

CAPVT VI.

DE CONSTITVTIONIBVS PVBLICIS.

§ I. *De ratione generis universa.*

1. Quum, repudiato latini sermonis usu, quidquid publice indicitur vernacula lingua iamdiu evulgetur, breviter admodum de constitutionibus publicis dicendum nobis videtur: dicendum tamen, tum ne res omnino indicta relinquatur; tum quod non, una cum lingua, stilum itidem consenuisse putamus, imo exemplum imitatione dignissimum praebere; tum etiam quod in privatis quibusdam edictionibus nullum hodieque latinae linguae locum opportune dari non credimus. Verum in his etiam, quamquam de rebus non ita magnis, decus tamen servandum, atque ab ineptiis scurrilibusque argutiis abstinendum. Etenim cui non haec puteant frigeantque, quae pro bibliotheca sua, suis ut libris caveret, ioculariter quidam edicit?

HVNC . NE . MANCIPIVM . DVCITO . LIBER . EST
NE . IGITVR . NOTIS . COMPVNGITO . NE . CAESIM
PVNCTIMVE . FERITO . HOSTIS . NON . EST .
ATRAMENTVM . VLTRA . PRIMVM . LAPIDEM
EXESTO . MORI . MAVVLT . QVAM . FOEDARI .

Cui non levia aut etiam indecora haec alia bibliothecam ingressuris edicta?

NEMO . LIMEN . CLANCVLVM . TRANSCVRRITO
NIVE . LOCVLIS . MANVM . ADMOVETO . . . .
IN . EO . (*libro*) . NE . INCVMBITO . EXCRIPTVRVS . NE
PAPYRVM . IMPONITO . ATRAMENTVM . ET . ARENAM
LONGE . DEXTRORSVM . ARCETO

Scilicet haec inanium iocorum insulsitas aut levissimarum rerum consectatio nullam ornare inscriptionem possunt.

2. Cavendum etiam, quod non minus esset ineptum atque ridiculum, ne huiusmodi inscriptionum formulas in XII tabularum fragmentis horridioreque illa antiquitate quaeras.

§ II. *De legibus atque edictis.*

1. Legum atque edictorum finis unus fere atque idem, iubere aut vetare: sed legum hoc proprium, ut multas plerumque res comprehendant, et quae fieri vel iubent, vel vetant, ea civium communia omnium sint: contra edicta circa rem unam singula fere versantur; eaque non omnibus semper, sed huic, aut illi ordini et societati proposita sunt: deinde haec brevi fere orationis ambitu descripta; leges vero non unam tabulam implere solent.

Ad leges quod pertinet, initium omnibus idem fuisse videtur, nomen scilicet illius sive consulis, sive tribuni, qui populum plebemve rogaret (1):

> T . QVINTIVS . CRISPINVS . COS . POPVLVM
> INTERROGAVIT . POPVLVSQVE . IVRE . SCIVIT . IN
> FORO . PRO . ROSTRIS . AEDIS . DIVI . IVLII . A
> D . KAL . IVLIAS . TRIBVI . SERGIAE . PRINCIPIVM
> FVIT . PRO . TRIBV . SEX . L . F . VARRO

Quod si a principe lex prodiret, tum quod esse posset exordium Theodosii tibi et Justiniani veteres codices declarant. Verum id parum ad nos, quum hodie nullae latinae leges scribantur, nisi quas forte privati viri domi suae sanciant: hae autem vel nullo exordio recte scribentur, quum locus, quo prostare debent, de legislatore ipse loquatur. Harum tibi exemplum lex illa colonica

(1) Maff. *Dipl.* p. 49.

praebet, quam in libro suo de *Re Rustica* descripsit Cato :

HAEC . ERVNT . VILLICI . OFFICIA
DISCIPLINA . BONA . VTATVR . FERIAE . SERVENTVR
ALIENO . MANVM . ABSTINEAT . SVA . SERVET
DILIGENTER . . . .

et quae sequuntur antiqua prorsus simplicitate et venustate plena. Catonem imitatus legem hanc elegantissime condidit Morcellius in Alexandri Albani cardinalis bibliotheca figendam (1) :

PRAEFECTI . BIBLIOTHECAE
HAEC . ERVNT . OFFICIA
LIBRORVM . CODICVM . CHARTARVMQVE . QVAECVMQVE
INLATA . DESCRIPTA . DEDICATAVE . SIENT . CVSTOS
ESTO . QVAE . NOVA . ADCREVERINT . IN . ELENCHVM
IN . INDICEM . REFERAT
QVAE . PECVNIA . EMENDORVM . VOLVMINVM . NOMINE
AVT . IN . TVITIONEM . DATA . ADTRIBVTA . FVERIT
EAM . PECVNIAM . INFERAT . RATIONIBVS . TABVLASQVE
ACCEPTI . ET . EXPENSI . CONFICIAT
LIBRVM . SCRIPTVMVE . VTI . LIMINE . EFFERAT
DEDERIT . NEMINI
AMICOS . DOMINI . ET . FAMILIARES . COMIS . RECIPITO
IGNOTVM . NE . QVEM . ADMITTITO
ADESTO . A . MERIDIE . ALTERNIS . DIEBVS . QVI
PROFESTI . ERVNT . MANE . KALENDIS . ET . IDIBVS
OCTOBRI . MENSE . FERIATOR
ARMARIA . QVVM . ABERIT . CLAVSA . VTI . SIENT . ET
OSTIVM . NE . CVI . PATEAT . CVRATO
QVI . MVNDICIAS . FACIAT . SERVVM . HABETO . CONSIDERET
QVAE . DOMINVS . IMPERAVERIT . FIANT
QVID . SIBI . CREDITVM . THESAVRI . SIET . VNVS
NOSCITET . MAXIME . IDEM . LIBRIS . SAPIENTER
VTATVR . DISCENDI . TERMINOS . ESSE . NVLLOS
MEMINERIT

(1) Lib. II, part. I, c. vi.

Unde id tibi etiam colligere est, quo scilicet verborum ordine et collocatione huiusmodi inscriptiones ut plurimum gaudeant: primo nempe loco vel ii venient, qui lege teneantur, res ipsa vero, quam praestare debeant, subsequetur; vel contra haec prima enunciabitur, illi vero secundo loco referentur: verbis autem, quae ad iubendum, aut vetandum, aut permittendum adhibeantur, ultimus fere locus tribuitur eaque imperativo maxime modo usurpantur.

2. Edicta, quibus singuli magistratus non modo quae iuris erant, sed etiam quae ad ritus et consuetudines pertinerent, et quaecumque e rep. visa essent, vel ex sua, vel ex senatus auctoritate edicebant, a fausto omine initium faciebant, ea potissimum formula B. F. (*Bonum Factum*) vel etiam hac *Quod Bonum Faustum Felix Fortunatumque Sit:* tum nomina sua magistratus et muneris officiique sui appellationem addebant: deinde narrationem fere ordiebantur, post quam sententiam suam explicabant. Si quid vetarent, formula erat *Non Placere*, ut quum Augustus, ad feminas athletarum spectaculo prohibendas, edixit *Mulieres ante horam quintam venire in theatrum Non Placere*. At, si quid iuberent, plerumque se *Edicere* pronuntiabant:

EDICIMVS
OMNES . QVI . IN . VERBA . IVRASTIS
CRASTINA . DIE . ARMATI . AD . LACVM
REGILLVM . ADSITIS . (1)

3. Edicta privata, quae ad nos propius pertinent, sunt quae quis, privatae rei causa, faciat, quibus et veteres usi sunt, ad funera, exempli gratia, indicenda. Huiusmodi edictis, veterum more, nobis quoque uti interdum licebit, docendi, aut suadendi causa, aut si quid simile occurret. Ita Morcellius, quum rhetoris officio Romae fungeretur,

(1) Liv. l. 3, c. 8, n. 20.

hoc edictum scripsit ad litterarium auditorum suorum certamen indicendum (1):

QVOD . FELIX . FAVSTVMQVE . SIT
TRIGINTA . PRIMI
E . SCHOLA . RHETORICA . COLL . ROM .
SI . CVI . COMMODVM . EST . INTERESSE
IDIBVS . AVGVSTIS
DISCIPLINARVM . LIBERALIVM . EXPERIMENTA
PVBLICABVNT

§ III. *De S. C. et Decretis civitatum.*

1. Quae Romae *senatus consulta*, aut, si tribuni intercessissent, *senatus consultorum auctoritates* appellabantur, ea in municipiis *decreta*, aut *decretorum auctoritates* nominabant. Sed utraque simili adeo ratione formaque scripta sunt. Initio scilicet referebant, quo die, quo loco facta essent, quinam quotve numero senatores scribendo adfuissent; ut videre est in ipso senatus consulto de Bacchanalibus (2).

Post nomina eorum, qui scribendo adfuissent, versu a capite inchoato, eum protinus designabant, qui *Verba Fecisset*, sententiae scilicet auctorem, cui patres adsensi essent: *Quod C. Canius C. F. Saturninus II Vir V. F. De Augendis Honoribus L. Caesaris.* . . . . Quod si multi de eadem re locuti essent, ita scribebant *quod Verba Facta Sunt*, vel *Quod Universi Verba Fecerunt.* Tum, indicato quid magistratus proposuissent suasissentque, formula illa sollemnis subiiciebatur *Quod De Ea Re Fieri Placuit*, *De Ea Re Censuerunt*; vel etiam brevius *De Ea Re Ita Censuerunt:* quae, quia nota erant, litteris fere singularibus

(1) Lib. II, part. I, c. VI.
(2) Fabret . p. 427, n. 1, et Egiz. in Explic.

scribebantur D. E. R. I. C. En tibi haec omnia veteri exemplo declarata (1):

PRIDIE . KAL . OCT . IN . AEDE
APOLLINIS . SCRIBENDO . ADFVERVNT
L . DOMITIVS . CN . F . AHENOBARBVS . . . .

(sequuntur nomina ceterorum)

QVOD . M . MARCELLVS . COS . V . F . DE . PROVINCIIS
CONSVLARIBVS . D . E . R . I . C . VTI . L . PAVLLVS
C . MARCELLVS . COS . CVM . MAGISTRATVM . INISSENT . . .

(sequuntur res, quibus indicendis edictum est constitutum)

Municipalium decretorum illud maxime proprium, ut, post formulam D. E. R. I. C., addatur aliquando qui primus censuerit: *Primo Censente Calfurnio Certo,* quamquam id ipsum in fine etiam legimus; tum etiam ut extremo loco iterum scribatur *Censuerunt*, quo verbo decuriones decreti formam approbasse significetur.

2. Quum vero de viris fortibus honorandis ageretur (ad quod potissimum usuvenire nobis potest ut latina interdum decreta scribamus), primum res gestas ac meritum cuiusque veteres commemorabant, ut deinde iudicii testimoniique sui laudem tribuerent.

Exemplo sit senatus consultum, quo statutum est ut *Sextilis* mensis ex Octaviani cognomine *Augustus* nuncuparetur (2):

CVM . IMP . CAESAR . AVGVSTVS . MENSE . SEXTILI
ET . PRIMVM . CONSVLATVM . INIERIT . ET
TRIVMPHOS . TRES . IN . VRBEM . INTVLERIT . ET . EX
IANICVLO . LEGIONES . DEDVCTAE . SEQVVTAEQVE
SINT . EIVS . AVSPICIA . AC . FIDEM . SED . ET
AEGYPTVS . HOC . MENSE . IN . POTESTATEM

(1) Cic. Famil. l. 8, ep. 8.
(2) Macrob. Sat. l. I, c. 12.

POPVLI . ROMANI . REDACTA . SIT . FINISQVE HOC . MENSE . BELLIS . CIVILIBVS . IMPOSITVS . SIT ATQVE . OB . HAS . CAVSAS . HIC . MENSIS HVIC . IMPERIO . FELICISSIMVS . SIT . AC . FVERIT PLACERE . SENATVI . VT . HIC . MENSIS . AVGVSTVS APPELLETVR.

3. Ceterum decretorum exempla alia saepe aliis vel initiis, vel distributionibus, vel clausulis distincta inveniuntur. Quapropter ne nos quidem unum semper circa exemplar haerebimus, ac, si res poscat, aliquid etiam aliquando novabimus, formulis tamen usi et aptis et antiquis. Velut si ad eum, qui in amplissimum ordinem cooptatus fuerit, decreti exemplar publice mittendum sit, cui subscribi oporteat unde descriptum id fuerit et quo illud loco adservetur, licebit antiquorum diplomatum clausulam ad decretum ipsum transferre. Puta latine describendum esse decreti illius exemplar, quo Th. Vallaurius a Sarsinate nuper municipio civitate donatus est atque in patriciorum ordinem cooptatus: praemisso principis nomine, quo regnante res acta est, deinde eorum, penes quos summa municipii administratio sit, ita reliqua perscribere licebit:

X̅X̅ . (*vel quotquot sint*) VIRI . MVNICIPII . SARSINATIS IN . CVRIAM . QVVM . CONVENISSENT . PLACVIT VNIVERSIS . THOM . VALLAVRIVM . V . C . DOMO . CLVSIA . APVD . SVBALPINOS . IN . TAVRIN . ATHENAEO . LATINIS . LITTERIS . TRADENDIS . DOCTOREM QVOD . LATINAE . IPSE . ELOQVENTIAE . INTER AEQVALES . FACILE . PRINCEPS . PRINCIPEM . ROMANAE COMOEDIAE . ATQVE . HVIVS . MVNICIPII . DECVS . M . A . PLAVTVM . ITA . ILLVSTRANDVM . SVSCEPERIT . VT SVAM . IPSI . QVANTVM . IAM . FIERI . LICET . ET GERMANAM . LVCEM . RESTITVERIT . QVO . FACTO OPTIME . DE . CIVIBVS . SARSINATIBVS . MERITVS . EST SINGVLAREMQVE . APVD . OMNES . GRATIAM . INIVIT

IDCIRCO . EVM . ET . CIVITATE . DONARI . ET . IN PATRICIORVM . NVMERVM . ADSCIRI . EIVSQVE . REI CAVSA . DECRETVM . CONSCRIBI . CENSVERVNT

ACTVM *(temp. indic.)*

DESCRIPTVM . ET . RECOGNITVM

EX . CODICE . AVREO

QVI . IN . TABVLARIO . ADSERVATVR

N . ( )

(temp. indic. tum scribae nom. et tit.)

§ IIII. *De tabulis foederum et hospitiorum.*

1. Latinus sermo ita omnium communis est nullisque mutationibus obnoxius, ut foederibus scribendis, ubi a controversiis cavere maxime interest, potissimum conveniat. Itaque videas, neque in Italia solum, sed apud Gallos, Germanos atque Britannos, id perdiu obtinuisse. Nunc vero, quum haec iamdiu consuetudo consenuerit, difficile est, ut publica foedera latine scribenda occurrant; sed, si quando obtingat, luculenta non deerunt exempla apud Romanos, unde colligere est tribus ea partibus potissimum constitisse. Primum scilicet formula illa sollemnis praescribebatur: *Amicitia Aetolis* (puta) *Cum Populo Romano His Legibus Et Conditionibus Esto.* Tum quae conditiones pacis amicitiaeve convenissent, eae legum more atque stilo efferebantur (1):

IMPERIVM . MAIESTATEMQVE . POPVLI . ROMANI GENS . AETOLORVM . CONSERVATO . SINE . DOLO MALO . NE . QVEM . EXERCITVM . QVI . ADVERSVS SOCIOS . AMICOSQVE . EORVM . DVCATVR . PER FINES . SVOS . TRANSIRE . SINITO . NIVE . VLLA OPE . IVVATO . HOSTES . EOSDEM . HABETO . QVOS POPVLVS . ROMANVS . ARMAQVE . IN EOS . FERTO BELLVMQVE . PARITER . GERITO

PERFVGAS . FVGITIVOS . CAPTIVOSQVE . REDDITO . . .

(1) Liv. l. 38, c. 9, n. 11.

Postremo loco iusiurandum subscribebatur, cuius exemplum legere est apud Livium, ubi foedus ictum inter Romanos et Albanos describit (1):

AVDI . IVPITER . AVDI . PATER . PATRATE . POPVLI ALBANI . . . . et quae sequuntur.

§ V. *De inscriptionibus mensurarum et ponderum.*

Paucorum hae verborum inscriptiones sunt.

Primum nomina magistratuum saepe inscripta, vel ut tempus indicaretur, quo mensurae aut pondera ad archetipon exacta essent, quod in Capitolio adservaretur, vel ut ea tractantibus pateret quis probasset; deinde nota quantitatis addita, quae et initio aliquando praescribebatur, quaeque sive in ponderibus, sive in mensuris pondo fere indicat, idest libras, item uncias, scrupula et huiusmodi:

TIB . CLAVDIO . CAES . AVG . $\overline{\text{IV}}$.
L . VITELLIO . $\overline{\text{III}}$. COS . P . $\overline{\text{II}}$. (2)

EX . AVCTORITATE
CAES . M . $\overline{\text{AVR}}$. ET . L . VER .
P . $\overline{\text{X}}$. ᴒ|ɔ . (3)

Verum de his satis: neque enim quisquam iam auctor sit, ut mensuris ponderibusque, quibus nunc utimur, inscriptiones veteri more linguaque incidantur.

§ VI. *De decretis actisque collegiorum.*

1 Collegia olim alia magistratuum, alia sodalium fuerunt: hic tantum de illis agimus, quae privati homines celebrarent; ceterorum enim decreta legibus edictisque accensere licet.

(1) Liv. l. 1, c. 9, n. 24.
(2) *Pondo Duo.*
(3) *Pondo Decem Et Semissis.*

Porro, ad formam quod pertinet, eadem fere fuit, quam in decretis vidimus, quae a municipiorum decurionibus fiebant.

Primum quidem sollemne erat, ut consules, et mensem et diem initio scriberent; tum locum etiam adderent, quo convenissent: is deinde ciebatur, qui verba fecerat et decreti auctor fuerat, ac, si plures de eadem re ad collegium retulissent, singuli nominabantur. Quia vero de honoribus fere agebatur, viri eius laudem, quem ornare vellent, in ipso exordio inserebant, eaque a nobilitate, a virtute, a liberalitate duci solebat: simul et honor proponebatur, qui ei deferendus videretur. Post haec, quid de ea re fieri placuisset, longo saepe verborum ambitu expositum legas, quippe haec exempla non eius aetatis sunt, quum nondum adsentari didicerant. His demum clausula ea subiecta *Censuerunt*.

Itaque decreta collegiorum scribi nunc incidique si oporteat, ut quum sodales magistri creandi causa convenerunt, facile quis veterum decretorum formam possit exprimere in hunc fere modum:

ANNO . M . DCC . LXXVIII .
PRID . ID . SEPTEMBR .
IN . TEMPLO . COLLEGI . FABRVM . CAPITOLINORVM
QVOD . L . LAVRENTIVS . BASSVS . PRO . MAG . VERBA . FECIT . DE . MAGISTRO . IN DEMORTVI LOCVM . CREANDO . Q . D . E . R . F . P . D . E R . I . C . (1)
QVVM . C . MARIVS . AVITVS . IS . VIR . IN . COLLEGIO NOSTRO . ESSE . VIDEATVR . CVI . VIRTVTE . ET AVCTORITATE . PAVCI . COMPARARI . NEMO . ANTEFERRI POSSIT . QVVMQVE . IDEM . DE . COLLEGIO . NOSTRO OPTIME . MERVERIT . MEREAT . AC . POTISSIMVM AVCTOR . LEGVM . OPTIMARVM . ALIQVANDO . FVERIT PLACERE . VNIVERSIS . C . MARIVM . AVITVM

(1) *Quod De Ea Re Fieri Placuit De Ea Re Ita censuerunt.*

COLLEGI . NOSTRI . NOMINE . MAGISTRVM . DICI . IN
ANNOS . DECEM . EIQVE . POTESTATEM . CVRATIONEMQVE
RERVM . OMNIVM . DARI . ITA . VTI . DATA . EST
L . FLAVIO . LONGO . CETERISQVE . QVI . ANTE
EVM . OPTIMO . IVRE . MAGISTRI . CREATI . SVNT
CENSVERVNT

2. Iam ad collegiorum acta quod pertinet, tot res tamque varias amplexa sunt, nihil ut eorum, quae a collegis gererentur, neglectum olim omissumque esse videatur. Huiusmodi sunt sacra omnis generis, et ritus, et expiationes, sodalium item cooptationes, vota pro salute Domus Augustae, precationes sollemnes, convivia, viscerationes, sportularum diribitiones; tum contractas rationes et sumptus non mediocres, res donatas, legatas, loca data, accepta, atque id genus alia.

Quo exemplo, si ea, quae in collegiis nostris acta fuerint, digna, ut olim, videantur quae litteris consignata monumentis mandentur, hac fere ratione singula describi atque in tabulas referri poterunt.

Primum quidem annus designabitur et dies, quique collegio praeessent, quum ea gesta sunt, quae infra subiicientur. Hoc nempe est exordium actorum quorundam Fratrum Arvalium:

L . CEIONIO . COMMODO
D . NOVIO . PRISCO . COS .
$\overline{\text{III}}$. NON . IAN .
MAGISTERIO . C . MATIDI . PATRVINI . PROMAGISTRO
L . VERATIO . QVADRATO . . . .

Post haec ea, quae gesta sint, narrare incipies, quo facto, ut ea legitime ac pro collegio acta esse intelligatur, nomina eorum adiicienda, qui in collegio adfuerunt. Quoties vero rebus iam praescriptis aliae sint adiiciendae aliis diebus factae, annus iterum et dies indicabitur, nec non et locus, praesertim si sodales in scholam suam non convenerint.

3. Haec autem omnia orationem desiderant accuratam et gravem, sed quae turgida non sit et translatis distincta verbis, aut sententiarum luminibus ornata. Veteres magis formulae aptae collocatae nitorem orationi ac venustatem afferent. Laudibus etiam abstinendum, neque enim honoris ergo scripta, sed memoriae videri debent: quamquam honori sodalibus saepe erit, quae ipsi fecerint, ea collegio digna visa esse, quae in acta referrentur.

Narratio perpetua sit, nec tamen longa. Itaque in eam si quid inutile irrepserit, reiiciatur, praesertim quum res edantur leves, vel quae quotannis fiant: nam quae extraordinaria et nova, ea fere diligentius explicanda sunt.

PARTITIO SECVNDA.

De quatuor consectariis inscriptionum mixti generis.

CAPVT I.

DE INSCRIPTIONIBVS TEMPORARIIS.

§ I. *De ratione generis universa.*

Hoc potissimum temporariae inscriptiones a ceteris differunt, quod hae quidem posteritati destinatae gravitatem dignitatemque prae se ferre maxime debent; illae vero praesentibus perscriptae, quum animi laetitia, dolore, admiratione vehementius perculsi vehementiorem quoque affectuum significationem postulant, liberiore idcirco ac solutiore forma et poetica prope licentia exultanti utuntur. In quo tamen modus est retinendus, cavendumque ne totum Tibulli aut Horatii μυροθήκιον vel omnes poetarum arculae in hisce inscriptionibus consumantur. Et ipsae enim brevitatem amant simplicitatemque, ac respuunt proinde poeticam illam consuetudinem, qua pluribus verbis res eadem designatur quaque crebrioribus oratio atque audacioribus sententiarum figuris exultat. Praeterea temporarii etiam tituli usum illum, quem de ceteris diximus, atque delectum formularum requirunt.

iam et ipsa orationis structura perpetua esse non debet, sed membris carpenda minutioribus, ita tamen ut haec etiam vincta numeris sint, quemadmodum rhythmos illos sive saturnios versus fuisse legimus, quibus veteres in triumphantium titulis usi sunt, quaeque Livius *carmina incondita* appellavit, hoc est sine lege composita, nec uno inter se genere versus custodito.

Ceterum ad haec satius, quam praecepta, suum cuique iudicium atque optimorum exempla valebunt.

§ II. *De inscriptionibus sacris precationum votorumque causa.*

1. Pietatis religionisque causa atque ut Deo immortali gratiam iustis honoribus ac memori mente persolvamus, sollemnes huiusmodi precationes et carmina proponi solent, eaque et festis fere diebus et sacris semper in aedibus, aut certe in earum fronte titulis inscripta leguntur. In his tamen sancta quoque Dei mater ac reliqui coelites appellantur, quod aut praesidio eorum tutelaque freti a Deo veniam poscimus, aut, ope iam exorata, salutem nobis divinitus datam esse profitemur.

2. Sic autem sermo instituitur, ut populus ipse, aut omnes collegii unius sodales loquentes inducantur, quin tamen eos nomine ullo appellari necesse sit : quippe eos vel locus ipse, vel precationis verba designant. Itaque ab ipsa fere Dei aut coelitum sanctorum invocatione exordium sumitur, cui precatio aut voti formula continuo subnectitur.

3. Stilo ad haec opus et presso et aequabili, ut oratio et simplex et gravis sit, non sententiis arguta, non verbis sonans. Huiusmodi est Velleii Paterculi illa praecatio, qua historiae suae volumen alterum finivit; quamquam et haec nimia plane adsentatione scripta est, quod et scriptoris illius, et aetatis vitium fuit: *Juppiter Capitoline, et auctor ac stator romani nominis Gradive Mars, perpetuorumque custos Vesta ignium, et quidquid numinum hanc romani im-*

perii molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit, vos publica voce obtestor atque precor, custodite, servate, protegite hunc statum, hunc principem (Tib. Aug.), *eique functo longissima statione mortali destinate successores quam serissimos, sed eos, quorum cervices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant, quam huius suffecisse sensimus: consiliaque omnium civium aut pia* . . . . . Reliqua desunt.

Eodem modo, sed vetustioribus quibusdam de industria verbis usus, quod in sacris fere rebus probasse veteres animadverterat, precationem hanc Morcellius, quum sodalium marialium collegio praeesset, e regione altaris in tabula legendam perscripsit (1):

MARIA : MATER
TE . PRECAMVR . QVAESVMVSQVE
VTI . SIES . VOLENS . PROPITIA . NOBIS . COLLEGIO SODALITATIQVE . NOSTRAE . QVOIVS . REI . ERGO SACRA . SOLLEMNIA . OBIMVS . VTI . TV . ERROREM SOCORDIAM . MORBOS . VISOS . INVISOSQ . PROHIBESIS. DEFENDAS . AVERRVNCESQVE
VTIQVE . INGENIO . QVEMQVE . MEMORIA . INDVSTRIA MACTE . ESSE . IVBEAS . MENTEM . ANIMVM . INTEGRVM SERVASSIS . DVISQVE . BONAM . SALVTEM . NOBIS COLLEGIO . SODALITATIQVE . NOSTRAE

Plana vero atque usitata scribendi ratione haec altera est, quae Ferrarii stilo exarata apud Cerenses in templi fronte prostitit, quum ad eos pontifex maior mediolanensis lustrationis causa venisset (2):

MARTYRES . FORTISSIMI
CORNELI . ET . CYPRIANE
SI . VOBIS . TEMPLVM . NOVVM . A . FVNDAMENTIS EXTRVXIMVS . DEDIMVS . DEDICAVIMVS . VOTA . QVAE HODIE . NVNCVPAMVS . PRO . IOSEP . PVTEOBONELLO CARD . ARCHIEP . MEDIOL . IIS . VOLENTES . PROPITIIQVE ANNVITE . VT . EVM . SIC . AMETIS . VOS . VT NOS . ILLE

(1) De St. inscr. lat. lib. II, part. II. c. I.
(2) Ferr. p. 49. n. 109.

Ceterum, ut vel ex allatis patet exemplis, precationum votorumque nullae sunt clausulae: quin uno et perpetuo tenore carmen ab initio ad finem deducendum est; ac de brevitate etiam laborandum, ut qui propositas tabulas perlecturi sunt, uno prope adspectu, quae vota publica sint ediscere ac memoria tenere possint.

§ III. *De inscriptionibus ad festos apparatus atque pompas.*

Festorum apparatuum pomparumque sollemnium non una causa esse solet. Religionis haec pietatisque ergo saepe instruuntur atque ad publicas supplicationes habendas: interdum laetitiae et gratulationis causa, quod parta ex hoste victoria fuerit, quod claro civi honores singulares, aut summa imperii delata sit, quod adventus principis, aut regales nuptiae, aut reditus victoris exercitus, triumphi instar, celebretur. Inscriptiones autem ad celebritatis causam prodendam in tabulis propositae templorum viarumque ornamento passim leguntur, atque in ianuis etiam et fornicibus temporariis, aut in ipsis urbium portis et in praetoriorum atriis eminent.

Enimvero inscriptiones id genus, qua historicis qua honorariis similes, communi etiam stilo scribi possunt, temporis notam si exceperis, qua in temporariis opus non est. Huiusmodi ea fuit, quae in arcu ad sublicium pontem inscripta est, quo Patres Veneti Athesim iungendum curaverunt, quum per eorum fines Ferdinandi II. Aug. nova nupta in Germaniam pergeret (1):

QVOD . FELIX . FAVSTVMQVE . SIT
ELEONORAE . GONZAGAE
AD . AVGVSTAS . NVPTIAS . PROPERANTI
RESP . VENETA
CONSTRVCTO . PONTE . ITER
APERVIT

(1) Apud Boldon. l. 2. pag. 301.

Vel, communi stilo posthabito, genus sequentur paulo liberius, quale cum paucorum dierum apparatu pompaque congruere diximus. Exemplo esse possunt nonnullae ex iis, quas Ferrarius temporarii ornatus causa scripsit, quum multis in oppidis agri mediolanensis adventus optatissimi episcopi celebraretur. Quibus in inscriptionibus hanc ille rationem sequutus est, ut quae prima loco atque ordine esse deberet, ea communi quidem stilo et historicarum more perscripta esset, ad festi apparatus causam perspicue declarandam ceterisque simul lucem afferendam, quae propriis nominibus ac certis ut plurimum indiciis carere solent.

Haec igitur in arcu ad oppidi portam legebatur (1):

QVO . FAVSTVS . FELIXQVE . SIT
COLONIS . INCOLIS . CONIVGIBVS
LIBERISQVE . NOSTRIS
ADVENTVS . ANTISTITIS . OPTIMI
ARCVM . IN . INTROITVM
CERENSES . EXORNAVIMVS

Altera haec in fornice prostabat, quem contexti flores late varieque diffusi obtegebant:

PVRPVREAE . FLOS . ROSAE
ET . OMNIS . COPIA . ODORVM
SVAVEOLENTIBVS . AGRIS
SPIRET
OPTIMO . PATRONO

Eodem pertinet, quae sequitur, rerum item verborumque venustate probabilis:

NON . SERICVM . NEC . AVRVM
SED . CANDOR . SIMPLICITAS
ET . HONESTI . BENIGNA . VENA
POMPAM . INSTITVVNT
ADSIS . O . BONVS . O . PRAESENS
PRAESIDIVM . TVIS

(1) Ferr. inscr. p. 48, n. 103.

Ceterum inscriptionum harum haec fere summa est: sermo plerumque exprimitur populi eum alloquentis, cuius gratia feriae institutae et urbs ornata est. Huc laudes, huc gratulationes, huc vota precesque totius civitatis referuntur; sententiae usurpantur breves, verba lectissima, numerosa vero ac proprior versui oratio, quam prosae, sic tamen ut numeri, quemadmodum iam alias monuimus, lege soluti sint.

§ IIII. *De inscriptionibus funerum publicorum.*

Quamquam, ut sepulcrales mansurosque titulos ex antiquitate multos retinuimus, sic funebres contra ac temporarii nulli ferme ad nos pervenerunt, quibus velut exemplaribus utamur, tamen, ad funebres inscriptiones quod pertinet, sic statui posse videtur: communi eas forma et stilo cum sepulcralibus scribendas esse, si quando de eius funere agatur, cuius maiestas vel res magnifice gestae gravitatem praesertim dignitatemque requirant; alioquin funebres etiam titulos floridiori illo orationis genere uti posse, quod nuper innuimus, quodque, non ad posteros quidem docendos, sed ad recentem dolorem exhalandum concedi omnino est aequum. Nimirum animos carorum pignorum desiderio confectos in immodicas laudes, in fletus lamentationesque vehementiores effundi et audaciori proinde stilo ad funera eorum celebranda uti par est.

Itaque si de femina, ex. gr., agatur nobilitate ac virtute primaria et municipii patrona, cui idcirco funus publicum a decurionibus decretum fuerit, has, aut harum similes inscriptiones ad funebrem eius apparatum adhiberi posse Morcellius docet: in ipso primum templi vestibulo:

A . ☧ . Ω
LVCILLAE . CLAVDI . F .
METELLAE . RVFI
PATRONAE . MVNICIPII
PARENTALIA
PVBLICA
DECR . DEC .

deinde in ipso templo, vel ad parietes, vel ad feretri tribunal:

HEROVM . GENVS . LVCILLA
ET . VIRTVTIS . AEMVLA . DOMESTICAE
PATRI . AVO . MAIORIBVS
NON . ILLA . MINVS
EX . SVA . REDDIDIT . LAVDE
QVAM . DECORIS . SIBI
TAM . CLARA . E . GENTE . OBVENERIT

EN . TRISTIBVS . EXSEQVIIS
SACRA . NVNC . SQVALET . AEDES
ARAEQAE . ATRATAE . LVGENT
CVIVS . DE . MVNERE . NVPER
MARMOREAE . NITEBANT
ARGENTO . AVROQVE . DIVITES

PVDOR . FIDES . IVSTITIA
QVIBVS . LVCILLAE . IN . PECTORE
TEMPLVM . FVIT
QVANDO . ALIAM . INVENIENT
PAREM

SALVE . ANIMA . INNOCENS
IAM . RECEPTA . SIDERIBVS
AGE . O . BEATO . QVAE . FRVERIS . AEVO
VOLENS . PROPITIA
INDIDEM . PRAESENTI
SOSPITES . OPE
PATRIAM

CAPVT II.

DE INSCRIPTIONIBVS NVMMARIIS.

§ I. *De ratione generis universa.*

1. Quod diu apud Romanos in usu fuit, idem et apud nos in more positum videmus, ut non solum nummi signentur ementium commodo, sed missilia etiam numismata cudantur, vel munusculorum causa, vel ad res hominesque memoria dignos posteritati mandandos. Scio equidem raro iam apud recentiores in his signandis latinam linguam adhiberi; at enim quid vetat quominus, si minus sermonem, priscam saltem elegantiam, vim, simplicitatem dignitatemque retinenda curemus? Non igitur a re alienum videbitur quod de his etiam nonnulla hic nobis disserantur.

2. Haec autem generatim praecipienda opinor, primum ut diligenter caveatur, ne frontis utriusque inscriptiones inter se nihil cohaereant atque altera alteri repugnet; quippe eas apud veteres non modo convenire, verum non semel etiam continuari et coniunctim esse legendas non uno exemplo demonstratur. Sint igitur binae, si vis, et diversae in singulis nummis inscriptiones, sed ita tamen, ut aversae frontis titulus cum titulo primae frontis aliquatenus congruere videatur.

3. Breves autem ut simus, in tam angusto spatio, non est cur moneamus: cui tamen rei non ita est providendum, ut nonnullos factitasse videmus, qui singulariis litteris inconsulte et indiscriminatim usi aenigmata nobis, non inscriptiones proposuere; cuiusmodi illud est in nummo imp. Caroli VI. Aug: D. G. R. I. S. A. G. H. H. E. T. B. R. Non lectores haec, sed Oedipos quaerunt. Veteres contra huiusmodi compendiis ita commode et prudenter utebantur, ut lectori nullum negotium facesserent:

singulariis nimirum litteris ea solum indicabant, quae domestica iam et pervulgata essent: P. M. (*Pontifex Maximus)*; P. P. (*Pater Patriae*); S. C. (*Senatus Consultum*), atque huiusmodi complures tum titulos, tum formulas, in quibus haerere nemini per usum licebat. Cetera tot litteris efferebant, quot ad ambiguitatem omnem tollendam necesse esset, ut quum cognomina, ex. gr., a devictis gentibus referrent: DAC. GERM. PARTH. atque alia huiusmodi. Imo et faciliora multa ac vulgatiora eodem modo significabant: COS. (*Consul*); IMP. (*Imperator)*; AVG. (*Augustus)* et similia.

Quod si tituli hoc modo in antica fronte exprimi omnes nequirent, in postica eos continuabant: si vero alia ibi inscriptio esse deberet, eosdem praetermittebant.

Quod restat, sententias a sacris litteris vel a philosophia petitas, hodierno more, nummis insculpere, orationisve figuris stilum distinguere a latina consuetudine prorsus abhorrere videtur.

§ II. *De inscriptionibus nummorum adversis.*

Frontem nummi adversam vultu principis insignire, aut eorum qui e domo principis essent, non Romanorum solum, sed omnium fere nationum mos fuit. At nunc saepe clypei magis delectant, qui gentis insignia referant; ea videlicet, quae propria, iis, quae multorum communia sunt postponuntur. Quod qui ita faciunt, videant quam principis nomen, sine vultu eius, temere in nummo inscribatur, quum nihil sit, quo nomen recto casu scriptum referri possit, nisi id verbo subiecto designatur. Itaque in antiquis nummis vultum quidem principis sine inscriptione aliquando, inscriptionem nominis sine ipso vultu vix unquam reperies: nisi forte annorum designandorum causa nomen ablativo casu inscriptum sit, aut, si recto, aliquid ipse princeps fecisse aut restituisse dicatur: quae minutis in nummis non raro animadvertere licet.

Itaque qui romanam consuetudinem retinere velint, ii quidem in adversa nummi fronte principis vultum effingendum curabunt, iidemque ad oram nomen eius et titulos quosque perpetuos inscribent, eo ipso ordine, quem in ceteris inscriptionibus conservandum esse tradidimus. Quod si de nummis agatur in principis honorem percussis, tituli sive appellationes, quae laudis et honoris causa ipsi attribuentur, ex veterum praescripto in aversam nummi frontem melius reiicientur. Quamquam et in adversa interdum insculpti sunt, velut in nummo C. Caesaris Octaviani, quem senatus ex argento atque ex auro, post actiacam victoriam, cudi iussit, hoc titulo :

IMP . CAESAR . DIVI . F . COS . $\overline{\text{VI}}$. LIBERTATIS
P . R . VINDEX

atque in hoc, quem Lugdunenses in regis honorem signandum curarunt :

LVDOVICO . $\overline{\text{XIIII}}$. RESTITVTORI . QVIETIS
LVGDVNVM

E quibus exemplis id etiam videre est, nomina laudatorum vel recto, vel dativo casu efferre pariter licere.

§ III. *De inscriptionibus nummorum aversis.*

Multa omnino, eaque plane varia Romani veteres in aversis nummorum frontibus expressere, adeo ut ad posterorum utilitatem praecipuarum rerum quosdam veluti annales condere voluisse videantur. Sunt autem exempla eiusmodi, ut singula prope imitari aemularique facile possis.

Primum quidem nihil negotii est in iis inscriptionibus, quae circa capita inscribendae sint uxoris, puta, aut filiorum principis, quales saepe effigies in aversa priscorum nummorum fronte visuntur. Tituli nimirum hi similes fere

eorum sunt, qui in adversa fronte leguntur, nisi quod breviores esse solent; exempli gratia:

L . CAESAR . AVG . F . PRINC . IVVENT .

interdum nomina tantum adiecta: *Agrippina*, *Drusilla*, *Iulia.*

Ut autem veteres deorum suorum effigies atque symbola exprimenda curabant, sic iam a Constantini Aug. temporibus in usu est apud Christianos, ut tesseras quasdam religionis nostrae, aut Dei Servatoris Matrisque eius ac coelitum sanctorum imagines nummi referant, adscriptis nominibus, quorum vultus expressi sunt. Quod tamen ita praestandum est, ut non temere, sed ratione aliqua atque causa illae potissimum imagines atque illi tituli placuisse videantur.

Quidni vero et eas inscriptiones imitemur, quibus veteres deos suos non a nomine, sed a virtute ac tutela designabant? Ut si quando imago certis indiciis se prodat, eius iam, quem refert, omisso nomine, titulum inscribamus honorarium. Romae quidem, qui nummi cognitissimam cuique Petri Apostoli imaginem habent, eorum titulus esse potest huiusmodi: *Defensori Pontificis Maximi, Propugnatori Urbis*, atque id genus alii. Eadem ratione nummum Dei Matris imaginem exhibentem ita inscribere licet: *Virgini Optimae Maximae, Matri Christianorum, Custodi Urbis*, multisque aliis ad hoc exemplum titulis.

Sicubi vero moneta in honorem principis cuditur, locus et titulis est, quibus illustria eiusdem facta celebrantur: quo e genere illi sunt *Conditori*, *Adsertori Libertatis Publicae, Imperatori Invicto, Optimo Principi.* Sed si princeps suo ipse nomine monetam signari iubeat, res gestae tantum inscribendae, a praeconio vero abstinendum. Huc pertinent illi veterum nummorum tituli: *Armenia Et Mesopotamia In Potestatem P. R. Redactae*; *Iudaea Capta*; *Pace P. R. Terra Marique Parta Ianum Clusit; Rex Parthis Datus.* Huc illi etiam, quibus opera publica, liberalitates et beneficia principum, item profectiones eorundem et adventus, et triumphi, et ludi designantur: *Macellum*

Aug.; *Forum Traiani*; *Congiarium Dat. Pop.*; *Liberalitas Aug. IIII*; *Profectio Aug.*; quam veterum rationem saepe secuti sunt, qui nummos Ludovici Magni in Gallia signarunt, quorum pleraeque inscriptiones in rebus ipsis indicandis totae versantur :

PECVLATORES . BONIS . MVLCTATI
M . DC . LXVI .

LITIVM . SERIES . RESCISAE
NOVO . CODICE . LATO
M . DC . LXVII .

IVNCTA . MARIA
FOSSA . A . GARVMNA . AD . PORTVM
SETIVM
M . DC . LXVII .

Nummorum frons aversa imagines saepe fert praeclarum aliquod factum exprimentes, addita, vel omissa etiam inscriptione, quum res per se ipsa satis loquitur. Sic Q. Cassius triumvir monetalis, ut se ex eadem gente prognatum ostenderet, ex qua L. ille Cassius fuerat auctor legis tabellariae, quam Cicero *principium iustissimae libertatis* appellat, in fronte quidem nummi adversa nomen suum inscripsit, et cum effigie nomen LIBERT. At in aversa templum Vestae effingendum curavit et sellam curulem, quod nempe L. Cassius Vestalibus iudex datus esset; simul tabellam litteris A. C. notatam, quibus absolutio et condemnatio significatur, sitellamque sive urnam, in quam iudices post cassiam legem tabellas iaciebant. Quo quid, amabo, effingi prodique vel luculentius potuit, vel simplicius? Praesertim quum in urbe maiorum monumenta etiamtum extarent et historia ipsa nota esset. Eodem exemplo nummum habemus Vitellii, in cuius quidem adversa fronte caput imperatoris est cum inscriptione A. VITELLIVS. GERM. IMP. AVG. P. M. TR. P. et in aversa nil aliud,

quam VRBEM. RESTITVTAM.; sed intuenti figuras facile occurret addendum esse SVBLEVAT., eminet enim paludatus ipse Vitellius stans, militibus duobus adsistentibus, et mulierem ad genua procumbentem dextra sublevans.

Simili ratione nunc, pontifice maximo recens creato, in iis nummis, qui signari solent, quum idem ad possessionem Sanctae Ecclesiae usurpandam magno et spectando agmine in Templum Lateranum adit, recte aversa fronte pontificem effinges equo insidentem et stipatoribus cinctum, adiecta inscriptione: PROCESSVS. LATERANVS.

Ceterum de hac re id maxime cavendum, quale nummi argumentum, quae inscriptio eligatur, ne scilicet fabulis temere delectemur, neve res in medio positas negligamus: utque inscriptionem non a poëtis aut a philosophis, sed a re ipsa desumptam germana formula efferamus; rursus ut nihil nimis exquisitum, nihil minus perspicuum ac simplex dici possit; sic autem titulus fere cum argumento coniunctus sit, ut ex utroque sententia constet et perficiatur; tum ea nobilitatis et laudis indicia proferantur, quae magis illustria sint, quae cóntra levia et vulgaria omittantur.

In spatio illo angusto infra figuras, quod quidam ἐξέργον, quasi ἔξω τοῦ ἔργου, appellant, pretii notam, veterum exemplo, et annum Dionysianae supputationis recte inscribere licet, vel etiam pontificatus, aut regni annos: imo, si argumentum ob figurarum numerum ad oram excurrat, titulus vel in ἐξέργῳ probe signabitur, vel, si dividi idem queat, pars ad oram superius, pars inferius recta linea scribetur.

CAPVT III.

DE TITVLIS RERVM PRIVARVM.

§ I. *De ratione generis universa.*

In tenui labor, at tenuis non gloria; quod vel parvus eorum numerus probat, qui in hac re veterum modum aut elegantiam sunt assequuti.

Breves ut simus admonent nos ipsa opuscula minuta, quibus titulos paramus, quae saepe terna aut quaterna vocabula vix continent. Quare ex his ea semper eligenda, quae ad sententiam enunciandam necessaria sint; de reliquis non laborandum, quorum etiam vices aliquando figurae ipsae faciunt. Neque vero singulariis litteris temere utaris velim, nisi forte iocandi causa atque ut interpretem torqueas.

In titulis autem deligendis earum rerum habenda est ratio, quibus quemque aptare velimus. Nam hi vel argumento convenire debent, quod in opere eminet, vel usum rei attingere, in quem ipsa servatur, vel certe aliquid indicare, quod vel ad eum pertineat, a quo res profecta, vel illum designet, ad quem ventura sit.

Non aliae porro titulorum sententiae esse debent, quam quae vel amicitiam et humanitatem, vel religionem ac pietatem prae se ferant: aut quae ad virtutem et decus excitent, vel ad concordiam, laetitiam, hilaritatem: aut demum quae tempus et locum notent, vel certorum hominum munia declarent, vel illustre factum et claros viros designent.

§ II. *De inscriptionibus anulorum.*

Litteratae olim gemmae apud Graecos maxime atque Aegyptios multis saepe reconditisque verbis notatae erant. At ea Romae commenta sero placuerunt, veterumque diu mos viguit, ut qui titulos in gemma probabant, vix alios incidi curarent, quam quibus aut humanitas, aut amor, aut fides, aut religio declararetur.

In quorum exemplum, ad humanitatem, amoremque declarandum, hos nobis atque huiusmodi titulos insculpere gemmis licebit; NVBE . FELIX; LAVDERIS . PROLE . SIMILI; PARENTIS . FACTA . PROLES . AVGEAT; DIV . TE . PATRIA . FRVATVR; AVE . SABINA . LVX . NOSTRA; SALVE . MEVM . DESIDERIVM; AVE . MI . FAVSTVLE . MEVS . OCELLVS . IVCVNDISSIMVS; TE . REDVCE . REVIXIMVS; VIVE . MEMOR . NOSTRI; atque sexcentos alios, quos veterum maxime epistolae ad amicos et consanguineos facile suppeditabunt.

Si de principe agatur, fidem in eum obsequiumque ostendemus, si anuli nomen eius et vultum effictum gerant, titulosque huiuscemodi: SALVO . PRINCIPE . FELIX . PATRIA; VALEAT . VINCAT; ANNIS . VIVAT . DE NOSTRIS; AVGVSTO . NOSTRO . OMNIA . FELICIA .

Quae autem gemmae religionis causa ad Sanctae Virginis simulacra atque ad Martyrum sepulcra dedicantur, hisce ornari titulis possunt: VIRGINI . DEI . PARENTI . SACR .; MARIAE . EXORATAE . SACER . ESTO; TIBI . MARTYR . LAVRENTI . SOSPITATOR; CAECILIAE . VIRG . MART . SVM; et huiusmodi.

Hactenus de inscriptionibus anulorum, qui ornamenti gratia inventi, nulli ad obsignandum usui esse possunt; ceterae, quae in signatoriis veterum anulis incisae leguntur, mera plerumque nomina sunt, eorum nempe, qui anulis uterentur; quae hic exempla nemo, opinor, requirat.

§ III. *De inscriptionibus poculorum.*

Pocula litterata si placeant, his non unius generis titulos convenire reperies. Nam antiqua quidem pocula pateraeque et acclamationes habent, cuiusmodi hae sunt: MVLTIS . ANNIS; VIVE . BEATVS; VITA . TIBI; FELICITER . QVOD . AGIS; et exhortationes, quibus ad bibendum invitarent, velut illa plautina BIBE SI BIBIS; atque haec altera e graeco ducta AVT . BIBAS . AVT . ABEAS (ἤ . πῖϑ' . ἤ . ἄπιϑι); et salutationes, quarum notae formulae AVE, SALVE, VALE, et quae a Grecis sumpta est GAVDERE . ET . BENE . REM . GERERE; tum nomina etiam tam hospitum amicorumque, quam eorum, qui dona his aut epulum darent, interdum et principis, ad cuius item nomen in conviviis, graeco more, bibebatur.

Neque haec profana eatenus habita sunt, ut Christiani veteres singula repudiarent; quamquam christiani artifices, ut sacras singulis in poculis effigies, ita etiam religiosos et graves in plerisque titulos expresserunt.

Quod si de poculis paterisque in templis ad sacerdotum usum sacra operantium dedicandis agatur, tunc tituli ad sacras inscriptiones revocandi, neque ab illis, nisi brevitate, differre solent.

§ IIII. *De inscriptionibus tesserarum.*

Tesserarum olim ingens numerus et magna varietas fuit: aliae gladiatoriae erant, aliae militares, aliae item hospitales, aliae frumentariae, et qua symbolis, qua litteris singulae, ut libuit, insignitae, quae tamen nunc aut nusquam usurpantur, aut titulos vernacula lingua inscriptos habent et habere debent.

Fuere etiam theatrales atque circenses, quas fortasse vel nunc interdum liceat imitari, quum, ex. gr., viri principes ludorum causa clientibus amicisque tesseras dant, quo spectatum admittantur, praesertim si de latino dramate, ut nonnunquam fit, agatur. Cur enim iis tituli inscribi non possint huiusmodi : MAENIANO . I . CENACVLO . X .; aut, OSTIO . II . GRADV . IIII . vel, si ludi ex aedium fenestris spectandi sint, DIAETA . I . CVBICVLO . IIII . ?

Huc etiam referri possunt tituli, quos in canum collaribus inscribunt, qualis hic est apud Ferrarium (1):

MILLVM . ARGENTEVM
LISAE . CATELLAE
CLVSI . MEIS . MANIBVS
LVCILLA

§ V. *De inscriptionibus lucernarum vasorumque fictilium.*

Suas olim inscriptiones lucernis etiam, quacumque e materia essent, suas vasis quoque fictilibus omnis generis saepe fuisse, ne mirere. Non Latini quidem veteres natura loquaciores, quam nos, erant, sed elegantiae et munditiarum multo studiosiores, ut quae cuique rei ornamento esse speciemque afferre aliquam possent, ea temere non negligerent. Itaque, quum et in opusculis huiusmodi, quod affabre plerumque facta essent, non sine tractantium voluptate tituli legi possent, qui vel usum eorum ostenderent, vel artificis nomen et officinam indicarent; idcirco ne

(1) *Inscr.* p. 202, n. 419.

haec quidem sine litteris esse passi sunt et alterutrum aut etiam utrumque signari curaverunt.

Porro fictilium lucernarum usum tituli declarant illi, qui principis imagini, aut clypeis coronisve adiecti, honores eius vel facta referunt: accensas enim illas facile intelligimus, quum eiusdem natalis dies aut victoria aut adventus celebraretur. Ad quod exemplum liceat figulis nostris hos atque huiusmodi titulos lucernis insculpere, quum Romae, ex. gr., Petri et Pauli, coelestium urbis patronorum, natales sunt, aut suscepti pontificatus anniversarius dies celebratur, aut alia de causa feriata urbs nocturnis luceat ignibus: NATALI . CVSTODVM . VRBIS . LAETITIA P . R . ; SOLLEMNIA . DEFENSORIBVS . QVIRITIVM ; ANNO . V PRINCIPATVS . PII . VI . P . M . HILARITAS . P . R . ; SACRIS . QVINTO . INSTAVRATIS . PRO . INCOLVMITATE . PII . SEXTI . PONT . MAX.

Iam nec argenteos auratosque lychnos, qui maximis in templis ardere solent, sine inscriptione suspendi aequum est, praesertim si donaria sint, aut voti causa dicata esse constet. Ceterum vix aliae his inscriptiones quam sacrae conveniunt, quibus tantum adiicies quot argenti pondo singulis operibus impensa sit facta.

Ceterae figlinorum operum inscriptiones, sive lucernis additae, sive urceis amphorisque omnis generis, vix aliud sunt, quam ipsum figuli nomen, sive etiam officinae et fundi appellatio, unde doliare opus prodierit: quae iam nusquam latine scripta offendas.

§ VI. *De inscriptionibus armorum et instrumenti bellici.*

Huiusmodi inscriptiones vel in armis insculpi possunt, quae milites in acie tractent, signisve quae iidem in pugna sequantur, vel in vexillis ensibusve, quae viris fortibus praemii causa a principe aut republica donentur. Simplices brevesque omnino ut sint tituli isti res ipsa monet: referent autem vel militis nomen et cohortis ac centuriae, in qua quisque stipendia meret; vel sententiam aliquam ex militaris disciplinae scitis praeceptisve desumptam,

ex. gr. : QVO . TIMORIS . MINVS . EO . PERICVLI . MINVS . EST; FERRO . VIA . FIT . PER QVAMVIS . CONFERTOS . HOSTES; et huiusmodi; vel, si de praemiis agatur, nomen illius et praeclarum gestum cui praemium donatur; puta : LVCIO . ASPERO . CENTVRIONI . OB . MERITA; AVRELIO . LOLLIANO . OB . CIVEM . SERVATVM; atque ad hunc modum alia.

§ VII. *De inscriptionibus laterum et tegularum.*

Nihil in urbe, quum antiqua rudera egeruntur, apparere saepius solet, quam lateres tegulaeque litteratae, in quibus scilicet officinae et praedia leguntur, unde figlina opera prodierint; in his figulorum dominorumque nomina; tum quaedam interdum salutationes atque acclamationes; saepissime vero consules; ex quo nimirum factum est, ut huiusmodi inscriptiones haud levi utilitati fastorum consularium restitutoribus saepe fuerint.

Eadem ratione aetate nostra lateribus tegulisque titulos addere liceat hoc modo : PIO . $\overline{\text{VI}}$. PONT . MAX . ; vel AN . $\overline{\text{V}}$. D . N . PII . $\overline{\text{VI}}$. P . M . ; vel, addita figuli et officinae appellatione :

PIO . $\overline{\text{VI}}$. P . M .
EX . FIGL . TRANSTIBER .
DOL . PVTEOLANI

aut etiam, ominibus atque acclamationibus adscriptis :

OP . FIGL . MARCI . TORELLI
PIO . $\overline{\text{VI}}$. PONT . MAX .
MVLTOS . ANNOS

Verum quis iam a figulis nostris petere ausit, ut historiae atque elegantiae solliciti, lateribus tegulisque suis titulos, eosque latinos, imprimere velint ?

CAPVT IIII.

DE INSCRIPTIONIBVS POETICIS.

§ I. *De ratione generis universa.*

Veteres imitati poëticas et nos inscriptiones probabimus, dummodo opportune et commode fiant. Nimirum quae exilia sunt et minuta, versibus ea melius ornari, quam ulla alia ratione possunt. Tum etiam difficile est, ubi unius argumenti non unus est titulus pangendus, res prope easdem iterum ac tertio, non mutata stili dictione, apte distinguere: quae si versibus exponendae sint, non modo laborem minui sentias, sed etiam augeri venustatem.

Verum in poëticis inscriptionibus maius erit elegantiae studium habendum, vel ob eam causam, quod versibus usi maiorem iam lucem argumento afferre nihilque indictum, nihil inornatum velle profiteri videmur; ad quod enitentibus, magno erit usui nos ad Graecos conferre, quorum illa est ἀντολογία egregiorum epigrammatum, quasi florum omnium infinita varietas.

Metro veteres inscriptionum causa usi sunt vario: nam et hexametri occurrunt versus, et elegiaci, et hendecasyllabi et senarii, e quibus tamen hexametros ellogiis atque etiam historicis inscriptionibus aptissimos duxerim.

Ceterum Latinis poëticas inscriptiones modo longas modo breves placuisse, Graecos vero uno etiam aut altero versu contentos fuisse reperias, eos praesertim, qui florentibus Athenis extiterunt: tibi itaque tum argumentum, tum locus ipse quo inscriptio poni debeat, carminis mensuram dabit.

§ II. *De epitaphiis.*

Quamquam epitaphiorum, quae versibus constant, ratio fere et structura paulo liberior fuit, vix ea tamen in his omissa reperies, quae in ceteris legi solent. Nam et de-

functi nomen praeit, muneribus, quae obierit, indicio aliquo prolatis, et vita recte sancteque acta exponitur: saepe etiam causa mortis significatur, et auctores monumenti indicantur, et consanguinitatis et necessitudinis appellationes subiiciuntur. Reliqua vero ex poësi desumpta sunt, quibus plerumque virtus vel forma celebratur, vel domesticus luctus aut amicorum dolor describitur: ipse etiam defunctus interdum de virtute disputans et moralia praecepta posteris tradens inducitur, aut quies illi aeterna et terra levis optatur.

Quidam porro omnia haec versibus concluserunt: contra plerique formulas epitaphiorum communes et initio et ad calcem nullis adstrictas numeris usurparunt: cuiusmodi est exemplum quod subscribitur (1):

D . M . S.

SVM . CASTAE . CINERVM . LAPIS . PVELLAE
CVSTOS . ME . RELEGENS . PIVS . VIATOR
HVIVS . COGNITA . SI . TIBI . FVISSET
VIRTVS . LACRYMVLIS . TVIS . RIGARES
EVODIAE . CYPARAE . ANN . VI .

Infra titulum hunc scriptos fuisse, qui sepulcrum fecissent, non est cur ambigas, praesertim quum cippus propter viam, non in hypogaeo familiari stetisse videatur: et illi fortasse non eodem, sed supposito in lapide legebantur, ob eamque rem factum est, ut, everso monumento distractisque lapidibus, epitaphii particula perierit.

Iam et initia huiusmodi et similes epitaphiorum conclusiones ad latera etiam legas, in ipsa fronte carmina; alias, quod frequens est, tota inscriptio communi stilo confecta, tum subiectum epigramma, post hoc clausula aliqua e communibus.

In ipsis autem versibus διαλογισμόν aliquando invenies, ut in Atimeti liberti sarcophago, qui nunc in Capitolio est (2), in quo Homonoeam uxorem vir primum adloquitur,

(1) Fabr. p. 64, n. 2.
(2) Grut. p. 607, n. 4. — Fabr. p. 235, n. 625.

tum ipsa virum; rursum eadem cum viatore garrit, eique demum viator terram levem precatur.

Quaeres fortasse, quibus maxime in monumentis poëtica epitaphia inscribenda sint; neque enim omnibus indiscriminatim convenire videntur. In sepulcris equidem, quae publice constituta essent, non legi: perraro in communibus apparent; neque his virorum fortium aut qui senes obierint ornata saepius monumenta videas. Qui haec igitur feminis maxime puerisque, tamquam propria, adsignet, non ille contra veterum consuetudinem sensisse videatur: quamquam illis poëtas etiam adiungi par est, ut inde laudes ipsi habeant, unde alios antea celebrarint.

Porro in feminarum puerorumque epitaphiis, quae fere, paulo longiora expetuntur, multa percommode ad virorum aut parentum voluntatem includes versibus, quae communi stilo efferri non possint. Huiusmodi autem tituli in antiquis maxime cenotaphiis leguntur, quae monumenta memoriae tantum causa excitabantur: itaque longiusculos saepe poëtarum habent lusus, quod nempe non tam extructae molis ergo inscriptio fieret, quam huius gratia moles ipsa constitueretur. Huius est generis exemplum quod subiiciam (1).

DIS . MANIBVS
DOMESTICO . QVI . VIXIT . ANN . XVI .
HOC . MIHI . NOSTER . HERVS . SACRAVIT . INANE SEPVLCRVM
VILLAE . TECTA . SVAE . PROPTER . VT . ASPICEREM
VTVE . SVIS . MANIBVS . FLORES . MIHI . VINAQVE . SAEPE
FVNDERET . ET . LACRIMAM . QVOD . MIHI . PLVRIS . ERIT
NOSTROS . NAM . CINERES . POLLENTIA . SAEVA . SVBEGIT
EST . ET . IBI . TVMVLVS . NOMEN . ET . ARA . MIHI
NEC . TAMEN . AVT . ILLIC . SVBTER . CRVDELIA . BVSTA
AVT . ISTAS . SEDES . NOSTRA . SVBIT . ANIMA
SED . PETAT . ASSYRIOS . PETAT . ILLE . LICEBIT . HIBEROS
PER . MARE . PER TERRAS . SVBSEQVITVR . DOMINVM
M . CAERELLIVS
SMARAGDIANVS . FECIT

(1) Bonad. Cl. 9, n. 5.

§ III. *De inscriptionibus sacris.*

Poëticae inscriptiones donariis magis tabulisve votivis, quam aris templisve dedicandis convenire videntur, quippe hic gravis oratio et dignitatis plena potissimum requiritur; illic poëticis ornamentis locus facile patet. Hosce autem titulos vel uno aut altero versu concludere, vel pluribus, pro re et voluntate, diffundere licet. Exemplo tibi sit dedicatio haec morcelliana ad oram coronae Divino Infanti impositae (1):

ARGENTO . E . PVRO . LETI . DE . LIMINE . SOSPES
HANC . SERVATORI . DAT . MERITO . AEMILIVS

atque hi praeterea hendecasyllabi Francisci Bernii votum ab eo solutum indicantes (2):

HANC . QVAM . CERNITIS . HOSPITES . TABELLAM
SCRIPTAM . CARMINE . NON . SAT . ERVDITO
OLIM . CVM . MIHI . FORTE . FEBRIS . ESSET
ET . LECTO . MISER . VSQVE . DECVBAREM
CONFECTVS . MACIE . PERICVLOSA
VOVI . SCILICET . INTEGRAE . SALVTI
OLIM . SI . MODO . RESTITVTVS . ESSEM
VOTVM . SOLVERE . VIRGINI . PARENTI
SPECTANDVM . OMNIBVS . OMNIBVS . LEGENDVM
HANC . TV . NVNC . SVPERI . POTENS . OLYMPI
REGNATRIX . HOMINIS . PARENS . DEIQVE
VIRGO . QVAM . CELEBRI . VOCATIONE
PRAEDICANT . MODO . FEBRIVM . POTENTEM
HANC . INQVAM . TIBI . QVIDQVID . EST . TABELLAE
SCRIPTAM . CARMINE . NON . SAT . ERVDITO
PRO . VOTO . FACE . REDDITAM . PRECAMVR

Quamquam hic dicantis nomen non apparet, praescriptum tamen esse oportuit, aut subiectum carmini, quemadmodum antiquis in exemplis factum videmus.

(1) Lib. II, part. II, c. V, § III.
(2) Bern. p. 124, ed. florent. Iuntar. an. 1562.

§ IIII. *De inscriptionibus historicis.*

Quum publicis operibus inscriptiones magis conveniunt communi stilo exaratae, quippe cui dignitas et gravitas maior inest, tum titulis, qui privato nomine privatis operibus ponuntur, poëticam dictionem optime aptaveris; in iis enim non aliud fere, quam iocos, venustatem, verborum ac sententiarum leporem quaerimus, ea scilicet omnia, quae maxime a poëtis petenda sunt. Eiusmodi sunt inscriptiones, quae privatis fontibus, hortis, tabulis pictis, anaglyphis operibus et sexcentis id genus aliis apponi solent. Exemplo sit lusus iste M. Flamminii (1) de fonte Nicolai Rodulphi Cardinalis, ubi fons ipse de se loquens inducitur:

QVOD . SOLITVS . SILVIS . LIQVIDO . PEDE . CVRRERE . IN . ALTIS
NVNC . CELEBRO . AVGVSTAE . REGIA . TECTA . DOMVS
GRATIA . MAGNA . TIBI . RODVLPHI . MAGNE . MEAM . TV
PER . DVRI . MONTIS . VISCERA . DVCIS . AQVAM
VT . QVI . VIX . FVERAM . PECORI . BENE . COGNITVS . ANTE
NVNC . REGVM . LYMPHIS . ORA . MANVSQVE . LAVEM

Adde epigramma hoc tabulae a Vandycko pulcherrime pictae et Machabaeorum fratrum coram matre caedem referenti a Morcellio aptatum (2):

CRVDELI . EXTINGVI . SEPTENOS . FVNERE . FRATRES
ISACIDAS . DIRVS . DVM . IVBET . ANTIOCHVS
ECCE . ALACRIS . FORTES . PRAECLARA . OCCVMBERE . MORTE
MATER . PRO . PATRIIS . LEGIBVS . ADSPICIENS
MACTI . INQVIT . PVERI . LACRIMAS . NE . POSCITE . COELO
VOS . PEPERI . ET . MERITOS . INFERO . SIDERIBVS

(1) Carm. l. 2, n. 18.
(2) Lib. II, p. II, c. IV, § IV.

§ V. *De ellogiis.*

Romae, qui honore potissimum rerumque gestarum amplitudine ceteros praestitissent, eorum plerisque in aedibus imagines visebantur. Porro in harum basibus poëtica ellogia antiquitus scribi coepta, neque ea initio valde longa; nam Titus quidem Atticus domi suae quaternis quinisve descripserat versibus. Nec longior est titulus, quem Martialis ad Avitum misit, quum in bibliotheca eius inter clarorum virorum imagines suam quoque dedicatam esse accepisset: nempe hoc ille epigrammate contentus erat (1):

ILLE . EGO . SVM . NVLLI . NVGARVM . LAVDE . SECVNDVS
QVEM . NON . MIRARIS . SED . PVTO . LECTOR . AMAS
MAIORES . MAIORA . SONENT . MIHI . PARVA . LOCVTO
SVFFICIT . IN . VESTRAS . SAEPE . REDIRE . MANVS

Quamquam multo longiores etiam titulos interdum probatos esse scio: etsi enim ceterorum ellogiorum simplicitati et gravitati neque exquisitae dictionis ornatus, neque res ingeniosius tractatae satis congruunt; in poëticis tamen nulla lege vetamur, quin venusta quaeque sectemur, omnesque his artis colores inducamus. Nec solum fas erit eius, cui posita imago sit, virtutes et facta licentius persequi, sed artificis etiam celebrare manum et utriusque miscere laudes. Huiusmodi est Pythagorae concinnum illud ellogium Naugerii stilo perscriptum (2):

QVEM . TOTIES . VIXISSE . ANIMA . REDEVNTE . RENATVM
MVTATO . FAMA . EST . CORPORE . PYTHAGORAM
CERNE . ITERVM . VT . DOCTI . COELO . GENERATVS . ASYLAE
VIVAT . VT . ANTIQVVM . SERVET . IN . ORE . DECVS
DIGNVM . ALIQVID . CERTE . VOLVIT . SIC . FRONTE . SEVERA . EST
SIC . IN . SE . MAGNO . PECTORE . TOTVS . ABIT
POSSET . ET . ILLE . ALTOS . ANIMI . DEPROMERE . SENSVS
SED . VETERI . OBSTRICTVS . RELIGIONE . SILET

(1) Mart. I 9, epig. 1.
(2) Carm. 24.

Quia vero statuae sunt quaedam sic expressae, ut non viri vultum tantummodo referant, sed virtutem etiam aut factum indicent aliquod, idcirco totum aliquando ellogium in ipsa virtutis laude aut in facti expositione versari potest.

Poëticum porro est et maxime usitatum ipsos in ellogiis loquentes inducere, quorum ea statuis subscribuntur; quemadmodum Martialis, ut vidimus, titulum confecit suum.

PARTITIO TERTIA.

De regulis inscriptionum communibus.

Singulas hactenus inscriptionum formas et proprietates persecuti eorum nihil attigimus, quae ad genus universum pertinere viderentur. Ea nempe huc reiiciebamus, ut omnia simul tertia hac partitione tractaremus, quae nunc decem comprehensa capitibus, si qui sua interesse duxerint, et expedite legere et facile retinere memoria poterunt.

CAPVT I.

DE NOMENCLATVRA INSCRIPTIONVM.

Prima fere in plerisque inscriptionibus nomina personarum esse solent; ad quam rem hunc veterum fuisse morem nemo nescit, praenomen primo loco ut efferrent, deinde nomen: tum praenomen adderent patris, saepe et avi ac proavi, interdum vero abavi quoque atque atavi, quod in privatis etiam titulis, nedum in imperatoriis, occurrit: post haec, in sepulcralibus maxime, tribum sexto casu, ac protinus cognomen atque etiam patriam, quae aliquando ante cognomen legitur, ipsamque non raro provinciam, unde quisquis esset. De quibus rebus, quamquam non omnia iam in usu sunt, ea breviter attingam, quae maxime necessaria videntur.

Iamvero, post nomen, patrem nos quoque ciere quid vetat? Imo et avum proavumque, praesertim quum horum claritudo multum ad dignitatem facere queat?

Illud potius nos torquet, qua potissimum ratione nomina ipsa virorum feminarumque, quae nunc saepe barbara et

Latinis ignota imponuntur, ita efferamus, ut a latina consuetudine quam minimum recedant. Mendose a quibusdam *Ioseph* scribitur, praesertim quum *Iosephus* in Svetonio legatur (1). Quo iam pacto alia quaedam, quae ab Hebraeis fluxerunt, nomina perscribi convenit: haec enim Latinorum ratio fuit, ut externis nominibus, quae in litteram desinerent, quam ipsi extremam in suis aut alienis non usurpabant, syllaba fere una, declinationis causa, adderetur. Ob eam rem *Abrahamus*, *Iacobus*, *Elisabetha* scribendum; sed recte *Samuel* et *Ioel* integra maneant, ut olim *Hannibal* et *Tanaquil;* recte etiam *Andreas*, *Simon*, quae graeco more, sed Latinis usitato, scribuntur.

Nec tamen bene *Agnes*, *Irenes*, *Fabianes*, unde quarto casu *Agnetem*, *Irenetem*, *Fabianetem*, quidam scripserunt: constat enim inter grammaticos *nomina in* ES *productam desinentia, quae sunt propria, masculina inveniri..... excepto uno feminino, Ceres, Cereris* (2). Quare non *Agnes* recto casu, sed *Hagne* scribi debet, et *Irene* et *Fabiane* aut *Fabiana*, patrio autem *Hagnes*, *Irenes*, *Fabianes*, graeco more, vel, si mavis, latino, *Hagnae*, *Irenae*, *Fabianae*, et sic deinceps: atque *Hagne* omnino cum adspiratione, non modo quod est ab ἅγνος sed etiam quod ita Latini vulgo scripsere.

In cognominibus autem maxime haerent titulorum scriptores, quos nempe latinae litterae nihil hic iuvare possunt. Nam et ipsa non raro cognomina pingue quiddam et rusticum aut plane barbarum sonant; et ii saepe, quorum causa tituli scribendi sunt, ne unam quidem vel demi vel addi litteram aequo animo ferunt. At enim non est cur ita angantur, quum in veterum exemplis habeant, qua se auctoritate sustentent, si ea totidem aliquando litteris scripserint. Barbara plane cognomina antiquae etiam inscriptiones habent, cuiusmodi haec est (3):

SATELLIA . C . F .
VELIZZA

(1) In Vesp. c. 5, n. 10.
(2) Prisc. gramm. l. 5.
(3) Fabr. p. 645, n. 381.

Velitia nunc quidam scribi maluissent, expuncto Z utroque; alii quaerendum fortasse censuissent, quae huius vocabuli apud Celtas aut Illyricos significatio esset, quo id latine redderetur. Sic aliquando, qui *Cenfuegus* erat, appellatus est *Centumigneus*, *Rossii* vero *Rubei*, *Verdii* quoque *Virides*, et, quod prodigium est, *Torriglionii Tauroleones* facti sunt. Id est nimirum, quod in malo historiae scriptore ridebat Lucianus, qui atticae elegantiae esse putabat romana quoque cognomina graece reddere, *ὡς Κρόνιον μέν Σατουρνίνον λεγειν, Φρόντιν δε τὸν Φροντῶνα, Τιτάνιον δε τὸν Τιτιάνον καί τ'ἄλλα πόλλῳ γελοιότερα*. Atqui non hoc graecis romanae historiae scriptoribus arrisit, qui latina cognomina iisdem semper litteris designant: Ιούλιος Σακέρδος, non Ιερεύς, Νίγρος et Σεβήρος, non Μέλας et Σέμνος.

Sed tamen hoc sibi Latini sumpserunt, ut cognomina aeque externa et propria declinarent eaque de causa litterulam ipsis in fine aut syllabam adderent, unde cognominis casus nosci possent.

Verum cave ne risum debeas nonnullos imitatus, qui, prioribus cognominum litteris immutandis, magis se latinos elegantesque existere putant, quum *Blancum* appellarunt qui *Biancus* est, *Floriumque* qui *Fiorus*, et *Plattum* qui *Piattus*; velut si litterae L suus quidam inesset latinitatis sapor, qui in I littera desideretur.

Ceterum de hac re plura cupienti Morcellius ipse est adeundus, lib. II, part. III.

Post cognomina veteres patriam enunciabant, non omnibus quidem in titulis, sed in iis fere semper, qui domi propositi ad externos pertinerent; nisi forte de senatore romano aut de femina clarissima ageretur, quorum scilicet patria aliis indiciis prodebatur.

Patriae porro indicandae non una erat ratio. Saepe urbis nomen sexto casu adscribebant: *C. Felginatem Placentia*, *A. Gravium Puteolis*, *M. Sacrativirum Capua tribunos militum*. Sed in lapidibus non raro urbis nomini praepositum videas *Domo*: *Domo Cortona*, *Domo Parma*.

Alia erat ratio ut scriberent: *Natus Mevianae*, *Oriundus Gaza*; rarius vero, gentili nomine, *Saetabianus*, *Syracusanus*.

Regio etiam aut provincia aliquando pro municipio appellatur; *L. Superinio Severo Natione Pannonio*, ubi *natio* non pro *populo* est vel *gente*, sed pro *genere* aut *ortu*. Itaque leges quoque: *Natione Arretius* pro *Natus Arretii*.

Quia vero quidam alia in urbe orti in alia vivebant, ut Tarquinius ille Priscus *Demarati Corinthii filius*, *incola ab Tarquiniis* (1), et apud Tullium Cato *ortu Tusculanus*, *civitate Romanus* (2), idcirco utrumque inscriptio nos interdum docet. Exemplo sit, quam in Gallia Maffeius vidit (3):

C . TVLL . FLAMINIVS
DECVRIONIS . FILIVS
DOMO . CATINA . EX . PROVIN-
CIA . SICILIA . INCOLA . ANTI-
POLITANVS . SIBI . ET . S .

Et quia honori vertebatur, si quis non uno in municipio civitate donatus esset, multarum aliquando urbium cives esse quidam dicuntur (4):

L . AELIVS . M . F . M . NEP . QVIR .
RECTVS . DOMO . ROMA
QVI . ET . CARTHAGINENSIS
ET . SICELITANVS . ET . ASSOTAN .
ET . LACEDAEMON . ET . ARGIVVS
ET . BATESTANVS . . . .

Iis, qui sacerdotio aut magistratu extra patriam functi essent aut honorem decurionatus adepti, municipium apponi solebat, in quo haec gesta fuissent. Tum militibus, praeter patriam, quae plerisque adscripta est, legionem etiam singulis aut cohortem centuriamque, vel alam, vel turmam, vel trierem adiectam, in qua quisque meruisset, exempla passim declarant. Ad operarios homines artificesque quod

(1) Liv. l. 4, c. 2, n. 3.
(2) Cic. *De Leg.* l. 2, c. 2, n. 5.
(3) Ant. Gall. epist. 12.
(4) Grut. p. 174, n. 3.

pertinet, patriae loco, regio urbis aut via interdum indicabatur (1):

C . VENNIVS . C . L .
XANTHVS
CARPENTARIVS
A . VIC. III . ARAR . (2)

T . FLAVIVS . T . LIBERTVS
PHILIP . VNGVENTARIVS
VIC . LOR . MIN . (3)
FECIT . ET . SIBI . ET . FLA-
VIAE . SPERAT . FIL . SVAE

Sic *C. Fufius Zmaragdus Margaritarius De Sacra Via*, et *Cn. Pompeius Frixus Doctor Librarius De Sacra Via*; quibus quidem honoris causa adiectum id videtur, quo nempe constaret artifices eos fuisse minime vulgares, quum in celeberrima via atque inter summos et elegantissimos totius urbis opifices tabernam officinamque haberent.

Denique quod ea saepe nominibus apposita iungi debent, quibus propinquitas designetur, cuiusmodi sunt *Patruus*, *Amita*, *Avunculus*, *Matertera* aliique complures, hasce tibi appellationes, si quando opus erit, Digestorum titulus suppeditabit, qui est *De gradibus* et *adfinibus et nominibus eorum* (4).

CAPVT II.

DE RERVM DELECTV ET DIGNITATE INSCRIPTIONVM.

Perraro sane continget, ut inscriptionem exordienti non multa occurrant, quae iis si conferas, quae priscis in exemplis legimus, partim humilia, partim levia atque exigua

(1) Fabr. p. 718, n. 397. — Don. Cl. 7, n. 29.
(2) *A Vico Tertio Ararum.*
(3) *Vico Loreti Minoris.*
(4) Lib. 38, tit. 10.

videantur; neque enim semper rerum magnitudine et dignitate certare possumus. Sed tamen Romanos illos veteres multo quisque facilius verbis, quam rebus aequaverit. Neque id tibi difficile, siquidem, quae dignitatem inscriptioni eripere possint, prudens relinquas. Templum, puta, a solo excitatum exaedificatumque sit: ridiculo quis Vitruvium compilet, ut singulas templi enumeret partes. M. Agrippa, tanta illa Panthei mole extructa, non eius nomen inscripsit, non tholi, non porticus, non columnarum mentionem fecit, id unum professus, *Se Fecisse:* quippe cetera quisque videndo nosse poterat.

Si quid tamen memoria dignum ad ipsam templi constructionem pertineat, ut si ob principis salutem aedificatum fuerit, non erit praetermittendum; quippe decus aliquod inde inscriptioni accedet et ipsa etiam narratio, insigni operis causa prolata, quasi complementum habere videatur.

Statuas autem in templis positas, bases, columnas, gradus, et huiusmodi recte in titulis quis enumeret, quum haec veteri operi adiecta fuerint, nec in templi fronte inscriptio legi debeat: quamquam ne haec quidem ab artificio commendanda, aut, poëtarum more, appositis illustribus distinguenda. Id scilicet unum docendi sunt posteri, quae res et cuius sumptu aut opera restituta aut dedicata sit: de pulcritudine, de symmetria, de pretio per se ipsi iudicabunt.

Iam eundem in antiquis operum publicorum inscriptionibus servari modum videas: nec ita paucae sunt, quae ne nomen quidem operis referant, nedum partium singularum: in oculis enim erat ipsa moles. Atque ea fere, quae omnium aedificiorum propria sunt, sine quibus attolli moles non solent, omittenda item veteres putaverunt: satis nimirum haec quoque in opere eminebant. Eadem rursus parcitate utebantur, ad causam operis rationemque quod pertinet, eam fere causam tantummodo indicantes, cuius nullum in ipsis operibus indicium esset. Itaque neque aquam *humanos in usus* adductam, neque pontes *ad flumina trasmittenda* factos, neque portus *navibus recipiendis* apertos, neque per ea opera *reipublicae consultum, utilitati publicae perspectum*

esse adnotandum putabant: quis enim tam frutex est, ut per se ipse haec statim non videat?

Eadem haec tamen in honorariis inscriptionibus, quibus scilicet beneficii gratia publicorum operum auctoribus referatur, si locum habeant nemo iure reprehendat. Quamquam ea quoque ratio interdum probata, ut beneficium principis apposito potius, quam narratione celebretur: in quo dignitatis aliquando plurimum esse potest. Inest enim latinis quibusdam in verbis vis plane singularis ad significationem rerum maximarum, cuiusmodi illa sunt: *Restitutori Aedium Sacrarum; Locupletatori Civium; Propagatori Orbis Terrarum; Adsertori Libertatis*, et id genus alia. Itaque melius aliquando beneficii magnitudinem titulo huiusmodi brevissimo, quam vel longa oratione assequare: praesertim si locus ipse atque opus, in quo inscriptio legenda sit, aliquid praeterea exhibeant, unde hospites quoque cetera intelligere et cognoscere facile possint.

Verum appositis huiusmodi non ubique nobis utendum est, sed magnis rebus servanda. Minora beneficia honorarii veterum tituli vel simplici enumeratione exponunt, vel, quum minuta et levia sunt, sic fere designant: *Ob Munificentiam Eius; Ob Merita; Patrono Municipii; Praesidi Optimo*; et similia.

Eodem saepe modo auctores sepulcrorum defuncti virtutes et accepta ab eo beneficia enuntiarunt: leges enim: *Optimae Et Sanctae Patronae De Se Benemeritae; Patrono Indulgentissimo; Patrono Benemerenti, Pientissimo; Parentibus In Exemplum Piissimis; Patri Incomparabili; Matri Piissimae Et Indulgentissimae*, et quae sunt huiusmodi. Si quando vero exigua quaedam et leviora nominatim expressa offendas, ea ad feminas fere atque pueros pertinere videbis. Nam in virorum illustrium monumentis, si qua narratio instituitur, nihil ea nisi praeclarum continere solet: atque id multo magis in ellogiis servatum est.

In constitutionibus autem publicis nullus reiectioni locus esse videtur: quae enim constituta aut praescripta fuerint, ea antiquis, quantum fas est, formulis singula efferenda sunt, et parsimonia illa atque modus servandus, unde ve-

teres dignitatem potissimum quaerebant. Excipe edicta quaedam et decreta nonnulla municipalia, in quibus uberiorem dicendi rationem veteres quoque secuti sunt.

Ceterum ad inscriptionum dignitatem maxime confert, non modo si parcae et simplices sint atque omnis omnino ostentationis securae, verum enim si veritatis virtutisque studiosae non odio unquam nec gratiae serviant, nulli adsentationi indulgeant, nil quidquam admittant, quod religionis sanctitatem morumque disciplinam vel leviter offendat, propositumque id sibi semper meminerint, ut monumentis insculptae vitam his atque eloquium quodammodo suppeditent ad optimorum laudes praedicandas atque illustria ex eorum exemplis documenta hominibus proponenda.

Quaeret hic fortasse aliquis quantum inscriptionum dignitati consulere mihi videantur, qui eas condunt nullo monumento insculpendas, sed levibus tantum chartis circumferendas. Idem nimirum factitare isti videntur, ac qui telis bene pictis marmoreas columnas, fornices, simulacra ceterasque solidissimarum aedium partes in speciem imitantur: quibus si id datur interdum, nec etiam sine laude, non video cur sit scriptoribus invidendum. Nonne leges etiam et decreta constitutionesque omnes publicas inter inscriptiones enumerant artes huius magistri? Attamen iamdiu factum est, quum leges ipsi nostras non aere, non marmore insculpere solemus, sed papyrorum caducitati commendare. Indulgendum igitur inveteratae iam consuetudini, dum ne artis, quae huc pertinent, praecepta violentur, dumque ita scriptores titulos suos componere conentur, ut hi monumentis revera insculpti atque indidem postea descripti esse videantur (1).

(1) Notari, *Tratt. dell'Epigr.*, part. 3, c. 1.

CAPVT III.

DE MENSVRA INSCRIPTIONVM.

Ridicule quidam Aristoteli praecipere visi sunt, narrationem brevem esse oportere (1): scilicet ipse neque brevem, neque longam, sed iustam esse iubet: huiusmodi autem putat, quae primum omnia proferat, quibus illustrari res possit, deinde omnia, quae iucunda sint. Vides porro quam ista inscriptionibus conveniant, quae quamquam ad suum quaeque genus revocantur, vix tamen aliud quam narrationes dici possunt. Utrumque igitur inscriptionem commendet opus est, et argumenti evidens quaedam expositio, quae rem faciat illustrem, et is verborum delectus, qui splendore quodam et venustate tenere legentem possit.

In utroque vero facile peccatur, facilius autem, dum copiam ubertatemque plus aequo amantes ac nil magis quam obscuritatem verentes, titulos condimus, qui demendo plerumque meliores fieri possunt. Exemplo sit iste, qui Genuae prostat (2).

ANDREAE . DORIAE
QVOD . REMPVBLICAM . DIVTIVS
OPPRESSAM . PRISTINAM . IN
LIBERTATEM . VINDICAVERIT
PATRI . PROINDE . PATRIAE
APPELLATO
SEN . IANVENSIS
IMMORTALIS . MEMOR . BENEFICII
VIVENTI . POSVIT

Nonne, si adverbia illa *Diutius, Proinde* expunseris, nihil hic necessarium, nihil speciosum ademeris, imo iusta iam inscriptio atque optima esse coeperit?

(1) Rhet. l. 3, c. 16, n. 127.
(2) Zaccar. *Sag. crit.*, t. 2, p. 2, art. 19.

Demendo item melior fieri posse videtur hic, qui Neapoli legitur, Egizii titulus (1):

VETVSTISSIMAM . NILI . STATVAM
AB . ALEXANDRINIS . OLIM . VT . FAMA . EST
IN . PROXIMO . HABITANTIBVS
VELVT . PATRIO . NVMINI . POSITAM
DEINDE . TEMPORVM . INIVRIA
CORRVPTAM . CAPITEQVE . TRVNCATAM
AEDILES . QVIDEM . ANNI . M . DC . LVII .
NE . QVAE . TOTI . HVIC . REGIONI
CELEBRE . NOMEN . FECIT
SINE . HONORE . IACERET
RESTITVENDAM . CONLOCANDAMQ .
AEDILES . VERO . ANNI . M . DCC . XXXIII .
FVLCIENDAM . NOVOQVE . EPIGRAMMATE
ORNANDAM . CVRAVERE

Dele *Vetustissimam*, neque enim non antiquissima esse ea statua poterat, quae *Ab Alexandrinis Olim* posita esset. Ne illa quidem necessaria *Velut Patrio Numini*, quippe id cuique facile, commemoratis Alexandrinis, occurrit. Tum illa *Deinde, Quidem, Vero* plane inutilia neque ex veterum more atque elegantia esse videntur. Similia his puto reliqua illa *Toti Huic et Celebre*. His omnibus extrusis, quae supersunt mensuram implent.

Initio etiam a re inutili factum arbitror in altero illo Egizii titulo (2):

IN . PVLCHERRIMA . VIA
FONTEM . SALVBERRIMVM
VETVSTATE . CORRVPTVM
ORD . POP . Q . SALERNIT .
REFICIENDVM . CVRAVERE
ANN . M . DCC . XXXIII .

si enim haec in ipsa via legebantur, quid opus erat ut de via

(1) Opusc. p. 279, n. 1.
(2) Opusc. p. 280, n. 3.

mentio fieret, cuius pulcritudinem usurpare oculis quisque posset?

Sed fuere etiam nonnulli, qui veterum breviloquentiam admirati, dum breves esse laborabant, orationem, sententia iusto parcius explicata, minus commode contraxerunt. Qua in re peccasse aliquid Ferrarius quibusdam videbatur. Exemplo sit haec eius inscriptio, ubi geminum verbum desideratur (1):

M . PLAVTIVS
AEDICVLAM . CVM . ARA
ET . DIEBVS . DOMINICIS . SACRVM
EX . PATRIS . TESTAM .

neque enim facile verbum reperies, quod utrique rei aeque conveniat.

Ne illa quidem omnibus satisfacit eiusdem funebris inscriptio (2):

CIVIBVS
QVI
PRO . PATRIA . OCCVBVERVNT
PACEM . ET . REQVIETEM
SVPERVM

Nescis enim, quibus ille pacem precatur, ii ne pugnantes, an in legatione aliqua laboribus confecti, an insidiis petiti pro patria occubuerint: tum etiam quinam funeri iusta solvant, decuriones ne, an collegium sodalium, an consanguinei.

Rursus in hac etiam inscriptione deesse aliquid clamant:

S . AGABIO
NOVARIAE . EPISCOPO . ET . PATRONO
VETERI . DIRVTO
MVNIENDAE . VRBIS . CAVSA
NOVVM . TEMPLVM
EX . PECVNIA
PVBLICA . ET . PRIVATA

(1) Pag. 174, n. 361.
(2) Pag. 189, n. 390.

nam illa *Veteri Diruto Muniendae Urbis Causa*, quia sine substantivo nomine sunt, haerentem lectorem faciunt. At plana fortasse omnia, si hoc pacto scribas:

SANCTO . AGABIO
EPISCOPO . PATRONO . CAELESTI
SACRVM
EX . PECVNIA . PVBLICA . ET . PRIVATA
TEMPLO . VETERI
MVNIENDAE . VRBIS . CAVSA
DIRVTO

Sic aliae huiusmodi ambages in aliorum titulis uno saepe aut altero verbo resolvi possunt.

Ad quae vitia facilius evitanda conducet vel maxime, si titulos, qui incidendi erunt, nihil de argumento praefati, amicis exhibeamus, rogemusque ut, his perlectis, quam cuiusque tituli sententiam esse putent nobis edisserant.

Verum, dum id diligenter curamus, ne quid in inscriptione supersit aut desideretur, cavendum illud quoque est, ne ea omnia, quae, salva sententia, tolli possint, superflua putemus; nam, praeterquamquod ornamentis huiusmodi fere subest res, nec inanis verborum sonus dici possunt, saepe etiam sollemnes formulae et ipsa dictio paulo copiosior vim auget sententiae, unde ipsa quodammodo crescit ac nobilitatur inscriptio. Inscriptionis autem virtutem non in eo sitam esse monuimus, ut longa sit aut brevis, sed ut iusta: atqui inscriptiones interdum occurrunt, quae, ut iustae dici possint, argumenti ipsius natura, grandiorem postulant orationem.

Ceterum iudicii nostri erit, ut exiguis in monumentis grandiore utendi genere non utamur, nec in magnis humiliori. Tum eorum etiam habenda ratio est, qui loquentes inducuntur, ne plura effari aut maiora videantur, quam vel aetas eorum vel dignitas ferat. Locum vero potissimum atque opus, in quo inscriptio legenda sit, vidisse saepe interest, ne aliis scilicet utamur verbis, quam oporteat.

Pronomina ipsa, quae nunc passim adscribi solent, antiquis in exemplis vix reperias ad opera ea designanda, quibus titulus inhaeret; ut ne adverbia quidem, orationis connectendae causa, crebro occurrent: raro praeterea geminum uni rei enunciandae verbum adhibitum: nihil autem verbis unquam sententiisque variatis bis expressum: plura demum, ut etiam adnotavimus, ex iis omissa, quae in ipsis efficta operibus quisque intuebatur. Haec maxime erant, quibus veteres inscriptionem immodice crescere arbitrabantur.

CAPVT IIII.

DE PERSPICVITATE INSCRIPTIONVM.

Inscriptionibus obscuritatem afferre haec maxime videntur, vel quod vetusta nimis et ignota consectamur, vel quod incerta quaedam et ancipiti significatione nutantia usurpamus, vel etiam quod regulas quasdam minutas negligimus, quibus maxime inscriptio perficiatur.

Primum igitur sapiens titulorum scriptor inauditum omne atque insolens verbum, tamquam scopulum, fugiet. Etenim si vocabula huiusmodi tunc quoque, quum latinae litterae florerent, eruditorum aures respuebant (1), quique his uterentur, ii nolle intelligi putabantur (2), quid nunc fieri necesse est, quum latinam linguam vix perpauci, nec optime tenemus? Quos vero inscriptio potissimum non obturbet ac moretur, in qua quisque plana omnia et concinna sibi spoponderit? Haereant sane plerique neque sententiam semper adsequantur: et hoc etiam fiet, ut cetera simul, quae proba sint, contemnant, ac tota scriptoris laus uno saepe verbo obteratur. Nimirum quos nunc titulos scribimus,

(1) V. Svet. in Aug. c. 86.
(2) V. Senec. epist. 114.

eos non mater Evandri legere debet, sed ii qui sermonem latinum in Tullii potissimum libris didicerunt; qui hanc esse latinam linguam putant, nec quae vocabula ceteri scriptores semel aut iterum usurparunt, ea semper vel nosse vel meminisse potuerunt. Non debes autem id existimare perspicuum, quod plerique sine interprete non intelligant, neque omnium communes habere eas voces, quae antiquariis iamdiu relictae sunt; nam quod in hisce vocabulis eruditio scriptoris enitere tibi videtur, hanc, qui aequissimi sunt, intempestivam appellant.

Quod vero ea quidam nunc utuntur excusatione, quod proprias cuiusque artis formulas, propria nomina usurpaverint, ii, quamquam aliquid probabile afferunt, exquisitius tamen locuti videntur, quam communis inscriptionum lingua pateretur: quo nomine interdum Ferrarius merito accusatur (1):

IVLIVS . MACER
OSTIVM . ANTEPAGMENTVM . VALVAS
ET . AB . EPISTYLIO
ACROTERIA . CORONAM . FASTIGIVM
D . S . P . F . C .

quae si omnia adsequi velis, nonne ad Vitruvium tandem atque ad interpretem eius veniendum est?

Ad graeca autem nomina quod pertinet, Tullium imitatus ea quidem, quae iam in usu sunt, recte usurpabis, cetera velut ridicule ambitiosa reiicies. Imo, quamquam graeca nonnulla habemus latina civitate donata, tamen quae latinis verbis efferri commode possint, ea graecis vel notissimis, Morcellio certe auctore, vix designabis; ac proinde *Hospitalia* potius cum Vitruvio (2), quam Xenodochium eam appellaveris domum, quae peregrinis excipiendis parata sit; item *Valetudinaria* cum Columella (3) eam, qua aegri recipiuntur.

(1) Pag. 17, n. 35.
(2) Lib. 6, c. 10.
(3) Lib. 12, c. 3.

Non modo autem, quo inscriptio perspicua sit, graeca nomina vitanda, quae simul latina non sint, sed interdum vel quaedam latina et probata reiicienda puto, si minus conveniant. Haec primum esse statuo honorum, munerum, curationum antiquas appellationes; tum geographiae vocabula quaedam, quae olim obtinuerint, at nunc prope obliterata sunt. Equidem in urbibus designandis antiqua omnino nomina praeoptaverim, si propria, si certa fuerint, quae sane et nota esse solent. At si adhuc sub iudice lis est, nonne satius erit, veteri more, barbarum adsciscere nomen, at certum, quam hoc abstinere, ut latinum, at incertum usurpem? Eodem modo, si urbs nominanda sit, quae post latinos scriptores condita fuerit, ut ut in antiqui oppidi ruinis constitutam multi contendant, malim recenti appellatione, quam veteri nomine utaris.

Recentiora autem provinciarum regionumque nomina prae antiquis optima habenda: neque enim earum iidem nunc fines sunt, qui olim fuerunt; ut qui veterum populorum appellationes usurpet, perraro certum aliquid ac definitum designet.

His iam adnumeres priscas monetae appellationes, quibus nunc si utaris, nemo fortasse summam pecuniae nostrae adsequetur; vix enim est, cui, quum ad sexterios venerit nummos, non iam grammatici consulendi sint.

Nonne satius erit, meliore veterum imitatione, quo ipsi pacto, a principum nominibus, *aureos philippos* habebant, *aureos antoninianos, argenteos aurelianos*; vel, ab ipsa effigie, *bigatos, ratitos, victoriatos* nummos suos appellabant; sic et nos *aureos venetos, paulos, iulios, scutatos* nummos nostros nominare?

Nonnulli etiam fuerunt, qui titulis suis tenebras offuderint singulariis litteris perverse abusi, quasi summorum sit ingeniorum non germanas veterum formulas nosse, sed quid stultissimus quisque somniarit, Chaldaeorum more, interpretari.

Atqui hac scriptionis contractione, qua temporis spatiive brevitati consulebant, numquam veteres sine modo delectuque usi sunt, ad ea scilicet tantum indicanda, quae,

quum iisdem semper verbis sollemnibusque formulis explicarentur, primis tantum eorum verborum litteris satis proinde indicabantur. Nec ideo tamen interdictum sibi unquam putavere, ne formulas quascumque vellent omnibus plane litteris perscriberent, neque titulis inde suis ornamentum sese conciliare credebant. Quanto igitur parcius eo nos scribendi compendio uti aequum est, qui ab illis consuetudinibus institutisque tam longe vivimus? Quare singulariis litteris raro uti praestabit, nisi quum una tantum sententia omnium iudicio subesse videatur; nam si eas alio etiam sensu commode interpretari quis possit, saepe iocandi ansam praebeas.

Iam in nominibus etiam decurtandis cavendum est, ne casus discrimen tollas. Veteres certe, quamquam CAES. passim scribebant, si sextus tamen casus designandus erat, quem alia nomina, ob similitudinem cum dativo casu, satis indicare non poterant, omnibus litteris scripsere CAESARE, ut hoc aliisque exemplis videre licet (1):

TIB . CAESARE
AVG . IOVI . OPTIMO
MAXVMO . ARAM
NAVTAE . PARISIACI
PVBLICE . POSVERVNT

Tum illud quoque curae esse debet, ne a vocabulis vel notissimis tot una litteras auferamus, ut eorum ambiguum fiat initium. Inepte quis scripserit *M. Fabius C. F.* si Fabii patri nomen *Carolo* aut *Cornelio* fuerit: nec recte qui *Presbiter* est duabus litteris PR. indicabitur; nam et *Praetor* et *Praefectus* legi poterit (2).

Denique ipsa etiam structura collocatioque verborum per-

(1) Acad. Paris. t. 3, p. 242.

(2) Ceterum quae veterum formularum litterae singulariae nostris conveniant titulis, quae item e priscis vocabulis trunca usurpari possint, ea omnia apud Morcellium libro tertio digesta et suis quaeque inscriptionum generibus attributa reperies.

spicuitati obesse potest. Accedat qui romanam historiam numquam attigerit legatque hunc Ferrarii titulum (1):

HAEC . LATA . LOCA
VIDERE . ANNIBALEM
PROGRESSVM . IN . INSVBRIAM
PRIMA . ROMANOS . CLADE
PELLERE

haud facile is victorem secernet a victis atque illius de Pyrrhi victoria oraculi instar putabit.

Porro nihil fere diligentius in titulis suis curasse veteres mihi videntur, quam ne quid obscure efferrent: qui quum verbum, ut fit, aut nomen aliquod, tamquam inutile, omitterent, adeo considerate fecisse videmus, ut nemo desiderare id posset. In quo sane nos etiam diligentes atque attentos esse plurimum refert, ne minus recto brevitatis studio lumen inscriptioni adimamus: orationem enim, vel una vocula temere praetermissa, obscuram facile atque ambiguam feceris. Si quid maxime geminum sit, et alterutrum tantum nominari oporteat, cave ne personae aut rei mentionem sine discrimine facias: cave etiam ne ullo dubiae significationis utaris verbo, quod in peius detorqueri possit: nec vero illud minus, ne res sic attingas, ut curiosis hominibus plura sciendi iniicias desiderium, nec tamen expleas. Mitto iam cetera: nam multa quidem tu ipse experiendo didiceris.

CAPVT V.

DE DICTIONIBVS INSCRIPTIONVM.

Antequam inscriptionem aggrediare, statuendum erit, quae dictio conveniat maxime, quaeque etiam auctoribus monumentorum satisfacere possit, quamquam ornatam ple-

(1) Pag. 92, n. 147.

rique cuiuscumque argumenti causa nunc probant; eliges autem, quae operi, et loco, et personis apta sit, ut neque magna extenuasse, neque, ut aiunt, tragoedias in nugis egisse videaris. Id erit scilicet definire, quae tibi res attingendae, quae relinquendae sint; nam dictio ipsa rebus magis, quam verbis ornata fit. Hinc iam formulas, quae singulis rebus respondeant, quaeres; et si qua occurret plenior atque sonantior, eam ornatae dictioni aptabis: quae pressior sit et paulo lenior, hanc in simplici dictione utere. Formularum vero omnis generis non exigua tibi copia libro tertio morcelliani operis parata est; atque ab his potissimum utraque dictio colorem ducet, quo ab oratoria ratione et poëtica distinguatur. Neque enim vocabula tantum solitaria aut mera nomina, sed textum ipsum verborum integrasque sententias suppeditat Morcellius. Quare iudicio denique tuo illud fere unum relictum est, quae res formulis careant suis, eas latine reddere, et hac efferre lege, nihil ut a ceteris discrepent: quod quidem latine scienti minime difficile esse debet, quum habeat ceteras formulas, ad quarum exemplar novas condat: nisi forte plusculum difficultatis affert ipsa conformatio coniunctioque verborum, qua de re capite sequenti agendum est.

Hic tamen adnotasse proderit, nulla re magis antiquam germanamque dictionem exprimi posse, quam si, natura veluti duce, sensa animi nativis verbis ac propriis, sine ulla eloquentiae aut elegantiae ostentatione, exprimamus; id nempe discrimen inter antiquas inscriptiones, et quae post Philippos Augustos confectae sunt plerumque invenies, ut illae quidem sponte e scriptoris fluxisse ingenio, hae vero multo expressae labore in lucem venisse videantur. In illis morum antiquorum eminet species, veritas in primis et moderatio et dignitas: at hae mores redolent externos, dissimulationem, prodigentiam, obsequium: itaque verba ipsa in illis et sententiae vix unquam exquisitum aliquid habent atque insolens, in his contra tota dictio artificiosa turget atque inflata est, velut si eas Lucretius aut Tibullus, has Ausonius aut Claudianus dictasset. Harum tibi exemplum

sit, quam subiicio, verbosa quidem et manifesta nimis contentione grandiloqua (1):

GREGARII . V . C .

CHEIONIO . CONTVCIO . V . C .
OB . EGREGIA . FACTA . ET . RA
RVM . VETERIS . SANCTITATIS
EXEMPLAR . ILLVSTRATORI
PROSAPIAE . SVAE . CVIVS . OPE
AVCTAM . INSTAVRATAMQ .
TOTA . SE . PICENI . ET . FLAMI
NIAE . PROVINCIA . GRATV
LATVR . QVO . IVDICANTE . QVA
SI . QVODAM . PARENTE
PRIMAEVO . SINGVLAE . CI
VITATES . IN . PRISTINAM . FA
CIEM . REVOCATAS . ESSE . LAETAN
TVR . FORONOVANI
DESIDERIA . TOTIVS
PROVINCIAE . PRAE
CEDENTES . STATV
AM . AD . VIVACEM . RECOR
DATIONEM . ET . SEMPITERNAM
MEMORIAM . POSVERVNT

Nunc ut de particulis orationis dicamus, e quibus ipsa dictio conflatur, eas utique tiro non aliunde, quam ex veterum exemplis petere assuescat, eiusque rei causa antiquarum inscriptionum lectione ipsae eius aures delectentur: nam sic cum legere par est, ut sonus verborum et numerus ad aures feratur; quippe harum denique sensu iudicioque, ut ait Tullius, superbissimo optima quaeque facile ex veterum etiam scriptorum libris optare atque ad titulorum structuram transferre poterit. Dum is tamen in veterum inscriptionum lectione se exercet, formulasque inde ac

(1) Fabr. p. 401, n. 229.

varias dictiones decerpit, non et verba indidem singula nullo discrimine sibi petenda esse putet: quae enim nusquam apud bonos latinitatis auctores reperire licet, quaeque non publicis inscripta marmoribus, sed privatis in titulis atque obscuris in epitaphiis leguntur, non eadem, quam cetera, auctoritate pollent.

Verumtamen in privatis monumentis si quis aliquando usurpare voluerit, quae in privatis item repererit, nec in latinis scriptoribus legantur, non admodum repugnem, dum ne ex iis titulis sumpserit, quibus mendum aliquod et soloecismus omnem auctoritatem eripuerit: cuiusmodi sane hic non est, quem subiicio (1):

HIC . SITA . EST . AMYONE . MARCI . OPTIMA . ET . PVLCHERRIMA
LANIFICA . PIA . PVDICA . CASTA . DOMISEDA

istud *Domiseda* in antiquis scriptoribus non occurrit, sed tamquam latinum quis verbum non immerito usurpet, quum cetera epitaphii verba lecta omnino et latina, illud a non rudi auctore prolatum demonstrent, cui quidem, si ipse vocabulum primus excudit, exemplo fuerunt alia huiusmodi, ut *Domicenium, Domiducus, Domiporta.*

Eodem modo, quamquam cippos sive terminos e Tiburtino lapide nusquam *Tiburtinos* tantum in libris legerit, probat tamen hoc vocabulum Morcellius, quod probabili illud in monumento offenderit: sic *Tatam* et *Tatulam* pro nutritore, ut ut hanc vocem unus fortasse Martialis eo sensu usurpaverit.

Verum enim ut optimis veterum dictionibus recte utaris, non tam exemplis opus erit, quam iudicio et intelligentia; siquidem in dictionibus eligendis non raro fallimur, quod sententiae vim minime adsequuti, usum verborum ac formularum ignoramus. Sic in tiburtina quadam inscriptione (2) legitur *Viam Integendam Curavere.* Porro si hoc *Integendam,* idem ac *Sternendam* vel *Muniendam* existimes, falleris utique, ut vel ipse Maffeius est falsus, qui hac de causa labare

(1) Fab. p. 252, n. 35.
(2) Grut. p. 150, n. 1, 2, 3.

illius inscriptionis auctoritatem scripsit (1). Eadem ratione, qui veteri Celtarum vocabulo *Legae*, *Leucae* aut *Leguae* vel etiam *Leugae*, quod in quibusdam militarium viarum columnis legitur, in latina inscriptione utatur, non id iam nunc indicaverit, quod sibi proposuerit, quippe et *Leguam* et *Milliarium* in Gallia definita fuisse tradit Belleius (2), passibus scilicet mille et quingentis. Idem de illis dicendum, qui in monumentis inscribere consueverunt *Exornabant*, *Restituebant Dedicabant*, pro *Exornarunt*, etc.; Graecos scilicet artifices perperam imitati, qui in statuis suis ἐποίει scribebant. Etenim suspensum illud ἐποίει quid sibi vellet a Plinio discere potes (3).

Ceterum fieri aliquando potest, ut suspenso verbo uti debeas; tum nempe quum inscriptio non una de eodem opere, nec eodem tempore incidenda fuerit; ut si extrema opus perfectum, aliae inchoatum aut productum debeant ostendere. Huiusmodi fuit quae a Bonfadio, ut fertur, condita est, quum Genuates urbem a mari etiam moenibus cingerent, quod annorum aliquot opus fuit (4):

AVCTA . S . C . MOLE . EXTRVCTAQVE
PORTA . PROPVGNACVLO . MVNITA
VRBEM . CINGEBANT . MOENIBVS
QVACVMQVE . ALLVITVR . MARI
ANNO . M . D . LIII .

hanc et Latini veteres probassent, nisi forte scire voluissent, quibus a magistratibus opus illud susceptum aut probatum esset.

Permulta alia sunt quae in recentiorum inscriptionibus temere usurpata reperiuntur, quamquam verissime iidem affirmant, ea se in antiquis marmoribus invenisse: in aliam

(1) Art. Cr. L. I, 3, c. 4, p. 203.
(2) Acad. Paris. t. 19, p. 636.
(3) H. N. in praef. sub fin.
(4) Zachar. Excurs. litt. p. 29.

enim sententiam nec opinantes detorserunt, et ea significatione acceperunt, quam nunquam habuerunt: ut qui *Comitia* appellant, ad quae, non populus, sed civitatum primores tantum et optimates convenisse dicuntur: qui aream ante domum aut templum vocant *Forum*, et quod forum est *Plateam* dicunt: qui *Aulam* nominant, quae Graecis et Vitruvio Oecus est sive Cenatio aut Conclave in aedibus maximum; nam *Aula* locus est subdialis, sive, ut ait Athenaeus, ὁ διαπνεόμενος τόπος. Idem faciunt, qui *Officinam* esse putant, in qua non opus fit, sed aliquid venale prostat, quae proprie *Taberna* est: quique *Claustrum* recte appellari existimant, quod Atrium aut Peristylium dici debet; et quae templi Cella est *Navim* vocant. Male etiam *Praesules* vocantur, qui Antistites sacrorum sunt; nam Praesul idem ac Praesultor: itaque hoc nomine princeps Saliorum appellabatur, sero autem eodem designari coeptus, qui universim rei alicui praeesset. Fuit etiam qui Pontificem Maximum *Regem Sacrorum* appellaret: omnino inscienter; id enim sacerdotium diserte Livius Pontifici Maximo subiectum fuisse tradidit: et erant aliae causae, cur hoc vocabulo abstineret. Nec vero erudite ille alius, qui principis sui nomini apposuit *Patrono Indulgentissimo*; nam privati ea viri appellatio est: itaque Augustos suos Romani *Dominos* potius, aut *Principes*, aut *Parentes*, aut *Conservatores* et huiusmodi vocaverunt.

Iam et a quibusdam minus proprie, qui Tullii aetate aut antea unquam inanium deorum cultores erant, *Pagani* dicuntur; quae appellatio recte iis tribuetur, qui christianis temporibus superstitione veteri etiamtum infecti erant. Peccavit etiam, qui pridianam Natalis Christi sollemnitatem *Pervigilium* dixit, quo nomine sacrum nocturnum et integrae noctis vigilatio designabatur: qui *Aes Precarium* pro stipe induxit, *Protectorem* vocavit, qui Patronus aut Defensor dicendus erat, *Benefactorem* municipii scripsit, quod plane barbarum est, ubi *Conditor* potius, aut *Restitutor*, aut *Locupletator*, aut denique Municipii *Parens* scribendum erat; quique *Typographiam*, *Typographicam Artem* et *Typographum*, externis vocibus, dixit, ubi, latinis plane voca-

bulis, *Officinam Librariam, Artem Librariam, Officinatorem Librarium* scribere fas erat (1).

Denique veterum dictiones ii quoque pervertunt, qui antiquas formulas nullius generis proprias, sed communes omnium habent: quod iam vitium facile vitabis, si tertium morcelliani operis libro utaris, qui formulas ipsas in sua quasque genera distributas proponit, optimarumque praeterea dictionum copiam, non exiguo labore comparatam, apta usus partitione explicat.

Nil igitur iam reliquum est, nisi ut tironem moneamus, ne latini sermonis inscitia humiles voces et abiectas, quibus vix comici utuntur, dignas unquam putet, quae inscriptionibus inserantur. Ne in infimi quidem hominis epitaphio, nedum in iis titulis, qui publice inscribi debent, committendum est, ut sine venustate locuti esse videamur. Scio vetera extare epitaphia, quae huiusmodi adspersa sint maculis, et esse etiam qui nunc de faece haurire malint, quam de fonte: quid tamen? apage istiusmodi de plebe ornamenta, quae non minus repudianda sunt, quam ea, quae contra grammaticorum leges scripta esse reperiamus; utraque enim a recta abeunt norma, nec eorum propria esse potuerunt, qui nobis potissimum imitandi sunt.

CAPVT VI.

DE IVNCTVRA VERBORVM ET PARTICVLIS INSCRIPTIONVM CONNEXIVIS.

Quamquam iam multa de rerum ac verborum serie atque ordine dicta sunt, quum de singulis inscriptionum generibus ageremus, quaedam tamen supersunt, quae omnium

(1) Liceat hic mihi cum Morcellio non sentire, qui non bene litteratos viros *Viros Clarissimos* appellari arbitratur, quod nempe, ut ipse ait, ea formula veteres dignitatem virorum, non doctrinam designarent. Scio equidem hanc vocem aliquando senatoribus et consulibus, postea etiam proconsulibus, consularibus, correctoribus provinciarum aliisque, tamquam proprium dignitatis indicem, esse adsignatam. At enim num idcirco eam nativam significationem exuisse putem, interdictumque nobis eodem illam sensu usurpare, quo Tullius aliique usi sunt, apud quos pro *Nobili*, *Insigni*, *Celebri*, *Excellenti* stare illam saepe videmus? O. B.

fere inscriptionum communia quum sint, hoc loco exponenda esse videntur: primum enim quidam nobis occurrunt, qui in verborum coniunctione nulla se lege teneri existiment, quos animadvertere iuvat, non pauca esse, quae hac ipsa in re a veteribus summa religione servata sint.

Mitto hic, Deorum et hominum nominibus eam semper sedem esse tributam, unde si dimoveas, vix alium reperire his locum possis, quo apte collocentur. Hoc quoque veteres non minus accurate praestiterunt, ut in appositis adscribendis ordinem quemdam grammaticum simplicemque tenerent, atque his res quasque subnecterent ea maxime dispositione, quae prima postremis dilucide numeroseque coniungeret.

Enimvero si veteres deorum titulos consideremus, in his quidem ἐπίθετον ante postve nomen scripsere; itaque eruditae aetatis lapides habent *Omnipotenti Deo Mithrae, Virgini Victrici Sanctae Deae Nemesi, Deo Sancto Mercurio Augusto,* et contra *Soli Sanctissimo, Minervae Paciferae* et pleraque huiusmodi; verum ea apposita, quae substantiva essent, ac vim deorum numenque praesens significarent, ea semper nomini subiecta sunt, ut *Iovi Depulsori, Neptuno Adiutori, Herculi Servatori*; neque hisce appositis, ut plerique nunc faciunt, patrios casus praescribere, sed omnino subscribere solebant: *Fortunae Conservatrici Horreorum Galbianorum*; *Diis Deabusque Praesidibus Provinciarum.* Excipe tamen ex adiectivis nominibus *Potens,* quod fere genitivum casum subsequitur: *Deo Neptuno Aquarum Potenti, Mercurio Lucrorum Potenti et Conservatori.*

Iam post deos hominum ciendorum ea ratio fuit, ut nominibus primo fere loco praescriptis apposita omnino subiicerent, tum appositis adderent patrios casus (1):

LABERIA . FELICLA
SACERDOS . MAXIMA
MATRIS . DEVM . M . I . (2)

(1) Don. Cl. 1, n. 168.
(2) *Magnae Idaeae*

Sic alia sacerdotia enunciantur: *Magister Collegii Fratrum Arvalium, Pontifex Tolentinatium:* sic et magistratus ac curationes, quotiescumque patrio etiam casu designanda essent: *Quatquorvir Viarum Curandarum, Curator Pecuniae Alimentariae, Proconsul Provinciae Asiae:* nec aliter tituli illi, quos laudis causa adscribebant: *Conservatori Orbis Terrarum, Parenti Patriae, Locupletatoribus Municipii.*

Porro dativi etiam casus et ablativi, quibus maxime munera indicabantur, post apposita item scripti reperiuntur, ut *Decemvir Stlitibus Iudicandis, Triumvir Auro Argento Aeri Flando Feriundo, Quatuorvir Aedilicia Potestate:* sed tamen ex appositis ea, quae adiectiva sunt nomina, obliquos fere casus sequuntur, ut *Principi Castrorum Equo Publico Exornato Et Donis Donato, Omnibus Honoribus In Patria Sua Functus, Praefectus Iuri Dicundo Ab Decurionibus Creatus.* Nomen tantum principis fere adiectivo subiicitur, ut *Curatori Reipublicae Dato Ab Imp. Traiano.*

Sunt et ἐπίθετα laudis causa substantivis nominibus iuncta: quae, si de principe sermo est, fere nomen antecedunt: *Optimo Principi, Nobilissimo Principi* et huiusmodi: at ceteris nominibus fere subiiciuntur: *Praesidi Abstinentissimo, Patrono Optimo, Amico Incomparabili.*

Quod si ἐπίθετον muneri aut arti designandis nomini coniungeretur, ne tum quidem praeibat, ut *Pontifex Maximus, Tribunus Laticlavius, Faber Argentarius.* Adiectiva item nomina, quae substantivis addita dignitatem et gradum cuiusque declararent, secundo passim loco scripta reperies: *Vir Clarissimus, Vir Spectabilis, Vir Inlustris.*

Ut apposita, sic et pronomina primarios fere casus sequuntur, ut *Ob Merita Patris Et Ipsius, L. Arruntius Philippus Et Q. Codius Filius Huius, In Solacium C. Vallii Postumi Patroni Municipii Patris Eius*; idem tamen pronomen inter similes casus medium aliquando legas, ut *Ob Adsidua Eius In Hanc Remp. Merita*; item ante geminum casum, ut *Quod Eius Ductu Auspiciisque.*

Numerorum etiam adscribendorum regulam quamdam veteres habuere. Honores quoties quisque coepisset eosdem, numero post magistratuum nomina scripto indicabant, ut

Dictator Quinctum, Cos. III., Duumvir Iterum, Quinquennalis II. Eodem modo vitae annos numero post nomen expresso demonstrari videmus, *Vixit Annos XXXX.* et, appellatione ipsa aliquando praescripta, *Vixit Annos Numero XXX.*

Contra ubi de sestertiis nummis agitur, primum nota sestertii occurrit HS, deinde numerus fere, exempli causa, XXX. tum N., id est *Sestertiis Triginta Nummis.* Si autem totidem sestertiûm millia significanda erant, nulla post numerum scribi littera solebat, aut N tantum ante ipsum numerum, *Pecunia N. HS. XX.* id est *Numero Sestertiorum Viginti.* Ceterum in aliarum rerum numero prodendo de notarum ordine ac loco minus veteres laborabant.

Varios iam casus, varia nomina et apposita, nisi certis orationis particulis utamur, raro coniungi recteque componi posse, manifestum est. Nec tamen iis omnibus usi veteres sunt, quas poëtae oratoresque licentius usurparunt. Primum enim iis fere abstinuerunt, quae inutiles essent: itaque quum deos suos appositis ornarent, nullo ea nexu iungebant: *Herculi Victori Pollenti Potenti Invicto D. D. L. M.* (1). Iidem tamen, si plures dii nominandi erant, ne quis unum multis nominibus Deum esse putaret, non raro particula ET alterum ab altero distinguebant: *Silvano Sancto Et Mercurio Et Libero Patri Sacrum.* Sic et nomina dedicantium enunciabant, si plures essent: nisi quod primum aliquando recto casu, alterum ablativo efferebant, particula CVM praeposita: *M. Gellius Stephanus Iun. Cum Stephano Patre Restituerunt Dedicaveruntque.*

Magistratus autem, curationes, gradus militares, sacerdotia sine ulla coniunctione recenseri item solebant, atque idem potius nomen ter quaterque insertum est, quam ulla nexus particula illius loco recepta: *C. Iunio C. F. Quir. Flaviano Praef. Annonae Proc. A Rationibus Proc. Provinciarum Lugdunensis Et Aquitanicae Proc. Haereditat. Proc. Hispaniae Citerioris.....*

(1) *Donum Dedit Libens Merito.*

Verum si quis rei uni munere gemino praeesset, vel etiam bina negotia unius magistratus nomine administraret, tum vero et munera et negotia connexivis particulis copulabantur: *Ti. Iulio Optato Pontiano Procuratori Et Praefecto Classis.*

Ad summam coniunctio ab antiquis libenter recepta, quotiescumque ad perspicuitatem utilis esset: magis vero particulam ET probarunt, quam AC aut ATQVE; nec saepe iis usi particulis, quae αὔξησιν sapiunt, quippe inscriptionem illis plus aequo produci ac pene inflari putabant; sed si quando adsciverunt, ita circumlocutione usi sunt, ut περισσολογίαν tamen vitarent: *Divo Antonino Aug. Senatus Populusque Laurens Quod Privilegia Eorum Non modo Custodiverit Sed Etiam Ampliaverit.....*

Videas etiam, particula ET reiecta, CVM placuisse, ac simul verbum plurali numero adscriptum esse, perinde quasi casibus rectis iungeretur duobus: *Fecerunt Helius Affinianus Cum Sex. Psyche Coniuge.* Rursus pro ET usurpatum aliquando est ITEM aud IDEM: *Thallus Posuit Item Dedicavit, C. Torasius Fecit..... Idem Dedit....* Alias, clari viri nomine inscripto, et honore monumenti indicato, narrationem subnectebant, initio facto a pronomine HIC.

Ceterum haec in imperatorum titulis non occurrent, quorum oratio una ac perpetua esse solet. Quin et privatis plerumque curae fuit, ut eodem modo inscriptionem ad ipsum exitum sermone nunquam interrupto deducerent, relativo ad id pronomine praesertim usi.

At si res gestae, si magnae virtutes, si praeclara beneficia prodenda erant, alias fere particulas easque felicius usurparunt. Hae sunt QVOD, AD, VT, EX, OB in ornata praesertim dictione: in simplici autem saepius occurrunt PRO, IN, CVM, SVB et similes harum, quae fere longam post se orationem non requirunt, cuiusmodi illa sunt *Pro Salute Arriae Suae, In Memoriam Minei Prisci, Sub Quorum Tutela Augusti Militant.* Nec tamen coniunctionibus istis ad inscriptiones condendas ita opus est, ut nullae sine illis iustae perfectaeque esse possint; nam si res gestae aut causae monumentorum sexto casu efferantur, sive simplici

sive ornata dictione utaris, egregiae saepe inscriptiones atque optimae existant. Exemplo sit haec Morcelliana (1):

PIVS . VI . PONT . MAX .
ANNO . SACRI . PRINCIPATVS . SEXTO
VT . MEMORANDA . ARTIFICVM . EXCELLENTIVM . INVENTA
LINEARIS . PICTVRAE . EXEMPLIS . EXPRESSA
POSTERITATI . PROPAGARET
AVCTIS . BIBLIOTHECAE . VATICANAE . SEDIBVS
NOVOS . LAVDATORVM . DIAGRAMMATVM . CODICES
SVA . IMPENSA
INSTITVENDOS . ORDINANDOSQVE . CVRAVIT

Quae hactenus de iunctura verborum ac de connexivis particulis dicta sunt, nemo tamquam levia et exigua contemnat. Parum certe vidisse dixerim, qui non ab his titulos saepe colorem ducere atque ad antiquorum formam perfici animadverterit. Neque ego tamen, quae plerisque inscriptionibus convenire dixi, ea omnia in monumentis etiam sacrorum et in fastis quibuslibet et in constitutionibus publicis accuratissime servanda semper esse statuerim: quae veteres quoque liberius paulo ac solutius scribenda putaverunt. Id tute videris, et usu maxime atque imitatione definieris.

CAPVT VII.

DE FIGVRIS INSCRIPTIONVM.

Quum illi errant, qui nullam sive verborum sive sententiarum figuram inscriptionibus convenire censent, tum graviori in errore versantur, qui omnes inscriptiones figuris distinguendas arbitrantur: facilius enim probabiles inscriptiones ab illis fient, qui figurarum ornatum repudient omnem, quam ab iis, qui eas studiose et avide consectentur.

(1) *De St. inscr.* l. II, part. III, c. VI.

Primum igitur eas sententiarum figuras, quae poëticae plane sunt, aut oratoris quodam animi impetu concitati propriae videntur, inscriptioni minime aptas esse veteres putaverunt: neque enim inter antiqua exempla numeres nescio quas inscriptiones plane ineptas, cuiusmodi haec est, quae cum aliis in Dacia reperta dicitur (1):

FORTVNAE . AVG . OMNIPOTENT .
VBI . ERAS . RHAMNVSIA
VBI . ERAS . QVANTVM . ABFVIT
NE . ROMA . LVGERET . SED . VIVIT
TRAIANVS . VE . TIBI . DECEBALE
MILSS . LEG . VI . ET . XII . G .
DEVOTIS . CAPITIBVS

Nempe Latini veteres in illis ipsis, quas ad singularem dictionem pertinere inscriptiones diximus, multo se parcius modestiusque habere consueverunt, ea saepe forma delectati, quae monumenti auctorem primae personae figura loquentem faceret, vel tumulorum conditores sepultos adloquentes, aut sepultos ipsos aliquid garrientes, aut viatores compellantes et similia; nec ultra hos terminos latius licentiusque exspatiari sibi unquam indulsere.

Ad figuras autem quod pertinet, quas communis etiam recipit stilus, eae paucae omnino, ac fere in verbis consistunt. Primum quidem, ut res alias, sic aedificia aliquando non propriis, sed aliunde petitis nominibus apte appellarunt: ut apud Beneventanos Vidius Pollio, qui curiam a se exstructam *Caesareum* appellavit, et Romae Augustus, qui sepulcrum Caesarum, quod propter Tiberim aedificarat, *Mausoleum* dici voluit. Sic Romae item ingenuarum artium ludus ab Hadriano constitutus *Athenaeum* dictus est.

Translata quoque veteres quaedam usurparunt laudis causa, ut quum imperatores suos *Parentes Patriae* appellarunt, Augustas vero *Matres Castrorum Senatus Ac Patriae*.

Interdum et pro ipso nomine rei definitionem descriptionemque usurparunt, ut quum pro *Natali Aug.* dixere *Qua*

(1) Grut. p. 73, n. 8. V. p. 23, n. 3.

Die Eum Saeculi Felicitas Orbi Terrarum Rectorem Dedit: vel quum pluvialium imbrium rivos vocavere *Aquam Coelestem Dilabentem Montibus* et similia.

Saepius autem ἔλλειψις et μετωνυμία occurrent, ut TRIB. POT. pro *Tribunicia Potestate Ornatus;* EQ . PVB . pro *Equo Publico Honoratus;* AGRIPPINA . GERMANICI pro *Agrippina Germanici Uxor; Ornatus Sententia II. Virali* id est *Cui tributum, ut sententiam in curia dicere possit inter Duumviralicios; Vicus, Colonia, Municipium, Domus* pro *Vicani, Coloni, Municipes, Familia.*

Quae demum figurae verborum sunt paulo luculentiores, et apertiorem habent artem ac magis affectatam, eae, si gradationem exceperis, omnes repudiatae, atque ipsa etiam gradatione sic usi veteres, ut oratorum vim numerosque vitarent. Quae vero sententiarum appellantur, ex his non alia fortasse recepta, quam epiphonema, quo item modestius usi veteres, quam poëtae aut oratores solent.

Quare nobis haud minus curae esse debet, ne pluris verba, quam res ipsas faciamus: idque tironem meminisse iuvabit, nulla re magis extenuari inscriptiones atque auctoritatem amittere, quam si rerum forte inopia laborantes, grandia tenues conemur, atque a levibus tropis et inanibus verborum sonis temere ornamenta petamus.

CAPVT VIII.

DE NVMERIS MODISQVE INSCRIPTIONVM.

Ut graeci olim latinique oratores delectationis atque aurium causa numerum a poëtica sic ad eloquentiam traduxerunt, quemadmodum orationis severitas pati posset; ita nobis ornandi gratia eum esse in numero modum adhibendum existimo, ut quantum inscriptionis genus postulet, tantum cuique tribuentes et auribus iidem et rebus ipsis servire videamur.

Ut enim non unum est inscriptionum genus, ita nec idem cuique numerus convenire potest. Quis enim non videt,

variis rebus diversisque personis saepe brevem orationem aptam esse, interdum longiorem; ac modo grandem, modo lenem omnino congruere? Quo fit, ut nec semper eodem numero cadere possit, et modo incidenda sit, ne turgeat, modo fulcienda et sustentanda, ne humi repere videatur. Quin etiam tituli aliquando existant eiusmodi necesse est, ut numerum in his, de quo loquimur, propter eorum brevitatem, nullum esse contendas; quamquam si verba vel pauca sic ad aures ferantur, ut non modo rem perspicue nos doceant, sed nullus etiam sit verborum, nullus litterarum asper concursus, in his quoque numerus iam esse aliquis videtur.

Iamvero ad sacras primum inscriptiones quod pertinet, ob ipsam argumenti dignitatem liberius fere numerosa oratione veteres delectati sunt, quae quamquam in simplicis dictionis exemplis minus percellit, quippe brevi haec verborum ambitu plerumque concluduntur, ita tamen in his etiam gravis est et decora, ut numerum saepe satis iucunde hauriamus. Non hic ipse votivae tabellae titulus numerose et apte cadit (1)?

PROSERPINAE
SERVATRICI
SEX . VOLVMNIVS
PRO . AEMILIA . PETE
LINA . CONIVGE . SIBI
RESTITVTA
EX . VOTO . SVSCEPTO
ARAM . CONSECRAVIT

At iis in exemplis, quae ornatae dictionis sunt, cuius aures tam hebetes inveniantur, ut vocalem eorum numerum non accipiat? Lege quae in librum primum operis sui Morcellius congessit, quaeque inde in hanc appendicem suo loco sunt relata: tum multa etiam, quae hoc ipso volumine e penu suo Vallaurius evulgat.

(1) Fabr. 470, n. 109.

Inscriptiones vero honorariae, quae fere publice positae sunt, numeros habent multo etiam insigniores: eae maxime, quae honores imperatorum laudesque continent senatus populique romani nomine celebratas, quasque idcirco pro summa principis populi amplissimique consilii dignitate magnum quiddam sonare et aures complere par erat. Nec vero municipalium inscriptionum remissiores numeri sunt, quas saepe longa munerum publicorum enumeratio intendit atque sustentat (1):

T . VARIO . CLEMENTI . PROC .
PROVINCIARVM . BELGICAE
GERMANIAE . SVPERIORIS . GERMANIAE
INFERIORIS . RAETIAE . MAVRETANIAE . CAESARENS .
LVSITANIAE . CILICIAE . PR . EQ . AL . BRITANNIC . MILIAR .
PRAEF . AVXILIORVM . IN . MAVRETANIAM . TINGITANAM . EX
HISPANIA . MISSORVM . PRAEF . EQ . AL . II . PANNONIOR . TRIB . MIL .
LEG . XXX . V . V . PRAEF . COH . II . GALLORVM . MACEDONICAE
CIVES . ROMANI . EX . ITALIA . ET . ALIIS . PROVINCIIS
IN . RAETIA . CONSISTENTES

Quae autem honorariae inscriptiones in simplici dictione consistunt, ne illae quidem numeris carent suis, quod oratio earum perpetua sit atque uno volvatur spiritu unoque exitu tota concludatur.

Contra in epitaphiis rarius veteres longo anfractu et oratione perpetua usi, modos probarunt leniores: nam et sententias identidem diviserunt, et unamquamque ad spiritum vocis aptam esse voluere. Id scilicet moerori etiam significando magis idoneum visum est: vix enim qui gravius dolent sermone utuntur perpetuo. Tum illud viderant, uno in epitaphio multa saepe commemoranda, quae cohaerere inter se et una claudi periodo non possint. Quaedam tamen clarorum virorum epitaphia invenias, quae magistratuum, curationum, militarium graduum enumeratione insigniora fiunt: sed haec etiam incisa quodammodo sunt, ut in his sententiae sint, quarum altera defuncti laudes et vitae anni,

(1) Maff. M. V. p. 241, n. 5.

altera carorum officia extrema aut formulae quaedam sollemnes concluduntur. Quae autem una perpetuaque sententia scripta sunt, ea fere brevissima, etiamsi ornata dictione constent; eademque aequabili orationis lenitate deducta esse animadvertes.

Porro huiusmodi pleraeque ex historicis sunt, *Fasti* in primis et quas *Indices* appellavimus: neque enim in his longae ornataeque dictioni locus, sine qua numeros remissiores esse necesse est. Ceterum ab his longe abeunt operum publicorum inscriptiones, praesertim imperatoriae, in quibus stilus ipse adsurgit atque eminet, itaque et modos capit plane manifestos: quos potissimum in dictionis ornatae exemplis quisque sentit nec sine iucunditate auribus accipit. Ex his Traiani inscriptiones numero ceteris fere antecellunt, e quibus haec quoque est (1):

IMP . CAESAR . DIVI . NERVAE . F . NERVA
TRAIANVS . OPTIMVS . AVG . GERMANICVS
DACICVS . PONTIFEX . MAX . TRIBVNIC .
POTEST . XVIII . IMP . VII . COS . VI . SACRARIA
NVMINVM . VETVSTATE . DILAPSA
A . SOLO . RESTITVIT

In ellogiis autem hos quidem numeros non invenies: studio enim veteres rerum multarum complexione abstinuisse videntur, ne oratio exultaret audacius; sed singulae res singulis sententiis, et numerose tamen apteque ad spiritum vocis expositae sunt. Nam et spatio circumscriptae brevi, verbo item singulae ad certas mensuras clauduntur; nec dissimilitudine soni atque vocum ita inter se differunt, ut modi in tota oratione diffusi omnino lateant. Itaque ellogium etiam impressiones habet quasdam numeris non continuis, sed tamen eiusmodi, ut orationem aequalibus prope intervallis metiri possis. Atque haec distinctio et aequalium fere intervallorum percussio numerum conficit non iniucundum: quippe illud caverunt diligentissime, ne

(1) Fabr. *De C. Tr.* p. 293.

verba extrema eodem syllabarum concentu ingratos auribus atque insuaves ederet sonos.

Constitutionibus denique publicis suus item est numerus non idem omnino in singulis, sed tamen lenior fere atque remissior in omnibus. In legibus quidem, in decretis, in edictis prope oratorium esse dixeris; nam saepe in his relativo pronomine oratio inchoatur, et enumerationes fiunt et exornationes et narrationes: nec raro periodi occurrunt insignes, quae in locupleti etiam oratione legi possint. Ceterum formulas singula suas habent et clausulas, quibus verborum ambitus infringuntur nonnihil et oratorius ille retunditur numerus, ne aures nimium percellat. Reliqua autem minus etiam adsurgunt, et tenui deducta filo epistolarum lenitatem aut moderatam historicorum dictionem imitantur.

Nunc vero, si illud a me quaeras, quonam pacto numerosa fieri inscriptio, vel etiam quatenus debeat, difficilius equidem puto de inscriptionum numeris praecipere, quam facere. Scilicet *hominum aures*, ut inquit Tullius (1), *vocem natura modulantur ipsa*; tum, ut idem ait (2), *nihil est tam tenerum neque tam flexibile neque quod tam facile sequatur, quocumque ducas, quam oratio*. Ex quo fit ut ad numerosam inscriptionem quidquid opus est, id in promptu cuique esse videatur; sed quum praecepta et regulae requiruntur, ad veterum exempla tandem veniendum est, quae tiro quum perlegerit, eum iam aures melius, quam magister, edoceant.

Sed tamen a collocatione verborum oriri numerum constat; haec enim inscriptionem iunctam efficit atque, ut ita dicam, levem et aequabiliter fluentem, quibus fere in rebus numerus consistit. De ipsa autem collocatione hoc praecipi potest, ne verba priora, cuicuimodi ea sint, cum consequentibus ita iungamus, ut aspere concurrant aut vastius diducantur; deinde ut vocum delectu habito, quae maxime illustres sint, dissyllabas rarius recipiamus, iambumque pedem ac trochaeum frequentem segregemus, ut bacchio

(1) *De Orat.* l. 3, c. 48, n. 185.
(2) *De Orat.* l. 3, c. 45, n. 176.

saepius et anapaesto et paeone utamur; tum etiam ut caveamus, ne quum ad intervallorum percussiones venerimus, similitudo litterarum et sonus idem redeat; neve praecipua tituli sententia, quae rem totam complectitur, ultra unius periodi fines excurrat; denique ne circuitu verborum utamur aut breviore, quam aures expectent, aut longiore, quam angustiae spiritus patiantur.

Quia vero numerum inscriptionum infringunt nonnumquam annorum notae, magistratuum nomina, formulae etiam, quibus publica auctoritas designatur, quae nimirum non initio semper aut paucis, ut opus est, verbis efferri possunt: idcirco haec omnia, quum omitti nequeunt, commode ad calcem inscriptionis reiicies et extra illius ambitum solitaria subscribes.

Ceterum id plurimi interest, ut eos inscriptionibus numeros modosque aptemus, quos forma cuiusque argumentique dignitas poscat, quo rei magis quam aurium rationem habuisse videamur; quod quidem nunc nonnullos minus spectare dixeris, adeo vel minimis in rebus sesquipedalia verba ad speciem atque pompam festive contexunt. Tu vero id velim usque animadvertas, quo te in genere inscriptionum exerceas: neque enim veteres, ut supra monuimus, eodem in singulis generibus numero usi sunt, eosdemque passim modos probaverunt. Quare hoc statuas auctor sum, antiqua exempla ex eo ipso genere, quod attingere debeas, multa tibi ante legenda: sic enim fiet, ut, quum lectioni aures adsueverint, ipsi se offerant numeri et respondeant non vocati; nec tamen alii sint, quam qui potissimum condendae inscriptioni apte conveniant.

CAPVT VIII.

DE SCRIPTVRA INSCRIPTIONVM.

Parvis sane de rebus hoc caput est, sed quas nosse non parvi interest, nam et a scriptura diligenti venustatem tituli habent, vel certe ipsa litterarum ac versuum elegantia

legendi cupiditatem iniiciunt. Verum quum duo sint, quae hic a nobis consideranda essent; alterum, quod ad verborum efferendorum rationem pertinet, iis relinquo, qui de Orthographia pridem uberrime tractarunt (1); alterum, quod est de litterarum, notarum, ac versuum forma, paucis admodum attingam.

Lapidarias igitur litteras non modo antiqua omnes forma et primaria, sed, si titulus sublime locandus fuerit, omnino grandes insculpi oportere, primum omnium memineris; quod quidam quum non animadvertissent, inscriptiones eorum adeo minutis incidendae litteris fuerunt, ut de plano legi non possent. Ob eam rem, si fas, adire te locum velim et monumenti lapidem inspicere, quo scias demum quot verba singulis in versibus, quotque tota in tabula versus includi possint. Quamquam non id eo consilio faciendum est, ut, si tabula longe lateque pateat, plura unum in titulum congerantur, quam quae opus sint: quippe spatium illud totum, ut par est, impleri facile potest, aucta productaque litterarum forma omnium: hoc potius spectare debes, num tabula eiusmodi sit, ut ob spatii angustias inscriptionem simplici dictione confectam requirat, an ornatam etiam et plenam admittat.

Titulum deinde accurate in charta ipse scribes perfectum emendatumque, ea usus litterarum figura, qua incidendus sit, ut, praeter litterarum mensuram scalpturamque, nihil lapicidae arbitrio relinquatur. Tale autem exemplar paraveris, ut singulis versibus litterae magnitudine inter se pares sint; nam si vel primos versus maiusculis vel postremos aut medios minusculis totos litteris perscripseris, nemo id, dum quadratae omnes fuerint, contra veterum exempla factum arguerit. Marmora sane ostendere possis permulta, in quibus inscriptionum partes quasdam maioribus litteris, ceteras minoribus incisas videamus: nec unus interdum aut alter tantum, sed plures admodum variant versus. Praenomina praesertim, et nomina et cognomina

(1) V. Manutium, Lipsium, Dansquium, Cellarium, et, ad inscriptiones quod propius pertinet, Morcellum l. II, p. III, c. VIIII.

principum, vel deorum, vel etiam privatorum maioribus fere litteris, quam cetera inscriptionum verba, antiqui lapides incisa demonstrant (1):

IMP . CAESARI . DIVI .
TRAIANI . PARTHICI . FIL .
DIVI . NERVAE . NEPOTI
TRAIANO . HADRIANO
AVG . PONTIF . MAXIMO
TRIBVNIC . POTESTAT . XX .
IMP . II . COS . III . P . P .
MAGISTRI . VICORVM . VRBIS
REGIONVM . XIIII .

MERCVRIO
C . ALBINVS . C . F . OVF .
MASCELLIO . IIII . VIR . A . P . (2)
PRAEF . I . D . IVDEX . V . DEC . (3)
NOMINE . SVO . ET
IVLIAE . INGENVAE
VXORIS . ET
ALBINORVM
IVLIANI . MASCELLIONIS
INGENVAE . MONTANAE
LIBERORVM . SVORVM
V . S . L . M .

quam sane versuum et litterarum varietatem nemo non libenter oculis usurpat, sive quod elegantiae argumentum est, sive quod legentem non parum iuvat.

(1) Grut. p. 249, n. 8. — Pag. 51, n. 2.
(2) *Aedilicia Potestate.*
(3) *Quinque Decurionum.*

Praeterea animadversum est a Mazochio (1), quum inscriptiones in fronte excelsorum operum inciderentur, litteras secundi versus minores aliquanto factas, quam primi, et tertii minores item, quam secundi, et sic deinceps, ut qui a terra spectarent, iis omnes prope aequales viderentur.

Addo et illud, veteribus monumentis, quae restituta essent, si, praeter antiquam inscriptionem, altera incideretur, quae operis restitutorem posteritati proderet, hanc secundam, nisi principis nomen referret, minoribus omnino litteris inscriptam esse.

Dixi paullo ante litteras, eiusdem versus quae sint, pares esse debere: ita sane, si quasdam exceperis, quas veteres lege solutas esse voluerunt. Eae sunt I potissimum et T, quae grandiores saepe minoribus permixtae reperiuntur, ut PONT . MAXIMI . TR . POT . ; quibus addenda littera C, cui respondet interdum S, ut quum scriberent CoS. Praeter has L quoque aliquando procerior, quam reliquae litterae, eminet: SILVANO . AVG . SACRVM . ; eodemque modo Y Graecorum: ISMYRINE. Huius autem consuetudinis eam primum fuisse causam puto, ut, quum spatium deesset, T et I productis, ceterae propius succederent ac spissius scribi possent: tum ut ne litterae quaedam ob vicinitatem perperam coniungerentur: nam, exempli gratia, DIVI si arctius scribatur, DM existit, vel nulla vel aliena significatione.

Iam litterarum singularum qualis esse forma debeat, Traiani, opinor, Hadrianique monumenta demonstrant, quorum litteras in quadrato omnes descriptas dixeris atque ad quadrati fere mensuram aequis intervallis incisas. Nihil certe distinctius scribi, nihil expeditius legi potest. Ante ea tempora litterae oblongae placuerant, quae item venustate non carent, praesertim quum sulcus altius est actus.

Ceterum auctor lapicidis esto, ut elegantioribus utantur exemplis, nec formas litterarum, nisi optimas perfectasque, probato. Ob eam rem operi identidem adfuisse proderit, ne quam illi novae formae litteram temere inducant, ut quum A scribunt transversa linea in angulum flexa, quod latine

(1) Tit. Camp. Amph. p. 2.

scribenti licere non debet, praeterquam in illo epitaphiorum initio: A☧Ω: vel quum aliam J consonantis, aliam I vocalis formam inducunt; vel quum V vocalem more hoc recenti in arcum inferne curvant (U).

Ad apices quod pertinet vocalibus interdum superponi solitos signaque itidem alia, sine quibus tamen tituli scribi optime possunt, adito, si libet, Morcellum operis sui lib. II, part. III, c. VIII.

Eundem etiam consulito ad nexum contractionemque litterarum quod spectat, qui tibi auctor erit, ut aequa verborum partitione usus inelegantibus molestisque huiusmodi compendiis abstineas. Idem quoque te monebit, ne singularias litteras decurtataque vocabula lapidarii temeritati permittas, neve ipse verbo cuiquam litteras adimas intermedias; prisca enim monumenta, si COS. pro *Consulibus*, CES. pro *Censoribus* excipias, vix aliud huiusmodi exemplum praebent. Itaque veterum mos retinendus, ut quae verba non omnibus litteris scribenda censemus, ab his extremae tantum detrahantur. Simul et illud servandum est, ut litterarum, quae remanent, ultima consonans sit, hanc enim veterum consuetudinem fere fuisse animadverteris. Antiquae etiam consuetudinis est, si vocabulum, quod omnibus litteris non scripseris, pluralis sit numeri, ultima ut littera geminetur: *Mercurio Et Minervae Dis Tutelarr. S.*: de hoc tamen non valde laborandum, nec enim semper servatum est.

Ad interpunctionem quod est, ea in primis utendum ad verba, quae trunca scripseris; tum, si cum plerisque stare velis, etiam ad cetera quoque vel omnibus perscripta litteris: abstinendum vero cum illis verbis, quae singulorum versuum ultima sint, nisi forte verbum ibi mutilum, aut numerus, aut singularia littera legatur.

Monendus demum erit marmorarius, ne puncta, ut multi mendose, ad litterae basim insculpat, sed ad eius latus medioque fere in spatio, quod vocabula discriminat (1).

(1) Quod contra in hac Appendice semper factum, serius nunc tandem animadverto.

De numeris notisve sollemnibus multa scire cupientes adeant Morcellum lib. II et III. Hic monuisse satis erit, non, ut nunc plerique, primam numerorum notam vetustiores ante V et X ponere consuevisse, quum numeros quatuor aut quatuordecim aut novem scribere vellent, sed notam potius eandem quater usurpare, hoc modo IIII. VIIII. XIIII. Iidem, ut quadraginta et quadringenta significarent, scribebant XXXX. et CCCC. potiusquam XL. et CD. Ceterum hanc quoque rationem, florentibus etiamtum litteris, usu Latini comprobarunt: atque iisdem temporibus linea superinducta numeros distinguere solebant, hoc pacto: $\overline{\text{XIII}}$. $\overline{\text{CLXI}}$. quo numeros scilicet, quos forma a litteris non discriminat, linea demonstrarent.

Restat, ut de inscriptionum etiam versibus nonnulla tradantur; nam etsi de his nihil apud veteres ratum diu atque firmum fuisse multis videtur; quaedam tamen diligentius servata, quam ut contemni possint. Ac vetustiora quidem monumenta, quod Graecis familiare est, versus fere exhibent eiusdem omnes longitudinis. Nec vero si deinde versibus alternis brevioribus longioribusve tituli maxime honorarii et sepulcrales scribi coepti, leges etiam et decreta eodem modo exarata sunt: prisco haec more passim scripta videas, paribus versibus; nisi quod singulorum capitum initium sinistrorsum a margine ducitur. Tum ellogia etiam ab his raro discrepant: sacrae demum et historicae inscriptiones modo hac modo illa descriptae forma, ut eam cuique rationem sequi liceat, cui aptius marmor esse videatur.

Sed qui versibus imparibus titulum scribere voluerit, nolim ita partes eius distribuat, ut elegiam quis lapidi inscriptam putare possit. Vetus fortasse exemplum est nullum, cuius alterni versus omnes sint pares: ac primus fere brevior, aut, si longior, brevissimum illi subiectum videas: qui autem medii sunt, ii omnibus latius patere solent: extremi saepe sic alternant, ut ultimus uno tantum aut altero verbo constet. Neque tamen haec ad amussim omnia exigenda sunt: nec si versus paulo longior sententiam commode circumscribat, hunc tu breviorem feceris, ut distributionis elegantiae servias impensius. Imo tibi curae

esse velim, ut ea sit, quantum fieri potest, versuum mensura, quae orationis partes aequis intervallis exhibeat, sententiis lucem afferat, lectori, ad res intelligendas, aliquid prodesse possit.

CAPVT X.

DE LOCO ET ORNATV INSCRIPTIONVM.

Quamquam scriptori perraro de tituli loco statuere licet; id enim iuris architecti plerumqne atque etiam fabri sibi solent vindicari; tamen, ne, si sententiam forte rogetur, aqua illi, ut aiunt, haereat, quaedam de hoc quoque praemonenda videntur, simul nonnulla etiam de inscriptionum ornatu, ut ineptias idem, quantum fieri potest, removeat, et inscriptiones barbarie infici non patiatur.

Ad locum quod attinet, ut a sacris titulis initium sumam, alium sibi dedicationes templorum, alium votivi donariorum tituli, alium denique monumenta sacrorum apud veteres vindicabant. Dedicationes enim in fronte ipsa aedium sacrarum, vel in zophoro, vel in epistylio, vel in utroque, grandibus inscriptae litteris legebantur: interdum fortasse et in tympano, idest triangulo illo in spatio, quod fastigii coronis clauditur.

Non igitur suum dedicationi locum tribuerunt, qui aut intra templum aut in supero portae limine incidendam curarunt; nec qui sic in zophoro inscripsere, ut non frontem solum, sed etiam alterum, aut utrumque templi latus percurreret. Et mausoleis quoque magis, quam templis convenit inscriptio inter epistylium et portam, tamquam in tabula, proposita, vel si haec corona et sima includatur; nisi forte rotunda aedes sit, nec habeat pronaon. Neque enim tituli huiusmodi conspicui tantum esse debent, sed etiam alte eminere; quo nempe altius protuleris, eo apertius de toto aedificio loqui videantur, et legentium simul oculos ad totius molis adspectum attollant. Idcirco in ipsis etiam aediculis, quas ad alas templorum excitamus, dedicationis

titulus sublimis sit ac fere in summo altaris fastigio legatur: quamquam si infra absidem atque inter columnas signum stet praecipuum magna in basi locatum, in hac inscriptio recte incidetur. Votivis contra titulis locus in templo quilibet aptus videri possit. Quia tamen qui vota diis solvebant, donum fere aliquod dabant, idcirco inscriptiones pleraeque in ipsis donariis incidebantur, nempe vel in basi, vel, si nulla donario basis, in qualibet eius parte satius videretur.

Ad inscriptiones honorarias quod spectat, nullam apud veteres reperias quae non in arcu, aut in basi vel statuae vel columnae, aut certo sub signo aliquo vel pictura incisa fuerit. Id nos ipsa docet numquam immutata verborum collocatio: dativo enim casu nomen ubique legas eius, cui honos defertur; recto autem, eorum, qui detulerunt: tum verbum, sive scriptum sit, sive subaudiri debeat, eiusmodi est, ut accusativum poscat, quem si adscripsere, non aliud sonat, quám *Arcum, Statuam, Bigam, Imaginem* et si quid aliud clarorum virorum honori dedicabatur; si omiserunt, monumentum tamen non abfuisse intelligis, cui etiam constituendo locus qua senatus consulto qua decurionum decreto datus dicitur.

Hinc patet quam perperam faciant, qui honorarias inscriptiones ad parietes quoscumque solitarias, inglorias, non statuae, non signo, non picturae subiectas affigunt, ut quid demum honoris causa positum esse indicent, nullus reperire possis. Eodem spectant honorariae id temporis inscriptiones, quae chartis tantum impressae, ubi quis magistratum aut curationem adeptus sit, aliae atque aliae sparguntur in vulgus, quarum ea elegantior atque illustrior haberi solet, quae ceteras versuum numero et siglorum, ut vocant, novitate antecellit. Quid vero tot verba tanto hiatu sonant, aut quid tandem ob tot virtutes, tot merita eius, quem ornare volunt, factum esse narrant? Hunc fere cantilenarum harum exitum esse video, ut scriptores ipsi *Perpetuum Grati Animi Monumentum Bene Merenti Se Fecisse* testentur: monumentum autem ipsa chartula est et inscriptio, quamquam id ne uno quidem indicant verbo; ut sepulcrum

potius ab his paratum esse videatur. Qui autem plus sapiunt, se *plaudere*, se *gratulari*, se *fausta omnia precari* subscribunt. Verum post clarissimarum virtutum et factorum egregiorum praedicationem quis hanc quasi clausulam diu iam suspensus expectet, quae nec praemium ullum nec laudem honoremve rependat?

De epitaphiorum loco pauca dicenda occurrunt; ea scilicet olim in columbariorum ollis, in sarcophagis, in cippis, sed stantibus semper erectisque, nusquam humi porrectis incisa sunt: si qua vero mausoleis inscribenda erant, marmorea in tabula, grandibus insculpta litteris, media in fronte locabantur. Sepulcrorum praeterea geminae interdum inscriptiones fuerunt eodem exemplo, nisi quod in prima numerus pedum *in fronte*, in altera numerus erat pedum *in agro*; nunc quia sepulcra parietibus plerumque haerent, una in fronte epitaphia incidimus: sed ad cipporum latera recte addes quidquid epitaphiis adnecti solet. Itaque ibidem non modo vitae anni et nota temporis, quo quisque decessit, sed salutationes etiam et sententiae morales et iura sepulcrorum incidi poterunt: haec scilicet veteres quoque non raro ab epitaphio separata in alterum aut in utrumque latus reiecerunt.

At si monumenti lapis opere anaglypho nobilis simulacrum defuncti referat, ita non sine veterum auctoritate incidi epitaphium poterit, ut media imago sit, litterae partim initio, partim ad latera, ceterae infra legantur: quamquam pleraque sepulcra inscriptionem infra imaginem habent totam, aut, si defunctorum nominibus in summa fronte locus est datus, qui monumentum posuerunt in ima fere leguntur.

Quod si sepulcrum veteris mausolei instar exstructum sit, in eoque praeter titulum tabulae etiam figendae sint, quae summi viri res gestas contineant, quem his locum tribuere possis a Svetonio (1) disces, qui aeneas tabulas geminas cum indice rerum ab Augusto gestarum, non in Mausoleo ipso, sed ante Mausoleum statutas narrat singu-

(1) In Aug. c. 101, n. 7.

lasque ternis lateribus inscriptas, neque enim par erat pilas etiam inscribi qua parte Mausoleo obversae spectandi legendique copiam non facerent.

Inscriptionum historicarum varia plane sedes, pluribus enim rebus aptantur. Illae vero, quae ad publica pertinent opera, in ipsis fere eorum fastigiis eminebant, in zophoro nempe, vel in epistylio, vel nonnunquam etiam in tympano. At in pontibus, quo facile a commeantibus legi possent, in utroque eorum margine incidendas curabant: eademque de causa, quae viarum restitutores indicarent, columnis milliariis inscriptae; quamquam has aliquando in arcubus sive ianis, vel etiam in pontibus insculptas esse constat.

Ellogia in foro atque in atriis domorum sub ipsis statuis legebantur: ne in bibliothecis quidem desiderata ea scimus, ubi sub magnorum virorum imaginibus versibus plerumque confecta prostabant. Suus denique locus constitutionibus publicis adsignandus, idemque nobilis atque insignis; de quo tamen nil est quod moneamus, quum a veterum consuetudine nihil prope desciverimus.

Postquam suam inscriptioni sedem distribueris, aliquid etiam de ornatu videndum, ac primum de lapidis forma, unde non exiguum titulus ornamentum habere solet. Sunt qui famam ab artificio expetentes, pro tabula marmorea, auleum sibi in saxo durissimo effingi volunt vento agitatum, aut crispam papyrum repraesentari nondum omni ex parte evolutam; quae nempe titulum sic capiat, ut litterarum non paucas in latebra occultet: his maeandros et lemniscos addunt, et quas iidem volunt phaleras: quo nihil absurdius, nihil magis ridiculum excogitari potest quotiescumque de iis inscriptionibus agatur, quae primariae sint et quibus proprius in monumenti fronte locus tribuatur. Geniorum contra eminentes expressiones, qui saepe titulis ad decus et ornamentum adiiciuntur, probari quidem possunt, sed ea tamen conditione, ut nulla inscriptionis pars porrectis manibus aut alarum opposilu obtegatur; nam si quis forte erit, qui inscriptionis suae alia quidem verba legi velit, alia vero omnino nolit, is facilius profecto adsequetur propositum, haec si omiserit.

Inscriptionis tabulam corona definire, aut ductis lineis spatium in lapide ad scripturam designare veteris consuetudinis est. Quadrata autem forma veteribus fere placuit, qui tamen huiusmodi lineis in statuarum basibus raro omnino usi; quippe nec opus erat, quum basis vel ad parietem locata satis emineret, et angulis scripturam utrinque terminaret. Illud in atriis nobilium singulare olim ellogiorum simul et imaginum ornamentum fuit, quod stemma sive sertum variis maeandris singulos maiorum vultus et titulos cingeret.

Iam suus et litteris a colore vel materie ornatus accessit; aliae enim rubricatae, aliae aureae, argenteae, aereae passim occurrunt.

Quibus autem census brevis esset, neque his sumptibus par, ii aliquando elegantiae nonnihil inscriptioni se addituros putaverunt, si ad singula verba, punctorum loco, qua corcula, qua palmarum ramulos, qua flosculos quosdam affinxissent: quae sane non paucis adhuc in monumentis videmus, hominum tamen privatorum, quae fere exiguam habent auctoritatem, quum a ceterorum ratione dissentiunt. Itaque iocularem eorum licentiam recte is demum imitabitur, qui molestiam legentis augere aut risum captare velit. At in epitaphiis anchoras, columbas, palmas ceterasque religionis nostrae notas ac σύμβολα, non inter verba, sed vel in ipso initio, vel infra titulum exprimere, id vero ex optimo more atque ex antiqua consuetudine nemo esse inficietur, qui veterum sepulcra paulo diligentius considerarit.

Verum de his satis: qui plura velit, Morcellum ipsum adeat, cui haec omnia, quae de toto inscriptionum artificio adhuc disseruimus, accepta sunt referenda.

INDEX

FRASSINETTI. Il conforto dell'anima divota, pel sac. Giuseppe Frassinetti priore a S. Sabina; *ediz. 9ª riveduta dall'autore; p.* 254 *in* 32° . . . . . L. 0 40
— Le amicizie spirituali, imitazione di S. Teresa di Gesù, e stimolo allo zelo per la salute delle anime di S. Maria Maddalena de' Pazzi; *p.* 32 *in* 32° . . » 0 20
— Lettera sul celibato cristiano dedicato a chiunque sia in posizione di poterlo promuovere nella cristiana società: *p.* 28 *in* 32° . . . . » 0 10
— Il religioso al secolo; *p.* 268 *in* 32° . . . . » 0 50
— La forza d'un libretto, dialoghi tra Virginia ed Elisa; *ediz.* 10ª *corretta ed accresciuta; p.* 204 *in* 32° . » 0 40
— La gemma delle fanciulle cristiane, ossia la santa verginità; *ediz.* 5ª, *p.* 95 *in* 32° . . . . . » 0 20
— Il *Pater noster* di S. Teresa di Gesù, trattato della preghiera; *p.* 450 *in* 32° . . . . » 1 70
— Industrie spirituali; *ediz.* 3ª *accresciuta; p.* 109 *in* 32° » 0 25
— Manuale pratico pel parroco novello: operetta utile anche agli altri ecclesiastici particolarmente confessori e predicatori; *ediz.* 2ª *accresciuta; p.* 719 *in* 32° » 1 60
— Ricordi per una figlia che vuol essere tutta di Gesù; *p.* 32 *in* 32° . . . . » 0 10
— Ricordi per un giovinetto cristiano; *p.* 32 *in* 32° » 0 10
— La monaca in casa con appendici diverse; *ediz.* 4ª, *p.* 236 *in* 32° . . . . » 0 40
— Il modello della povera fanciulla Rosina Pedemonte morta in Genova in età d'anni venti, il dì 30 gennaio 1860; *ediz.* 2ª, *p.* 112 *in* 32° . . . . . » 0 20
— Gesù Cristo regola del sacerdote; *ediz.* 7ª *coll'aggiunta di* alcune regole di vita e quotidiani esercizi del B. Gregorio Barbarigo vescovo di Padova; *p.* 176 *in* 32° » 0 40
— La missione delle fanciulle, racconti contempor.; *p.* 58 *in* 32° . . . . » 0 10
— Amiamo Gesù! *p.* 61 *in* 32° . . . . . . » 0 10
— Il giardinetto di Maria; *p.* 16 *in* 32° . . . . » 0 10
— Dialoghetti sui comandam. della Chiesa; *p.* 96 *in* 32° » 0 20
— Le due gioie nascoste; *p.* 64 *in* 32° . . . . » 0 15
— Il Paradiso in terra nel celibato cristiano; *p.* 128 *in* 32° » 0 25
— Vita ed istituto di S. Angela Merici; *p.* 144 *in* 32° » 0 25
— La Rosa senza spine, memorie sulla vita della pia zitella Rosa Cardone; *p.* 107 *in* 32° . . . . » 0 20

GASTALDI. Istruzione catechistica sull'autorità del Romano Pontefice, del can. Lorenzo Gastaldi; *p.* 180 *in* 32° . . . . » 0 35
— Istruzione catechistica sul matrimonio; *p.* 80 *in* 32° » 0 15
— Memorie storiche del teologo Ignazio Vola; *p.* 216 *in* 32° . . . . » 0 25
— Cenni storici sulla vita del sac. Gio. M. Vianney, parroco d'Ars; *ediz.* 2ª *riveduta dall'autore ed accresciuta d'un'* appendice contenente varii pensieri e riflessi sopra le principali verità della nostra santa fede, espressi da questo servo di Dio nei suoi catechismi e sermoni; *p.* 200 *in* 32° . . . . » 0 30
— Memorie storiche del martirio e del culto dei SS. Martiri Solutore, Avventore ed Ottavio protettori della città di Torino; *p.* 163 *in* 32° . . . . . » 0 30

OPERE PROPRIE DI QUESTA TIPOGRAFIA.